19 A e

COMMENTARII DE REBVS IN SCIENTIA NATVRALI ET MEDICINA GESTIS.

PRIMAE DECADIS SVPPLEMENTVM I.

LIPSIAE MDCCLXIII.
APVD IOH. FRIDERICVM GLEDITSCH.
Venduntur etiam
Amstelodami apud I. Schreuder et P. Mortier iun. Londini apud C. G. Seyffert, Parisiis apud Briasson, Patauii apud I. Manfré, Venetiis in B. Albrizzi et S. Coleti officinis, Romae apud Venant. Monaldini.

12


Jos: Banks

LECTORI BENEVOLO

S. P. D.

D. CHRISTIANVS GOTTLIEB LVDWIG.

Cum nunc volumen decimum commentariorum de rebus in scientia naturali et medicina gestis absolutum sit, de promissis in fine partis secundae voluminis noni supplementis, in peculiari volumine cum indicibus exhibendis, nunc cogitandum nobis est. Laetamur de benevola laborum nostrorum censura, et de applausu, quo et publica scripta et amicorum literae eos exceperunt, nosque fatemur hac de causa permotos esse, vt de instituto hoc porro continuando cogitaremus; quod quidem certo spondemus, nisi hoc ipso anno, quo primam decadem voluminum ad finem deduximus, maiora, quam quae hactenus superare debuimus, nobis se

opponant impedimenta. Otium enim literarium, quod ad hos labores ſtrenue exequendos et vt decet continuandos requiritur, inter belli turbas haud raro interrumpi ſolet. Et ſi tantum commemoremus, commercia literaria et optimorum librorum ab exteris potiſſimum acquirendorum collectionem difficiliorem reddi, ſatis indicaſſe videmur, quare id, quod praeſtandum nobis ſumſimus, non omnino fecerimus.

Minime autem ſilentio praeterire poſſum Praeſtantiſſimos Viros, qui operam ſuam in Commentariis his edendis impenderunt, et noſtram operam ſtrenuo auxilio adiuuarunt. Cum cepiſſem hoc conſilium, Socios mihi iunxeram IOH. BENIAMIN BOEHMERVM, IOH. ABRAHAMVM HEINIVM, ERNESTVM GOTTLOB BOSIVM, FRIDERICVM GOTTLOB IACOBI et GEORGIVM RVDOLPHVM BOEHMERVM, Doctores et ex parte Profeſſores Academiae noſtrae egregia eruditione conſpicuos, inter quos pro vario, quod ſinguli maxime colebant, ſtudiorum genere penſa diſtributa erant, quae in conuentibus noſtris praelecta, correcta et diiudicata tandem in publicum emittebantur. Vix vero primum Volumen a prelo liberum erat, cum et BOEHMERVS ſenior et IACOBI, grauiſſimis morbis detenti, tandem iis ſupprimerentur nobisque in optimo aetatis flore eriperentur.

Non deficiebant tamen relationes de nouis libris, cum GEORGIVS FRIDERICVS BAERMANNVS, Matheſeos Profeſſor Wittebergenſis, veteranus amicus, varias erudite elaboratas conferret, et ABRAHAM GOTTHELF KAESTNERVS Lipſienſis Profeſſor, poſtea Göttingam ad Matheſin docendam auocatus, nec non IOHANN DANIEL TITIVS, Profeſſor Wittebergenſis,

genſis, inſtituto noſtro fauerent noſtrosque labores ſuſtinerent. Et licet BOEHMERVS Iunior muneri Profeſſoris Medicinae in Academia Wittebergenſi admoveretur, non tamen prorſus noſtris laboribus ſe ſubduxit, ſed varia penſa nobiscum communicauit. Commendanda etiam eſt opera GOTTLOB CAROLI SPRINGSFELDII, Conſiliarii Aulici Marchionis Brandenburgo Culmbacenſis et Poliatri Weiſenfelſenſis, qui paſſim in noſtris Commentariis laudatur, paſſim etiam ſpecimina eruditae librorum lectionis per hoc decennium contulit; quod etiam nonnunquam praeſtitit IOH. ERNESTVS GREDING, Med. Lic. Poliater Zwickauienſis, nunc Medicus Noſodochii Waldheimenſis exercitatiſſimus.

Etſi autem optimis his exterorum laboribus in opere noſtro continuando iuuabamur, de nouis tamen et Lipſiae praeſentibus laborum ſociis cogitandum erat: inuenimus etiam D. CHRISTIANVM GOTTHILF KIESLINGIVM et M. IOH. IOBVM BARTSCHIVM, Viros ad hoc opus idoneos. Vix tamen ſpecimina, ſatis illa laudanda, nobis exhibuerant prima, cum morte praematura nobis quoque eriperentur. Feliciores vero fuimus in iis eligendis, quos poſtea cooptauimus, CAROLO WILHELMO POERNERO, IOH. CAROLO GEHLERO et CHRISTIANO FRIDERICO BOERNERO, Medicinae Doctoribus experientiſſimis, nec non DANIELE GOTTLOB RVDOLPHO, CHRIST. FRIDERICO KADELBACH et CAROLO CHRISTIANO WAGNERO, Artium Magiſtris et ſcientiae naturalis ſtudioſiſſimis, item M. SAMVEL FRIDERICO NATHANAEL MORO, qui in vltimis Tomis elogia Medicorum conſcripſit. Hi omnes in hunc vs-

que diem nobiscum commoda hiſtoriae literariae medicae recentioris augere ſuſcipiunt. Tacemus alios, qui ſparſim tantum inſerta ſpecimina exhibuerunt.

Laudatis itaque Viris mihi amiciſſimis, exterorum beneuolentiam, cum quibus mihi commercium literarum intercedit, laudare deberem, cum eos variis modis, et conſiliis et auxiliis, inprimis nouis medicis communicatis, inſtituto noſtro fauentes inuenerim. Nomina autem eorum repetere ſuperfluum duco, quia ſcripta cum erudito orbe communicata exquiſitiſſima in noſtris voluminibus iam commemorantur. Quorum quanquam nonnulli ex hac vita deceſſerunt, alii tamen et eruditis curis et auxilio nobis praeſtando ſcientiam naturalem et medicinam augere non intermittunt, et omnino merentur, vt poſteritati commendentur.

In ſupplementis autem his tradendis eandem obſeruabimus rationem, quam hactenus in libris variis recenſendis ſequuti ſumus, addendo praecipue eos, quos vel ſerius accepimus, vel alia ob impedimenta hactenus negligere coacti fuimus. Ea, quae ad ſupplementum primum et ſecundum pertinent, ſcripta iam ordinauimus, nec deerunt forte, de quibus in tertio et quarto exponendum erit, quo facto indices ſeparatim edituri ſumus. Quod ſi vero tertium ſupplementum praecipua a nobis tradenda capiat, in quarto paulo ampliore indices exhibituri ſumus, qui tamen, ſi et quartum ſupplementum accedit, peculiari volumine tradi poterunt, cum ex idea operis ſatis perſpiciamus, illos, ſi accurate concinnandi ſint, paulo ampliores futuros eſſe. Dabam Lipſiae Menſe Ianuario. A.O.R. MDCCLXIII.

I. An

I.

An Eſſay on Waters. In three Parts, treating I. of ſimple Waters. II. of cold, medicated Waters. III. of Natural Baths. By C. LVCAS, M. D. London, printed for A. Millar, 1756. 8vo. 2½. Alph. ſ. praef. Tab. aen. 2.

i. e.

Examen aquarum, in tres partes diuiſum, quarum I^ma Pars agit de aquis ſimplicibus II^da de aquis medicatis, III^tia de balneis naturalibus. Auctore C. LVCA, M. D.

Depromimus librum, qui omnem meretur attentionem, et aquarum ſcrutatoribus, qui perfectam de aquis habere cupiunt notitiam, ita gratus eſſe debet, vt illo vix carere queant. Debita enim cura, plenoque artis ordine Cl. LUCAS omnia perueſtigat, quae ad aquarum medicatarum ortus expoſitionem, et contentorum enodationem pertinent, vt parum vel nihil inexplicatum relinquat. In iuuentute qui-

dem Cl. Auctor se tantum Φαρμακευτικῆ, seu arti medicamentariae, dedit, reliquas tamen scientias, medico necessarias, deinde recoluit, qui doctoris quoque titulum, habita dissertatione de *gangraena et sphacelo*, 1752 *Lugduni Batauorum* omni obtinuerit iure *). Prior ars perfectiorem Nostrum in chemia reddidit, qua multos etiam antecellit. Quae autem causa fuit, cur ex patria prouincia expulsus fuerit, quod in praefatione ipse memorat, coniicere non valemus, quia hanc aperire illi non placuit. Praetermittimus contentiones, quas cum medicis *Bathonienſibus* habuit, quum plerumque altercantibus dedecori sunt. Nostrum enim interest nosse quidem veritates, non vero rixas. Missam igitur facimus praefationem et ad opus ipsum accedimus.

Prima pars agit de *aqua* in genere. Huic disquisitioni praemittit *generalem ideam salis*, tanquam introductionem ad aquae examen, quia raro, si vnquam, aqua inueniatur, omnis salis plane expers.

p. 3. Incipit a primis principiis corporum, in quae secundum artem a primariis scriptoribus praesertim BECCHERO corpora naturalia diuiduntur: in fluida scilicet et solida. Haec rursus in terram primam, seu vitrescibilem; secundam seu phlogiston; tertiam, seu mercurialem. Ex harum compositione omnia corpora gignuntur, et in has rursus soluuntur.

p. 5. Ad hanc classem pertinet etiam sal, qui secundum Cl. Auctorem consistit ex principio aqueo, vnito cum hac vel illa modo memorata terra, vnde eius diuersitas. Data igitur salis descriptione, varias eius differentias adducit, in quas plerumque, doctrinae causa, dispergitur. Naturalis autem et optima distinctio est sine dubio ea, qua in salem acidum, alcali-

*) Confer Part. II. p. 67.

calinum et neutrum diuiditur. Sal acidus porro distinguitur in mineralem, vegetabilem et animalem: sal alcalinus autem in fixum et volatilem. Fixus vero est vel artificialis, seu vegetabilis; vel natiuus, seu mineralis, quem vltimum Cell. STAHLIUS et NEUMANNUS negarunt. Neuter sal consistit ex sale acido et alcalino, huius vel illius speciei, ita mixtus, vt nullus abundet. Varie tamen diuersi hi sales inter se afficiuntur, et vnus prae altero fortius attrahitur. Idem et accidit terris, tam puris, quam metallicis. Inde illa diuersa salium et vitriolorum genera, quae Cl. Auctor ordine recenset, et species salium, ex quibus componuntur, determinat, in quo labore illi Celeb. quondam Berolinensium Chemicus NEUMANNUS in *Praelectionibus chemicis* praeiuit. Ratione acidi vitriolici duplex dari, vel fixum, vel volatile, affirmat. Fixum acidum cum alcali fixo natiuo, seu minerali, format neutrum illum salem, qui aquis mineralibus inest, et cum sale mirabili GLAUBERI, et sale *Epsom* perfecte conuenit. Idem cum sale alcali fixo artificiali, seu vegetabili, tartarum vitriolatum sistit: cum alcali volatili salem ammoniacum secretum GLAUBERI, cum metallis, quae soluere potest, vitriola. Haec omnia de acido fixo vitriolico intelligenda sunt. Sed datur etiam acidum vitriolicum volatile, quod omnes quidem proprietates et vires acidi fixi vitriolici habet, accedente autem minimo caloris gradu, vel additione acidi vitriolici fortioris, auolat. Eiusdem indolis ac speciei est acidum illud vitriolicum, quod in acidulis et aquis ferratis reperitur, et ferrum in eis solutum tenet. Postquam autem leuissimus tantum accedit calor, in auras abit, et ferrum, sub forma terrae martialis, fundum petere sinit. Hoc plurimis p. 14.

p. 10.

ideam *vitrioli volatilis* dedit, cuius existentiam Cl. Auctor prorsus negat.

Ab hac attractoria virtute, quam diuersae salium species inter se exercent, variae illae disiunctiones, et deiectiones, quas vulgo praecipitationes vocant, corporum antea solutorum fiunt; nouaeque denuo oriuntur compositiones, quas Cl. Auctor secundum attractionis, vel propinquitatis gradum
p. 19. exponit, nonnullasque adducit experientias. Ast, praeter admixtionem corporis diuersi interdum simul igne opus est, vt sales rursus dirimantur, vti in separatione acidi vitriolici a sale alcali fixo in tartaro vitriolato, et sale mirabili GLAUBERI videmus. Hoc vnice additione phlogisti effici potest. Cum hoc enim, praesertim si parum alcali fixi adiicitur, sales illi antea minus fusiles, in igne facile fluunt: acidum autem vitriolicum, quod maiori gaudet vi attractoria erga phlogiston, deserit salem alcalinum fixum, quocum coniunctum erat, et cum inflammabili principio format sulphur. Quid? quod graviſſimum acidum ope huius phlogisti euadit leuiſſimum vno verbo, fixum mutatur in summe volatile. Hoc obseruamus in praeparatione spiritus, vel olei essentialis vini cum oleo vitrioli; vel in destillatione pyritarum. Verum enim vero hoc est idem id acidum volatile, quo aquae medicatae, inprimis acidulae gaudent, et quod a plurimis pro vitriolo volatili habitum fuit.

p. 23. His praemissis, absolutum tractatum physicum de aqua Cl. Auctor nobis sistit, quem *examen aquarum* inscribit. Agit autem in initio de aqua in genere, qua occasione in nomen inquirit, eius definitionem constituit, et diuersas distinctiones formasque, sub quibus aqua apparet, addit. Deinde naturam et proprietates aquae simplicis explicat, vbi varia de eius qualitatibus, humida scilicet, et fluida;

graui-

grauitate; et leuitate; virtute ſoluendi ſales, terras, puras et metallicas, quae ſaepe ita minutim diuiduntur, vt pelluciditatem aquae non turbent, profert. Meminit quoque virtutis elaſticae, qua aqua omnia expandit, et disrumpit, quando ope caloris in vapores diſſoluitur. Quemadmodum ab his etiam vaporibus, ſi per calorem ſubterraneum ſubito rarefiunt, nullumque exitum inueniunt, plurimos terrae motus deriuat. Re autem rite examinata oſtendit, aerem, in aqua incluſum, illius effectus, omnia ſcilicet ſub vaporum conditione expandendi, eſſe cauſſam. Aere enim omnes aquae largiter ditatae ſunt, plurimum autem leviſſimae aquae medicatae et ferratae, vt *Pyrmontanae* et *Spadanae*.

Quum vero inter proprietates aquae virtus ſol- p. 62
vendi ſales pracipua eſt, varias rationes adfert, cur nulla fere aqua, etiam ſimpliciſſima, ab omni ſale libera ſit. Plures etiam ſales ſenſim ſoluere, et ſolutos ſimul tenere poteſt aqua, quorum tamen copia diuerſa eſt. Quosdam enim citius ſoluit, quosdam tardius, alios in magna, alios in parua copia, de qua proportione tabulas ex HOFFMANNO, IUNCKERO et BOERHAAVE adducit. Praeter ea acidum vniuerſale, quod totum naturae ambitum pervadit, omnibus fere aquis ineſſe credit, et ab hoc potiſſimum virtutem ſoluendi terras, et metalla dependere perſuaſum omnino ſibi habet.

Poſthaec ad experientias, quae cum ſimplici p. 81.
aqua inſtituendae ſunt, tranſit, et quae pro diuerſo vtendi fine eligi debet, proponit. Facillima et vulgatiſſima eſt, quae per ſenſus fit: quum vero haec non ſemper ſufficiat, phyſici, et praeſertim chemici, alias excogitarunt, et adhibuerunt experientias ad indagandam aquarum naturam. Per has detegi poteſt, num aqua ſit mollis, vel dura; num pura,

vel

vel ſalina; num grauis, vel leuis. Ex chemicis obſervationibus ſcimus, nullam terram poſſe ſolui ſine interuentu ſalis, praeſertim acidi. BECCHERUS quidem locutus eſt de minerali quodam ſpiritu volatili, qui dum prorſus inſipidus ſit, nullam praeberet acidi notam, et tamen facultatem haberet ſolvendi non ſolum terram, ſed etiam metalla. Hunc per deſtillationem ex argillae coeruleae quadam ſpecie ſe extraxiſſe affirmauit. Quamuis experientiam Cl. Auctor non neget, tamen ſibi perſuadere nequit illum ſpiritum cum acido vniuerſali non conuenire, licet in magis pura, et, vt chemici loqui ſolent, *exaltata* appareat forma, quam plerumque is extra-
p. 89. hitur ex aliis mineralibus. Vt id probet, ad experientias prouocat, quae cum aquis, particulis terreis, vel metallicis, ditatis, ſalis alcalini fixi eueniunt adfuſione. Quum hae deiiciuntur, vel, vt aiunt, praecipitantur, eas antea in aqua ſolutas fuiſſe, neceſſe eſt, quod a nullo alio corpore, quam ab acido quodam fieri potuit, quippe admixtus ſal alcalinus hunc ob maiorem propinquitatem attrahit, et ſolutam miſſam facit terram. Super his principiis et alii ſales, aliaeque ſolutiones adhibentur, ad detegenda in aquis ſoluta corpora. Oſtendit nunc Cl. Auctor diuerſas affinitates ſalium, et quo ordine ſales, terrae et metalla ſe inuicem attrahunt et praecipitant. Omnium autem maximam attractionem exhibet acidum vitriolicum, quod plurima attrahit corpora et varias inde, tam naturales quam artificiales, ſiſtit compoſitiones. Huc etiam pertinet ſulphur, quod ex acido vniuerſali, vel vitriolico, et principio inflammabili compoſitum eſt. Cum hoc
p. 98. enim acidum illud talem affinitatem habet, vt etiam ſalem alcalinum, in igne ſaltem, deſerat, et ſe cum inflammabili coniungat, verumque conſtituat ſulphur. Interea ſulphur per ſe in aqua non eſt ſolubile,

bile, ſed opus eſt, vt ſal alcali accedat, ope cuius ſoluatur. Nihilo minus a quocunque acido addito ex aqua rurſus praecipitatur. Exinde Cl. Auctor concludit, ſulphur in nulla aqua poſſe ſubſiſtere ſolutum, in qua acidum abundat.

Sequuntur experimenta, quibus aquae examinantur, tam cum metallorum ſolutionibus in diuerſis acidis factis, quam per mutationes colorum vegetabilium, quas aqua affuſa patiuntur. Harum igitur mutationum rationem reddit Cl. Auctor, et concluſiones, quae inde ad cognoſcendas partes contentas colligendae ſunt, adiicit. Lectu digniſſima vbique immiſcet et, quae diſſerit, non ſolum debito ordine ſunt propoſita, ſed etiam argumentis et experientiis confirmata. Inuenimus experimenta cum ſucco coeruleo florum cyanorum, ſyrupo violarum, tinctura ex *tourneſol* parata, vel papyro hocce colore tincta, rubra roſarum; ligni *campechy* dicti, coccionillae, rhabarbari, decocto gallarum, ſale alcalino fixo et volatili, ſapone, oleo calcis, acidis vegetabilibus et mineralibus, ſolutionibus aluminis, plumbi, argenti etc. inſtituta. Relatis igitur experientiis, quae praecipitando partes, in aquis contentas, detegunt, transit Cl. Auctor ad eas, quae per coctionem, quam euaporationem vocant, partes manifeſtant, reſiduas. In praecedentibus iam obſeruauerat in vna eademque aqua diuerſos poſſe reperiri ſales, idem in reſidua poſt euaporationem maſſa detegit. p. 116.

Raro autem plures, quam tres ſalium ſpecies commixtae in aquis inueniuntur. Hae, ſi ſelenitidem exceperis, ſunt: 1) alcali minerale ſeu nitrum veterum: 2) ſal gemmae, ſeu ſal marinus: et 3) ſal compoſitus ex primo ſale, ſeu baſi ſecundi ſalis, marini nempe, et acido vitriolico; hinc perfecte conuenit cum ſale mirabili GLAUBERI, et LISTERI p. 121.

nitrum

nitrum calcarium eſt. Qua ratione autem hi ſales determinari, et a ſe inuicem ſeparari queunt, multas adducit experientias. Praemiſſa methodo generali, ad quam aquae examinandae ſunt, ad ſpecialem procedit, et ſecundum hanc fluuii *Tamiſis* aliorumque Londini, et circa id ſcatentium puteorum aquas examinat, et quomodo differunt, definit accuratius, quam huc vsque factum eſt. De vltimo autem reſiduo, quod facta decoctione in omnibus aquis, ſeparatis ſalibus, remanet, et mater ſalis, anglice *Bittern*, chemicis oleum calcis dicitur, peculiarem opinionem habet, quae omnem attentionem meretur. In omnibus ſalium cocturis in fine reſtat lixiuium, quod arte in cryſtallos minime redigi poteſt. Si vero ad ſiccitatem decoquitur, acquiritur materia fuſca, ſalina, oleoginoſa, ſaporis amari, quae ſtatim in aere denuo liqueſcit. Hoc lixiuium KUNCKELIUS, aliique aquarum mineralium indagatores pro vero alcali habuere. Sed Cl Auctor grauibus docet rationibus, id nil aliud eſſe, quam acidum ſalis marini, quod, loco ſalis alcalini mineralis, cum terra calcaria commixtum ſit: quod ſi vero eadem haec terra cum acido vitriolico ſaturetur, praeberet ſelenitidem.

p. 151. Poſt ea nonnulla diſſerit de medicinali qualitate et vſu aquae ſimplicis, in quibus ad veterum et recentiorum medicorum prouocat teſtimonia. Cum his externum vſum aquae coniungit, dum pro balneis adhibetur, vbi vtilia primum de balneis in genere, deinde de balneis frigidis, poſt ea de temperatis, et tandem de calidis profert. Calidae, ſunt vel naturales, vel artificiales. Ad naturales refert thermas. Has diuidit in ſimplices et medicatas. Simplices putat, quae pura tantum aqua, in terrae cryptis calefacta, conſtant. Tales eſſe ait thermas *Piperinas*,

rinas, *Schwalbacenſes* *) *Toeplicenſes* in Germania **) *Schlangenbadenſes* et *Hirſchbergenſes* in Sileſia. Medicatas vero thermas nominat, quae ſale, ſulphure, terra et metallicis partibus dotatae ſunt. Huc refert *Bathonienſes*, *Briſtolienſes*, *Aquisgranenſes*, *Porcetanas* et *Carolinas* in Hungaria. Inter medicatas dantur thermae, quarum aquae ſolida conſtringunt, ſi nempe particulis adſtringentibus, terreis et abſorbentibus participant. De his monet, quod ſolida conſtringant, poros claudant et ideo febres facile accendant, quare cum circumſpectione pro balneis adhibendae ſint. Tales prae aliis pronuntiat thermas *Carolinas* ***) *Porcetanas* et quae in comitatu *Sommerſetienſi* in Anglia ſcatent. Regulas et cautiones deinde exponit, quae balneantibus obſeruandae veniunt, et tandem pauca adiicit de ſtillicidio, quod ἐμβροχὴ Graecis audit, et de vaporum balneis

Procedit Cl. Auctor ad *Partem ſecundam*, quae de frigidis aquis medicatis, ſeu de vulgo ſic dictis aquis mineralibus, in genere agit. In *Introductione* praemiſſa dubitat Cl. Auctor, num aquae minerales in

*) Schwalbacenſes aquae thermis minime adnumerari queunt, ſed acidulis, quia non calidae, ſed frigidae proſiliunt.

**) Toeplicenſes in Bohemia. Schlangenbadenſes non in Sileſia, ſed in ditione Haſſiaca, procul Francofurto ad Moenum: nec Carolinae in Hungaria, vti Cl. Auctor vult, ſed in Bohemia proueniunt.

***) Haec contra Cel. TRALLES notanda ſunt, qui in tractatu de *thermis Carolinis*, quem Vol. VI. p. 25. recenſuimus, contra Cl. SPRINGSFELD, qui virtutem conſtringentem thermarum Carolinarum in libro ſuo de *thermis Carolinis* affirmauit, his thermis prorſus denegat: licet concedat, eas eiusmodi particulis imbutas eſſe.

in classes, vt inde systema formetur, diuidi queant.
p. 3. Hydrologia enim, quam Cl. WALLERIUS edidit, illi non satisfecit. Taxat quoque Cel. HOFFMANNUM, qui acidulas potius alcalinas dicendas esse affirmauit. Subtile illud atque volatile principium, quod quibusdam aquis mineralibus inest, ob consuetum loquendi vsum, spiritus nominari concedit, et tanquam productum dissoluti cuiusdam corporis fossilis, seu mineralis, considerat. Quadruplex autem fluidum volatile, vel species quatuor spirituum aquis medicatis inhaerere contendit. Prima
p. 9. species ei est, subtile illud ac volatile fluidum, quod nonnulli aquarum scrutatores spiritum volatilem mineralem, alii spiritum aethereum, vel aethereo-elasticum mineralem, adpellant; primus leuissimo caloris gradu ab aquis cum aëre auolat, et nullo modo coerceri potest. Cum acido volatili vitriolico, tertia scilicet specie hunc semper commixtum esse, ipse fatetur Cl. Auctor, quomodo autem ab eo differat, accurate non determinat.

p. 12. Alteram speciem facit spiritus volatilis alcalinus. Eius naturam in eo ponit, quod odore et sapore se manifestet, et addito acido ebullitionem in aquis excitet, vel affusa solutione mercurii corrosiui pulverem album praecipitet. Hic a plurimis rerum naturalium inquisitoribus negatur, sed illum in quibusdam aquis existere defendit. Tertiam speciem constituit spiritus volatilis vitriolicus acidus, quem nonnulli spiritum mineralem rectorem vocant. Eum generari affirmat a dissolutione vitrioli, sulphuris, vel pyritae, et quia eum primo illo, elastico scilicet, et aethereo spiritu frequenter mixtus sit, a plurimis scriptoribus confundi asserit. Hunc quoque occasionem dedisse credit notioni vitrioli volatilis, cuius existentiam prorsus negat, et omnes de eo
p. 17. opiniones ridiculas facit. Quartam speciem praebet

bet phlogiſton, ſeu materia inflammabilis. Id aquis, ſub hac forma, vt explicuit Cl. Auctor, ineſſe, neminem ante eum obſeruaſſe ſibi perſuadet, quemadmodum et Cel. STAHLIUM tali forma id negaſſe perhibet. Prorſus differt a ſulphure ipſo, quamvis in illo, omnibusque corporibus inflammabilibus, contineatur. Accuratius nunc illud definit, nonnullasque proprietates et effectus, quos exerit, exponit. Eſt idem, quod in minerarum cuniculis praeſertim pyritarum, ſub vaporum nomine occurrit, et ex cryptis illis ſubterraneis ſeu ſpeluncis exhalat, et animalia necat. Non confundi debet cum materia illa oleoſa, qua aquae, aeri diu expoſitae, interdum abundant, a qua tamen multum differt. Hac occaſione valde inuehitur in eos, qui oleoſam hanc materiam aquarum ſulphur vocant, et aquas, quae eam vehunt, ſulphureas. Poſtquam denuo difficultates repetiit formandi ſyſtema aquarum, in claſſes tamen quasdam praecipuas Europae aquas medicatas diſtribuit, et ſecundum primarias partes conſtitutiuas, quas continent, tam calidas, quam frigidas, diſponit. p. 21.

Quum nulla fere aqua ab omni ſale libera ſit, contemplatio aquarum ſalſarum primum in conſiderationem venit. Ex veterum igitur monumentis et recentiorum ſcriptis, famigeratiſſimas Europae prouincias et vrbes Cl. Auctor refert, quae ob ſalinas, ſalſarum aquarum lacus, et ſalium natiuorum, ſeu foſſilium, fodinas celebres fuere. Inquirit itaque in primarias Britanniae ſalinas, quas raro puras, ſed plerumque terra ditatas inuenit. Expoſito modo, quo ſal ex ſalinis paratur, oſtendit porro, ex quibus partibus ſal compoſitus eſt, eadem ratione, ac id in praemiſſa *idea ſalis* iam fecit. Vltimum reſiduum, quod ſalinae, parato ſale, exhibent, eſt liquor ille ſalinus, oleoſus, quem nonnulli matrem p. 28. p. 34.

ſalis, alii oleum calcis, Cl. POTT ſalem ammoniacum fixum, et Cel. HOFFMANNUS lixiuium a ſalis communis coctione relictum nominant. Quamuis multi id lixiuium pro vero alcali minerali habuerint: indubitatis tamen experientiis probat, nihil aliud eſſe, quam ſingulare acidum ſalis marini, ita firmiter loco baſis ſalinae cum terrea iunctum, vt nullo gradu caloris ſeparari queat. Ad demonſtrandam eius naturam easdem fere experientias et probationes, quas ſupra iam legimus, prolixiore tantum modo profert.

p. 46. Quum aqua ſalina cum aqua marina multum conueniat, hanc examinandam ſibi ſumit Cl. Auctor. Detecto veterum errore, quem de partibus conſtitutiuis aquae marinae fouerunt, accuratius eius determinat partes componentes. Comparat eam cum aqua ſalinarum, et aqua fluuii *Tameſis*, in qua certa copia ſalis communis, vel marini, ſoluta eſt, vt non ſolum in grauitatem eius, quam vulgo ſpecificam dicunt, inueſtiget, ſed etiam per experimenta reliquas proprietates et qualitates examinet, in quibus ambae hae aquae, cum inter ſe conueniant, tum a ſe inuicem differant: at paruam inter eas intercedere reperit differentiam. Inſtituit haec experimenta cum aqua ex diuerſis maribus ſumta, et ea, quae ante, et poſt aeſtum maris hauſta fuit, et animaduertit, partes contentas in his aquis non ratione qualitatis, ſed quantitatis tantum diſcrepare.

p. 54. Quum experientiae, quas ad indagandam aquae marinae naturam in vſum vocauit, fere eaedem ſint, ac illae, quibus in *idea ſalis*, et examine ſalinarum, vſus fuit, ſuperuacuum eſſet, ſi illas repetere vellemus. Nobis ſufficit ex illis experientiis cognoſcere, neque ſulphur, neque bitumen, neque nitrum, neque vnctuoſam quandam materiam, vti nonnulli perhibuere, in aqua marina inueniri, ſed tantum terram,

ſalem

ſalem muriaticum et lixiuium ſalis, de quo ſupra multum dictum fuit. Pro horum igitur contentorum ratione de effectu medico iudicat, quem aqua marina tam interne, quam externe adhibita edere poteſt. Dum RICARDI RUSSELL *diſſertationem de tabe glandularum, ſeu de vſu aquae marinae in morbis glandularum* perſtringit, ipſe multa vtilia addit. Docet in primis, eam magis in vſu fuiſſe apud veteres, quam apud recentiores, qui eius vſum prorſus neglexerunt. Praecipuam virtutem quaerit in partibus componentibus aquam marinam, ſale ſcilicet et terra. Multos morbos adducit, in quibus vtiliter tam externe, quam interne adhiberi poteſt, adiiciendo vbique cautiones, quae ſub eius vſu obſeruandae ſunt. Nec omittit morbos, in quibus eius vſus magis reperitur noxius. Felicem prae aliis prouinciis praedicat Britanniam, quod occaſionem habeat hocce remedio, quocunque modo velit, vtendi. Communicat hunc in finem adumbrationem et formam, qua balnea in oris maritimis eſſent exſtruenda, vt balneantes cum acceſſus, tum receſſus maris tempore his vti poſſent, quae omnia, quo melius intelligantur, adiecta tabula aenea illuſtrat. p. 64.

Tranſit in *ſectione quarta* ad aquas ſale, et quidem neutro purgante praeditas, in quarum numerum aquas *Epſom* et *Cheltenham* reponit. Prior fons ad lapidis diſtantiam ab vrbe *Epſom* in comitatu *Surreienſi* prouenit, et primus fuit, cuius aquam inuenerunt ſalem vehere purgantem amarum, quare etiam ſal inde nomen accepit. Poſtea vero ſimilis ſal non ſolum in aliis cum Britanniae, tam Germaniae ſcatebris detectus, ſed etiam in multis aliis ſalinis coctus et paratus fuit. Quod ad naturam huius ſalis attinet, per experientias probat Cl. Auctor, eum componi ex acido vitriolico, et baſi alcalina ſalis foſſilis, ſeu communis, et quadam terra abſorbente p. 95.

bente calcaria, ad ſaturitatem mixta. Ex his concludit, illum cum ſale mirabili GLAUBERI perfecte conuenire, nullumque inter eos, artificialem et naturalem, poſſe inueniri diſcrimen, quicquid etiam in arte chemica parum docti obgannirent. Remanens vltimus liquor, et qui nulla arte in cryſtallos redigi poteſt, eſt ſaepe memoratum lixiuium ſalis
p.100. communis. Hoc primis cryſtallis plerumque adhaeret, illasque in aere deliqueſcere facit, quam proprietatem aut repetita in cryſtallos reductione, quam cryſtalliſationem vocant, aut additione alumi-
p.104. nis, vel acidi vitriolici amittunt. Ab aqua *Epſom* haud multum differt aqua prope *Cheltenham* proſiliens, niſi quod praeter ſalem purgantem neutrum adhuc ferro ditata ſit. Nonnulli eam ſulphuream ob foetorem, quem ſpargit, perhibuere, ſed a ſtagnante aqua, quae neceſſario putreſcere debet, hunc foetorem deriuat. Ferri praeſentiam ex ochra martiali, quam deponit, demonſtrat. Sal excoctus perfecte ſimilis fuit ei, quem ex aqua *Epſom* accepit. Cum hac aqua conuenit aqua *Scarborough* dicta: ob auſteriorem tamen ſaporem, quem linguae impertit, de alumine eam participare putat.

p.112. Excipiunt hanc aquae medicatae *ſectionis quintae*, quae in principatu *Leodenſi*, *Malmedy* et *Stavelot* ſcatent, et ſubacidae ferrataeque ſunt indolis. Generalia praemittit Cl. Auctor, quae ſitum, ſolum et clima modo dictae regionis ſpectant. Recenſet deinde ferri mineras, quae ibi effodiuntur. His autem minime originem aquarum medicatarum attribuere vult: quem potius in pyritarum quaerit
p.115. mineris. Horum tres in primis nominat ſpecies. Pyriten ſcilicet ſulphureum rudem, ſeu pyromachum veterum et WALLERII: globulos pyritaceos; et druſam pyritaceam eiusdem. Nominat nunc fontes, qui in oppido *Spa*, et adiacente ſcatent terra, quorum

rum ſedecim ſunt, inter quos autem quatuor praecipue reliquis famam praeripiunt.

Primarius eſt *Pouhon* medio in oppido *Spa* ſcaturiens. Variat pro conditione aeris externi. Quando enim hic ſiccus et frigidus eſt, melior et fortior eius reperitur aqua, quam ſi humidus, vel calidus aer circumfundit terram. Hinc etiam iure reprehendit Cl. Auctor conſuetudinem, in fontis ſuperficie, quae aeri eſt proxima, aquam hauriendi: quam contra ex profundo haurire ſuadet. Magnam enim mutationem aqua haec mineralis ſubit, ſi aeri libero, aut calori per breue tantum exponitur tempus. Idem ei accidit, ſi in antlia pneumatica ſub campanam ponitur, et aer externus aufertur: perdit tunc pelluciditatem et ſaporem. Alterant et illi aquam, qui eam calefaciendi cauſa, in calidam ponunt, vel cum aqua calida, aut lacte calido miſcent. Eo, vt dicunt, ſpecifice leuiorem eam inuenit, quo minus alterata fuit. Inde colligit, aquam naturalem et integram ſpiritu quodam ſubtili ac volatili eſſe dotatam, qui leuiſſimo auolat calore. Eum acidae eſſe indolis ex colorum probat mutationibus, dum papyro cum tourneſol tinctae rubrum impertit colorem. Ex eius iactura etiam citam deiectionem, quam ſubſidentiam vocant, terrae ochraceae exponit, quam aquae minerales patiuntur, poſt quam acidum illud exceſſit. Soluens enim, quod illam ſuſpenſam tenuit, deficit. Acidulas igitur eiusmodi aquas nominandas eſſe, contra Cel. HOFFMANNUM contendit. Hanc ſuam ſententiam vlterioribus euincit experientiis. Quorſum pertinet diuerſus color, qui apparet, quando aqua naturalis, et quando alterata ad experientias adhibetur: porro adfuſio acidi fortioris vitriolici, quod terram praecipitatam rurſus ſoluit: denique muta-

p. 147.

p. 154.

 tio,

tio, quam lixiuii alcalini admixtio efficit, quae mi-
p.160. nime fieret, si aqua esset naturae alcalinae. Respondet simul ad dubia, quae Cl. Auctori formari possent, ex efferuescentia, quam fortiora acida excitant, si aquis mineralibus adduntur. Hanc oriri asserit, dum leuius et volatile acidum a fortiori expellitur, et terra ochracea aut alcalina efficitur, quod sine bullitu fieri nequit. Hac quoque ex ratione, vti nos quidem opinamur, non immerito taxat illos, qui inter vsum acidularum sapones exhibent, quia necesse sit, vnum vel alterum remedium alteretur. Vt vlterius aquam examinet, procedit ad experimenta cum solutionibus metallicis, et salibus contrariis, deinde ad destillationem aquae, et tandem ad eius euaporationem. Quum vero Cl. Auctor hanc aquam eadem ratione ac priores tractat, merito recensione experimentorum supersedemus. Hoc vnicum addere debemus, quod occasione destillationis aquae in spiritum illum volatilem accuratius inquirere sibi proposuerit, quod illi quoque ex parte, vt putat, succesſit. Intellexit enim eum acidae esse naturae, extremae subtilitatis, qui nullo modo coerceri queat. Dum de euaporatione, quae ad siccitatem fit, agit, affirmat verosimile esse, augmentum ponderis, quod remanens materia salino terrea, si libero aeri exponitur, denuo acquirit, et ex aere attrahit, semper aequale esse copiae alcali puri, quod continet: id quod multum probabile nobis videtur.

p.171. Ex omnibus autem experientiis ad examen aquae institutis Cl. Auctor tandem colligit: in aqua *Pouhon* contineri primo subtile aethereum fluidum, quod eum aere elastico auolat, et acidae est indolis: secundo ferrum ab acido hoc spiritu solutum: tertio salem alcalinum mineralem purum; terram partim seleniticam, partim absorbentem; et parum materiae oleosae. Postea examinat Cl. Auctor reliquas aquas mi-

nera-

nerales prope *Spa* ſcatentes, e. g. *Grosbeck*, *Sauveniere*, *Watroz*, *Tonnelet*, *Niveſet*, *Chevron*, *Couve*, *la Sige*, *Geromont*, *Tunbridge* in Anglia, eadem ratione, ac cum *Pouhon* fecit, et partes earum contentas determinat accurate. Quum vero easdem experientias nimium ſaepe repetere deberemus, lectores potius ad librum ipſum ablegamus. Nobis ſufficiat quaedam ſingularia et non ſemper obuia annotare.

Dum Cl. Auctor aquam *Tonnelet* examinaret ei- p.203.
que ſyrupum violarum affunderet, obſeruauit, nubeculas, quae in mixtura oriebantur, eſſe coloris coccinei et purpurei, quum in reliquis acidulis, quando idem ſyrupus eis admiſcetur, in principio mixtionis, color pallide roſeus adparet, qui tamen ſtatim in coeruleum et poſt in viridem mutatur. Singularem hanc apparitionem fortiori acido, quo *Tonnelet* prae ceteris abundaret, attribuit. Saponem validius deſtruit, quam reliquae acidulae, quod ab eadem deriuat cauſſa. Occaſione fontis *la Sige* prope p.230.
Malmedy profilientis, qui partibus abundat terreis, ſe animaduertiſſe dicit: quo plus terrae, eo minus ferri, aquas medicatas continere; quod a vero non multum aberrare inuenimus. Ad finem partis ſe- p.245.
cundae quaedam de virtute medica aquarum ſubacidarum ferratarum; et de tempore atque modo aquis medicatis vtendi adiicit. Praecipuam virtutem quaerit in ſubtili illo atque volatili fluido, quod tam cito, et citius, quam plurimi putant, auolat. Quare ſub vſu acidularum ad hoc maxime attendendum eſſe ſedulo inculcat. Quo plus enim huius fluidi acidulae continent, eo efficaciores ſunt aeſtimandae. Inter ea conſtitutiuis reliquis acidularum partibus, terrae ſcilicet ferreae, calcariae abſorbenti, ſali et materiae oleoſae partes ſuas quoque adſignat. Quando autem Cl. p.257.
Auctor ſtrumas, quibus multos incolas ſpadanos laborare obſeruauit, partibus terreis, quibus aquas

ſpadanas, praeſertim *Pouhon*, abundare ait, adſcribit, minime illi adſentiri poſſumus, quamlibet etiam rationem adducat, vt modum explicet, quo fiat. Praeter thermas *Carolinas* nullam aquam nouimus, quae tam copioſis particulis ſeleniticis et tophaceis praedita ſit. Nec aquas, ſimplices dictas, ibi prouenientes, quibus incolae, vt thermis ipſis, quotidie vtuntur, excipimus. Eae enim illa terra tophacea et ſelenitica ita aggrauatae ſunt, vt ſcatebras, et canales, quibus vehuntur, ſaepe dicta materia tophacea incruſtent, et veros ſtalactides forment. Nec tamen vllus in toto oppido, et vicina regione inuenitur incola, qui ſtruma laboret. Ab alia igitur cauſſa ortum ducant, neceſſe eſt, licet hac oppoſitione minime illorum defendere velimus opinionem, qui ab vſu liquoris niuei cauſſam ſtrumarum explicare anniſi ſunt, cui ſententiae contra ire Cl. Auctor in primis noua ſua expoſitione ſtuduit. De
p. 268. modo vtendi aquis ferratis nil adiiciendum habemus, quam vt Cl. Auctor vſum acidularum efficaciorem ac ſalubriorem fore moneat, ſi earum vſui balnea calida praemittantur, in quo illi facilius aſſentiremur.

Sequitur *Pars tertia*, quae quatuor adhuc aquas pertractat, thermas ſcilicet *Aquisgranenſes* et *Porcetanas* in Germania; *Bathonienſes* et *Briſtolienſes* in
p. 3. Anglia Quod ad *Aquisgranenſes* attinet, in *ſectione prima* Cl. Auctor perquirit thermarum antiquitatem, deinde expendit vrbis ſitum, ſolum, aerem et aquas. In *ſectione ſecunda* exponit corpora, quae a natura profecta ſunt, et prope *Aquisgranum* reperiuntur atque effodiuntur. Huc pertinent terrae, lapides, corpora metallica, bituminoſa, ſulphureaque: denique plantae, quae ibi creſcunt. Omnium horum
p. 38. catalogum exhibet. Inter plantas meminit Cl. Auctor

ctor fungi ſingularis, qui in thermis, praeſertim balneis St. Cornelii, obſeruatur, et lapidibus, quos aqua calida alluit, adhaeret. Audit autem illi *fungus membranaceus, ſeu gelatinoſus thermarum.* Eſt idem, quem Cl. SPRINGSFELD 1749 primus obſeruauit in thermis *Carolinis*, et eius deſcriptionem in peculiari commentatione cum Academia ſcientiarum Regia Berolinenſi *) communicauit, non quidem fungis, ſed tremellis, ſecundum DILLENIUM plantam nouam accenſens. Cum hac non confundi debet *Alga in tubulis aquam fontanam deducentibus* C. B. P. ſeu *Conferua riuulorum capillacea* RAII, quam *No.* 18 deſcribit, et in aquae ductibus plurimorum fontium vrbis detexit. Haec planta propter ea notatu digna eſt, quia nonnulli ſcriptores *Bathonienſes*, eam pro materia ſulphurea, ſeu bituminoſa thermarum, vti in ſequentibus videbimus, venditarunt, quos ideo Cl. Auctor multum arguit.

Miſſis his ad *ſectionem tertiam* tranſit, et de diverſis ſcatebris, *Aquisgrani* proſilientibus, vna cum eorum balneis adſtructis, nominibusque impoſitis agit. Procedit ad examen thermarum *Aquisgranenſium*, et earum naturam et qualitates ſcrutatur. Odor earum ſulphureus, quem cum variis exhalationibus ſulphureis comparat, primum eſt, quod in conſiderationem venit. Hic diſperit, quando aqua per aliquod tempus ſtetit, vel libero aeri expoſita fuit. Inde eius materiae indolem volatilem colligit ſimulque probat, hanc eſſe terrearum particularum, quae in aquis continentur, verum ſoluens, quia, quando illa auolauit, terreae partes ſubſident. Praecipitantur autem in thermis *Aquisgranenſibus* ſub forma leuis limi nigri, qui tubos, alueos et balenas ob-

p. 45.

p. 52.

 ducit,

*) Vid. *Memoires de l'Academie Royale des ſciences de Berlin, de l'Année* 1752. p. 102.

ducit, et a BERGERO et HOFFMANNO pro ochra habitus fuit, cui opinioni autem Cl. Auctor contradicit, et praesentiam ferri in thermis *Aquisgranensi-*
p. 58. *bus* negat. Gradus caloris variat, et in diuersis fontibus diuersus est. Summus est in fonte, qui *Imperatoris* dicitur; in scala enim *Fahrenheitiana* mercurium ad 136 gradum ascendere cogit: quem ad modum etiam huius fontis aqua trutina examinata, ratione reliquorum leuissima est.

p. 63. Specialius inquirit in naturam volatilis et inflammabilis partis thermarum *Aquisgranensium*, vt viam sibi paret demonstrandi modum, quo sulphur ex amborum horum corporum coniunctione in thermis se formet, parietibusque adhaereat. Volatilem partem acidae esse indolis supra quidem iam ostendit, at vlterius hoc iam inuestigat, et non solum ex rosionibus, quas vapores thermarum in ferreis et plumbeis instrumentis, quae aquae ductibus inseruiunt, efficiunt, si illa per tempus adeunt: sed in primis ex panniculis linteis in lixiuium alcalinum intinctis, et vaporibus thermarum expositis, comprobat. Panniculi enim hi, quando rursus eluuntur salem neutrum, tartaro vitriolato simillem praebent, manifesto indicio, acidum, quod illis accessit, vitriolicae esse naturae. Inflammabilis principii praesentiam deriuat Cl. Auctor praesertim ex odore, quem thermae *Aquisgranenses* spargunt: deinde ex corrosis tubis plumbeis, qui instar minerae plumbi, vel plumbi cum sulphure fusi, adparent: denique ex aureo colore, quem aes aut argentum recenter politum, si in aquam thermalem immittuntur, vel thermarum vaporibus exponuntur, acquirunt. Hae enim mutationes non ab acido solo, a vaporibus tamen, inflammabili simul dotatis, fieri queunt.

Ex

Ex horum principiorum coniunctione oritur ſulphur, quod larga copia fornicibus, fonti ſuperſtructis. canalibusque, quibus thermae vehuntur, adhaerens reperitur, licet modus, quo generatur, adhuc multum diſputetur. Plurimi in ea fuere opinione ſulphur in aqua fuiſſe ſolutum, et ad modum operationis illius chemicae, quam ſublimationem vulgo vocant, ope caloris eleuatum et productum. Quod vero fieri poſſe ideo Cl. Auctor negat, quia verum ſulphur ſine abundante copia lixiuii alcalini fixi, quo tamen thermae *Aquisgranenſes* ſecundum Cl. Auctorem carent, in aqua ſolui nequeat. Vero ſimilius hinc ei videtur, ambo principia, acidum ſcilicet et inflammabile, aquae quidem ineſſe, ſed ſeparata, vniri tamen et generari ſulphur, dum auolarent, et coercerentur inter fornices. Explicatio p. 72.
enim ortus ſulphuris in thermis *Aquisgranenſibus* per modum ſublimationis ideo minus arridet Cl. Auctori, quia ſulphur non *ſubſtantialiter*, vt cum philoſophis loquamur, ſed *potentialiter* tantum aquae inhaereret: quare per generationis modum illud oriri mauult. Nos hunc diſputationi non amplius inhaeremus, ſed lectori iudicium de his relinquimus. Pergit Cl. Auctor in perſcrutandis volatilibus illis principiis, vt eorum naturam magis detegat. Adhibet inter alias experientias deſtillationem aquae thermalis, et quum ei ſimplex modus non ſufficiat, peculiarem inſtrumentorum adparatum, ope quorum deſtillationes fiunt, aquae ductui, quem hunc in finem perforauit, adplicat, et ſine omni ignis vi, calore tantum naturali aquarum, accipit liquorem odoris valde ſulphurei, volatilis, et ſaporis ſubacidi, atque leniter adſtringentis, quem multum ſimilitudinis cum ſpiritu illo ſulphureo, *Gas* HELMONTIO dicto, habere aſſerit.

Haec

p. 78. Haec de principiis volatilibus thermarum *Aquisgranenſium*. Nunc ad reliquas partes contentas, fixas magis, tranſit, multasque recenſet experientias, quas inſtituit, vt de earum natura certior fieret. Omnibus autem experimentis nihil ferri detegere potuit: quem ad modum et thermas nec acido, nec alcali, abundare, ſi in ſtatu naturali examinentur, affirmat, ſed neutrum ſalem vehere. Quod de alumine quidam hallucinati ſunt, prorſus negat. Mutationes poſtea refert, quas thermae additis diuerſis ſalibus et ſolutionibus metallorum ſubeunt, et
p. 97. inde earum partes conſtitutiuas declarat. Sunt autem hae: terra absorbens calcaria, alcali fixum minerale et ſal marinus; quibus, ſi quis ſaepe memoratum principium volatile acidum ac inflammabile, et aerem, ab aquis non ſeparabilem, addet, omnes habebit partes componentes thermarum *Aquisgranen-*
p. 110. *ſium*. Easdem quoque partes ſiſtit decoctio aquarum, oſtendens ſimul terram calcariam non eſſe ſolam, ſed terra ſelenitica adhuc coniunctam.

p. 128. Poſitis his, cauſſam perquirit Cl. Auctor caloris thermarum. Poſtquam diuerſas hac de re, tam veterum, quam recentiorum, perpendit opiniones, eam vnice ponit in calefacto pyrite: ſicut et ab exhalationibus ex eius aeſtuatione ortis, volatile illud principium acidum ac inflammabile deriuat. Adiicit quaedam de origine ſalium, muriatici ſcilicet et alcalini, in thermis *Aquisgranenſibus* repertorum; nec non de nitro, ſeu natro veterum, quod tamen ſedulo a noſtro nitro hodierno diſtinguit. Quum vero ſalem thermarum ex modo dictis mixtum et compoſitum, multum propinquitatis cum nitro veterum habere cenſet, ideo illum cum hoc aequiparat, et hoc fine thermas *Aquisgranenſes* nitroſas adpellandas eſſe putat.

Poſt

Poſt haec de vſu thermarum *Aquisgranenſium* agit, et nonnulla generalia de earum virtute medica exponit. Refellit Cel. BERGERUM et HOFFMANNUM, qui thermas *Aquisgranenſes* cum *Carolinis* in Bohemia et *Bathonienſibus* in Anglia, ob ochram ſeu terram martialem, quam continerent, conuenire affirmarunt. In ſuperioribus enim docuit, thermas *Aquisgranenſes* ferro plane deſtitui *). Effectus igitur thermarum vnice expectandus eſt ab earum partibus conſtitutiuis, quas in prioribus demonſtrauit. Primaria earum virtus conſiſtit in calefaciente, diluente, reſoluente et abſtergente qualitate: cum qua coniungenda eſt vis partium mineralium volatilium, quae in minima vaſa penetrare, et totum corpus permeare poſſunt. Accedit ad ſpecialiorem, internum nempe vſum thermarum *Aquisgranenſium*, quem in aquarum virtute quaerit ſaponacea, quam partibus illis volatilibus auctam opinatur. Hanc virtutem thermae exſerunt praecipue in primis viis, eamque deinde ad ſecundas extendunt. Adlegat morbos, quibus vſus thermarum ſalutaris et quibus noxius fuit. Adnectit denique tempus, copiam, modum et reliqua, quae ſub vſu thermarum interno obſeruanda ſunt. Internum excipit vſus externus, qui triplex *Aquisgrani* eſt. Adplicantur enim ibi thermae aut toti corpori, vt in balneis, aut parti tantum, vel ſtillicidii modo, vel vaporum forma. Omnium autem vis conſiſtit in virtute humectandi, emolliendi, et laxandi fibras, qua ceteras thermae *Aquisgranenſes* antecellunt. Singula-

p. 134.

p. 146.

p. 158.

p. 169.

*) Idem de thermis *Carolinis*, quod nempe ferro careant, contra Cel. BERGERUM et HOFFMANNUM Cl. SPRINGSFELD in tractatu ſuo de thermis Carolinis multis probauit experientiis, quare comparatio ex hac cauſſa nec locum habet.

gularem effectum edunt balnea vaporum in morbis illis a peruerso vsu hydrargyri relictis: siquidem volatile illud principium inflammabile, quo thermarum *Aquisgranensium* vapores abundant, hydrargyro
p.179. pristinum statum reddit, quod *reuiuiscere* chemici vocant, et id per poros cutis eliminat; quale memorabile exemplum Cl. SPRINGSFELD *) dedit, ad quod sine dubio Cl. Auctor respexit; licet ei ipsi tale obseruare non contigerit. Postremo merito taxat medicos, qui post vsum externum, vel potius internum eiusmodi aquarum medicatarum sine discrimine commendant, et praescribunt medicamenta fortiter purgantia, drastica vulgo adpellata, eo sub praetextu, vt recrementa aquarum e corpore efferantur.

p.185. Ad *Porcetanas* thermas in *sectione quarta* se vertit Cl. Auctor. In his etiam reperitur *Conferua illa gelatinosa omnium tenerrima* RAII, quam nonnulli inepte pro sulphure habuerunt. In scala *Fahrenheitiana* mercurius in fonte superiore ad 132 gra-
p.198. dum, in inferiore vero ad 152 ascendit. Adductis experientiis euincit Cl. Auctor, has thermas multum differre ab *Aquisgranensibus*. Largiter enim dotatae sunt principio illo acido vitriolico: destituuntur vero inflammabili, quo *Aquisgranenses* contra abundant. Multa insuper terra tophacea aggrauatae sunt, qua omnia corpora, quae alluunt, copiose incrustant: quare illas cum *Carolinis* in Bohemia comparat, nisi quod de ferro, quo *Porcetanae* carent, secundum Cel. BERGERUM et HOFFMANNUM participent; quod vero, vt supra iam monuimus, Cl. SPRINGSFELD refellit, experientiisque coarguit. Quum vtrasque has thermas visendi

*) In Itinere medico ad thermas Aquisgranenses et fontes Spadanos. Lipsiae 1748. p. 29. ad 33.

ſendi atque examinandi habuimus occaſionem, hanc comparationem prorſus adprobamus, quippe qui multum ſimilitudinis ibi offendimus, vnicum hoc tantum addentes, thermas *Carolinas* longe plus terrae illius calcariae, vel ſeleniticae continere *Porcetanis*. Thermae autem *Porcetanae* ob vanum metum aluminis, cuius tamen Cl. Auctor nihil detegere potuit, non interne, ſed tantum externe in balneis adhibentur, quod ei omnino mirationem fecit. Verum enim vero, inſpectis particulis contentis non dubitauit, periculum in ipſo ſuo facere corpore, et per aliquot dies eas bibere, vbi ad purgandum magis propenſas reperit. Quod ad earum vitutem externam attinet, ob principium illud volatile acidum et terram abundantem eas magis tonicas et partes ſolidas conſtringentes praedicat Cl. Auctor, quare in oedemate, anaſarca et hydrope eas commendat *).

Sequitur *ſectio ſexta* et vltima, quae de thermis *Bathonienſibus* in Anglia agit. Praemittit Cl. Auctor quaedam de vrbis, thermarumque ibi ſcatentium antiquitate, ſiquidem apud Romanos iam celebres fuere. Eodem enim anno, quo Noſter librum ſuum edidit, eruerunt ciues *Bathonienſes* eo loco, vbi fundamentum noui aedificii locare voluerunt, rudera ſplendidiſſimarum balnearum Romanorum, vna cum earum ſtuffis et ſudatoriis, quae omnia Cl. Auctor in nitida tabula depingi curauit. Deſcribit deinde ſolum et corpora metallica cum mineris, quae in eius tractu reperiuntur, atque effodiuntur, in quibus et pyrites eſt. Multum conqueritur Cl. Auctor de collegio medi-

p. 219.

p. 237.

*) Confirmant haec ea, quae ſupra p. 15. not. *** monuimus contra Cl. TRALLES, qui thermis *Carolinis*, quia ferro deſtitutae ſint, et terra tantum abundent, omnem vim tonicam et adſtringentem contra Cl. SPRINGSFELD, qui eam defendit, prorſus denegat.

medico *Bathoniae* conſtituto, et de eius vſurpata
p.246. licentia, in quam vehementer inuehitur. Multa monet contra conſuetudines ibi vſitatas et peruulgatas. Inſcitiae arguit plurimos, qui medicinam ibi faciunt, et illos, qui de hiſce thermis ſcripſerunt, tanquam tales, qui veram naturam et qualitatem harum thermarum ignorent.

p.254. Tres numerantur fontes praecipui, *Bathoniae* ſcatentes, qui vix, vel parum differunt, licet pro valde diuerſis a plurimis venditentur. Exponit balneas ipſas earumque formam, et communem ibi balneandi morem, quem omnibus modis vituperat. Non ſatis mirari poſſumus, balneas non eſſe tectas, ſed ſub dio ſitas, hinc aeri, vento, frigori ac tempeſtatibus expoſitas, quod de gente tam prudente, opulenta atque magnifica vix credendum eſt. Mercurius in thermometro Anglicano 119 gradum oſten-
p.263. dit. Aquae ex thermis recenter hauſtae odore illo ſulphureo prorſus carent, quem vere ſulphureae
p.270. ſpargunt. Praeter partes ſolutas eiiciunt thermae *Bathonienſes* duo corpora diuerſae naturae et qualitatis. Vnum eſt ſubſtantia quaedam mineralis, ſpeciem arenae mentiens. Hanc de acido vitriolico et terra participare Cl. Auctor in eius examine inuenit, quare ortum a pyrite martiali trahere putat: a quo etiam calorem thermarum deducit. Alterum corpus, quod thermae ſub ſpumae ſpecie, praeſertim aeſtate, reddunt, eſt materia fuſca, vel potius obſcure viridis, quam omnes etiam medici pro ſulphure habuerunt, et thermas ideo pro ſulphureis venditarunt. Contra hanc praeiudicatam opinionem communemque errorem inſurgit Cl. Auctor, et experimentis, argumentisque euidentiſſimis commonſtrat, illam materiam pro ſulphure falſo habitam, ortum capere non ex regno minerali, ſed vegetabili, et pertinere ad plantas illas minores aquaticas,

ticas, quae ſub genere conferuarum vel algarum comprehenduntur, et in thermis ſaepe reperiuntur. Ab huius plantae purredine, qua in mucorem mutatur ſub limi nigri ſpecie in aquis adparentem, foetorem etiam explicat, quem thermae, ſi per tempus aliquod ſteterunt, edunt. Et licet Cl. Auctor ſuam ſententiam experientiis validiſſimis ſtabiliuerit, tamen ciues *Bathonienſes*, non medicis exceptis, arbitrantes thermarum ſuarum famae aliquid derogari, ſi eis ſulphur abiudicaretur, omnem operam curamque impendere, vt veterem opinionem defenderent: quid? quod quadam arte vſi ſunt, vt experi- p.282.
menti cuiusdam fallacia praeſentiam ſulphuris in thermis verosimilem redderent. Sed ex periculo feliciter euaſit, et victoriam, ni fallimur, reportavit Cl. Auctor. Concedit quidem volatile princi- p.289.
pium acidum in thermis *Bathonienſibus* offendi, inflammabile tamen principium deficere: ad producendum autem ſulphur vtrumque neceſſarium eſſe. Ab hoc etiam acido ferrum, quo thermae *Bathonienſes* praeditae ſunt, ſoluitur, et ſolutum tenetur: accedente vero terra abſorbente calcaria, tanta quidem copia, vt acidum ſaturetur, rurſus praecipitatur. Concipi nunc poteſt modus, quo terra et ferrum ſine alterius deiectione quam praecipitationem vocant, in vna eademque aqua ſimul teneri queunt. Si enim acidum non perfecte a terra ſaturatum eſt, portionem ferri adhuc ſoluere poteſt. Simul ac autem acidum quacunque ex cauſſa abit, vt terra martialis praecipitetur, neceſſe eſt.

Pergit Cl. Auctor in examine aquarum, easque p.297.
ſecundum illam toties memoratam methodum explorat, vt earum partes conſtitutiuas eruat. Addit eis diuerſos ſales, admiſcet tincturas, affundit varias metallorum ſolutiones, abhibet denique deſtillationem et euaporationem. In maſſa poſt de- p.312.

coctionem reſidua reperit portionem ſalis purgantis amari, ſeu mirabilis GLAUBERI, ſalis marini, terrae calcariae et ſeleniticae, et particulas quoque ferreas, quas magnes attraxit. Hoc vltimum nobis prae reliquis notatu dignum viſum eſt, quia in ſupra examinatis thermis, ne veſtigium quidem vllum ferri Cl. Auctor detexit, nec vllae praeter *Bathonienſes* nobis notae ſunt thermae, quae ferri participes ſunt. Progreditur ad medicam virtutem ther-
p.320. marum *Bathonienſium*, easque cum *Aquisgranenſibus* comparat, a quibus tamen admodum differentes pronuntiat, licet a plurimis huc vsque plane ſimi-
p.326. les habitae fuerint. Hunc in finem vtrarumque thermarum partium contentarum, a quibus omnis virtus pendet, rationem inter ſe confert, vt pronunciatum ſuum confirmet.

p.333. *Bathonienſes* igitur thermas in primis ſalubres iudicat in morbis a bile, eiusque abundantia et acrimonia ortis. Quemadmodum autem thermae *Bathonienſes* ab *Aquisgranenſibus*, interne ſumtae, quod effectum attinet, valde diſcrepant: ita etiam earum vſus externus admodum diuerſus eſt. *Aquisgranenſes* ob ſaponaceam, qua gaudent, indolem, mollem et laxum reddunt cutem: *Bathonienſes* contra, quia earum aqua magis eſt dura, et ſubacidis vitriolicis ferreisque particulis praedita, ſolidas partes adſtringit, et rigidiores facit, poros etiam cutis notius coanguſtat, et obſtruit, ſi ſcilicet balneantes vsque eo in balneis remorantur, donec praecellens illa in thermis virtus operari poteſt. In initio enim aqua calida, qua omnes balnea conſtant, effectum ſuum exſerit, cutemque mollit, ſed effectus is mora temporis cedit et a contraria vi ſuperatur, id quod, quia pauciſſimi vix concipi queunt, παράδοξον eis videtur, propterea balnea haec cum multa circum

ſpectio-

ſpectione et cautione, et nunquam ſine debita corporis praeparatione, adhibenda eſſe ſedulo monet.

Conqueritur poſtremo denique Cl. Auctor vaporis balnea *Bathoniae* deſiderari. Opuſculum finiunt thermae, quae prope *Briſtolium* proueniunt, tantum tepidae ſunt: mercurius enim ad 70 gradum modo in ſcala *Fahrenheitiana* aſſurgit. Aeri per aliquot horas expoſitae, aut lagenis exceptae aquae non ſenſibiliter mutantur. Partes, quas poſt euaporationem reddunt, eſt ſal mirabilis GLAUBERI, ſal muriaticus, et terra quaedam calcaria, baſin alias praebens ſali GLAUBERI, et ſali marino, cum quibus principium quoddam volatile acidum coniunctum eſt. Haec omnia conſuetis ſuis argumentis probat, et adiecta huius aquae virtute et vſu, laborem denique finit. p. 348

II.

Chimie Médicinale, contenant la manierè de préparer les remedes les plus uſités et la methode de les employer pour la gueriſon des maladies. Par M. MALOUIN. Tome Premier, a Paris, chez d' Houry, Pere 1750. 12. Alph. 1 pl. 1. Tome Second. 1750. 12. Alph. 1 pl. ½. *).

h. e.

Chemia medica, remedia vſitatiora praeparandi modum, eaque ad curandos morbos adhibendi methodum continens. Auctore Cl. MALOUIN. Tomus I et II. etc.

*) Haec eſt prima editio. Altera et noua prodiit itidem Pariſiis anno 1755. 12. et nuper demum in germanicam translata linguam recuſa eſt Altenburgi. 1752. 8.

Quatuor ſunt partes, quae chemicum huncce tractatum conſtituunt: prima earum principia generaliora, ſecunda praeparationes praecipuorum remediorum regni animalis, et tertia ea, quae ex regno vegetabili obtinentur remedia, exhibet: atque tres hae partes priori tomo continentur. Quarta pars, quae vnice poſteriorem tomum conſtituit, in praeparatione remediorum regni mineralis verſatur. Medicam appellat Cl. Auctor hancce chemiam, hancque ceu opus practicum, nullis coniecturis nullisque animaduerſionibus phyſicis refertam, ſed ſoli tantum medicinae practicae inſeruientem conſiderandam eſſe cupit et a phyſica chemia, ſuo etiam tempore euulganda, ſeparauit, eo fine, vt ii, qui de componendis remediis iisdemque rite adhibendis certiores eſſe cupiunt, nec ſpeculationibus, nec coniecturis diffundantur, ſed habeant quidquam, vnde certiores facti morborum cauſas aggredi et profligare queant. Licet autem Noſter remediorum horum, vt ipſe fatetur, inuentor non ſit, ipſe tamen ea vel praeparauit vel eorum praeparationi interfuit; adhibendi autem methodum, partim ſua, partim aliorum experientia confirmatam communicauit. Caeterum et Chinenſi manuſcripto, cui titulus *Pen Sau Kan mou* cuiusque Auctor *Li Tchi Sin* vocatus fuit, quodque Cl. VANDERMONDE in gallicam linguam tranſtulit, vſus eſt atque ea, quae ibi deprehendit vtilia, ſimul adpoſuit. Quod ad ipſum pertractandi modum attinet, Noſter primo oſtendit, quomodo ſinguli cuiusque remedii praeparandi operatio inſtituenda ſit et quaenam tunc cautiones obſeruandae veniant; deinde remediorum ſimplicium, praeparationi medicamentorum compoſitorum inſeruientium, electionem indicat ſimulque modum, ea conſeruandi, tradit; porro doſes remediorum determinat; tum methodum

dum, iisdem ad curandos morbos internos externosue vtendi explicat caſusque inſimul, vbi noxius eorundem vſus cenſendus ſit, exponit; tandem etiam artificium, quo quiſque comperiat, vtrum remedium dextre praeparatum ſit, ſubnectit. In citandis auctoribus ad euitandam diſcrepantiam vero atque genuino cuiuscunque Auctoris nomine vſus eſt: ita QVERCETANUS v. g. apud Noſtrum ſub nomine IOSEPH DUCHESNE LA VIOLETTE, quod verum eius nomen eſt, occurrit, et qui POTERIUS adpellatur, Noſtro POTIER vocatur, ne cum alio, gallico medico, POTERIE dicto confundatur. Haec in genere de chemico hoc libro annotare libuit; quod ad ſpecialem tractationem attinet, nonnulla tantum hinc inde decerpere liceat.

Vaſa, deſtillationi inſeruientia, ex plumbo parata, p. 19.
in nonnullis Galliae prouinciis pro parandis quibusdam aquis, frigidis dictis, adhuc in vſu ſunt, ob ſuſpicionem tamen latentis veneni merito ſuſpecta. Cuprea vaſa, ſtanno intus obducta, nociua pariter aeſtimanda ſunt, ſiue ſtannum purum obducendo cupro impendatur ſiue plumbo mixtum. Docet enim experientia, carnes citius in vaſis ſtanneis, quam plumbeis corrumpi, interim tamen vaſa, quae ſtanno, plumbo immixto, obducuntur, ob rationem, quae de plumbeis valet, nociua exiſtunt, idque eo magis, cum notum ſit, ſtannum plumbumque aequali portione inter ſe mixta ab artificibus impendi. Sic quoque de vitanda noxa nos monent tartarus tartariſatus et ſal Seignette, in vaſis ſtanneis vel cupreis, ſtanno obductis, parati, quippe qui puluerem coeruleſcentem, a ſtanno prouenientem, in fundum deiiciunt. Vitrea itaque vaſa vel et terrea ſeu figulina ſemper praeferenda ſunt; licet autem terrea bonae notae ſint, in iis tamen, quae lythargyrio intus obducta ſunt, prius quam operationibus impen-

dantur, aqua decoquenda eſt, cum conſtet, vaſa, prima vice adhibita, materiis ingratum ſaporem conciliare.

p. 92. Lac cum mentha coctum facile a ventriculo digeritur, qnod itidem fit, ſi cum melle vel ſaccharo miſcetur; ſic enim difficilius coagulatur. Si lac exhibendum, ad colorem pilorum animalis, quod lac praebet, reſpiciendum eſt: in genere igitur notandum, rufa et nigra lac minus bonum, alba et fuſca melius, caſtaneo tandem colore praedita optimum largiri. Lac vaccinum, excepto humano, inter omnia lactis genera optimum eſt, cui ſuccedit caprillum, pauco ſero praeditum, quod frigidis et humidis inſimulque macilentis conuenit; aluum enim adſtringit et motum humorum excitat. Lac ouillum laxitatem alui tollit, humorum motum pariter excitat, minusque ſeroſum eſt, conuenitque humidis, frigidis et laxis. Aſininum inter omnia maxime ſeroſum eſt minusque nutrit, humectat, refrigerat, temperat, aluum laxat, imo adeo nonnullos aegrotos emaciat, raroque corpus nutrit, niſi eo in caſu, vbi acria, nutritionem impedientia, demulcet.

p. 102. Serum lactis differt, prout lac ſe habet, ex quo obtinetur. Idem etiam pro diuerſa praeparandi ratione differt: ita ſerum lactis abſque igne praeparatum paulo magis refrigerat magisque laxat, quam ſerum ignis ope praeparatum. Serum lactis, coaguli aut galli ope paratum, iis, qui acido laborant, plus proderit, quam quod ſucco citri etc. paratur. Serum lactis percolatum iis conducit, vbi febris metuenda vel vbi ſeroſa humorum pars reſarcienda eſt: iſtud autem, quod percolatum non eſt, ob partem butyraceam, quam adhuc continet, magis balſamicum eſt magisque demulcet et vires reſtaurat.

Sal

Sal coralliorum, ope aceti praeparatum, ad compescendas haemorrhagias, a dyscrasia humorum prouenientes nec non ad curandas dysenterias commendatur. p. 123.

Si cum residuo post destillationem spir. sal. ammon. simpl. acidum vitriolicum miscetur, sal obtinetur, quod a sale ammoniaco secreto GLAUBERI eiusdemque sale mirabili differt et a Cl. Auctore tartarus vitriolatus ammoniacalis vocatur. p. 197.

Aqua lauendulae destillata iis conducit, qui vocem amiserunt, in primis si castorei tinctura admiscetur. Aqua lauendulae spirituosa externo inprimis vsui inseruit et in vulneribus prodest; praecipue paronychiam imminentem saepe ista aqua, si digitus in eandem crebro intingeretur, auerti posse, Noster monet. p. 257.

Aqua florum aurantiorum, quae aduersus malum hystericum (*Vapeurs*) commendatur, saepe idem excitat: hinc eandem, si in maiori quantitate exhiberetur, melius forte ab aegrotantibus ferri, Noster putat, moschi exemplo monitus, qui malum hystericum prouocat, in maiori vero dosi exhibitus idem tollit. p. 264.

Soda Alexandrina optima censetur, cui succedit Alicantica, quae colorem aethiopis mineralis, recens parati, habet. Huic postponenda est Cartaginensis, quae grisea est, quaeque ex variis plantis marinis, cum herba kali combustis paratur. Vilissima tandem species habetur, quae ex Caroburgo in Normandia inferiori adfertur, vtpote quae ex planta quadam marina, alga nimirum (*Warec*) combusta paratur. p. 318.

Sal Seignette, quod alias ex soda et cremore tartari paratur, alia ratione obtineri posse, Noster perhibet, si nimirum cremor tartari cum ostreis calcinatis et puluerisatis coquatur. p. 327.

p.331. Vinum, quod ex oriente adfertur, quodque ob piceum inprimis ſaporem aeſtimatur, illum a pice ſeu reſina admixta mutuatur; hinc iſtum ſaporem, ſi vini ſinſit, pro genuino habendum nunquam eſſe, Noſter monet.

p.334. Vinum conditum, quod PLINIO Murena ſeu Nyrena, Gallis *Hippocras*, vel etiam ob clarificationem *Clairet* vocatur, ex cinnamomo, ſaccharo et pauxillo ambrae vel etiam addito Zingibere parari poſſe, Noſter perhibet.

p.337. Vinum Alicanticum ventriculo, cibos faſtidienti conducit; vina Hiſpanica ad morbos ventriculi commendantur; vinum Rhenanum et Moſellanum biliosis, Gallica vero v. g. Burgundica pituitoſis conducunt; vina alba omnia colatoria aperiunt, rubra vero anodyna et in certis caſibus narcotica cenſentur.

p.338. Si fruſtum panis cum ſaccharo et aqua coquitur, vſque dum aqua in auram abierit, tuncque tantum vini, quantum aquae exhalauit, adfunditur leniterque ebullit, cibus obtinetur, qui conualeſcentibus egregie conducit meliusque conuenit, quam panis biſcoctus vino imbutus.

p.345. Vinum optimum quidem cardiacum cenſetur, ſed iis tantum conducit, qui in ſtatu ſano vel nunquam vel parcius eo vtuntur: ſic enim ruſticus, cuius ſanguis ex pane, lacticiniis et leguminibus formatur, ſi febre corripitur, vino aſſumto liberari poteſt, cum contra homo, cuius ſanguis ex variis eduliorum deliciis, potu caffé etc. formatur, vino aſſumto periret, ſiquidem in hoc febris gangraena, in illo vero ſudore ſalutari terminaretur.

p.349. Vinum plumbo adulteratum ſpiritu ſalis cognoſci, Noſter oſtendit, inſimulque modum eorum improbat, qui ad eluenda vaſa, in quibus vinum adſeruatur: globulis plumbeis aut clauis ferreis vtuntur ſic enim

enim peſſimam indolem vino induci, atque vaſa vel aqua ſola vel hac et arena bene elui poſſe, monet.

Acetum vini cum ſale communi et limatura martis mixtum ſpeciem maſtichis ſiſtit, aquae reſiſtentis. p. 362.

Spiritus vini, qui variis iisdemque cognitis modis rectificatur, etiam absque igne rectificari poteſt: ſi enim retorta, ſpiritu vini repleta ſub antlia pneumatica collocatur, eique recipiens apponitur, nec tamen vaſorum iuncturae luto obfirmantur, aere educto ſpiritus vini maxime ſpirituoſus in vas recipiens deſtillat. p. 394.

Sal terrae foliatae tartari ſimilis generatur, ſi ſolutioni ſalis Seignette adfunditur acetum vini: tunc vero cremor tartari, cum ſoda antea coniunctus, illico fundum petit atque ſodae ſe vnit acetum. Liquor poſtea, aliquantum euaporatus, in cryſtallos abit, quae in aere non humectantur. Docet itaque hocce experimentum, cremorem tartari cum ſoda non adeo arcte cohaerere et ab acido, etiam leuiori, ſeparari. Inde Noſter practicos monet, ſalem Seignette cum tamarindis praeſcribendum non eſſe, ſiquidem cremor tartari pracipitetur, antequam aegrotantes remedium ſumant. p. 457.

Progredimur ad alterum Tomum, qui in praeparandis remediis verſatur, quae ex regno minerali deſumuntur. Primo ſermo de metallis eſt: haec virtute medica donata eſſe, Noſter certo ſibi perſuadet, licet ſint, qui dicant, metalla non niſi in principia reſoluta in corpus noſtrum agere. Id autem abſolute non requiri, Cl. Auctor aſſerit, hocque exemplo mercurii illuſtrat quippe quo, vti conſtat, lues venerea debelletur, absque eo, vt ipſe in principia prius reſoluatur. p. 1.

Aethiops antimonialis in morbis, qui a materie melancholica, ſcirrhos inprimis et vlcera cancroſa producente, oriuntur, efficaciſſimum largitur remedium, p. 153.

pariterque in inueteratis affectionibus ſcorbuticis et rheumatiſmis conuenit. In ſcrophulis etiam morbisque, a miaſmate venereo prouenientibus, tandem cutis morbis conducit.

p.169. Vt cinnabaris per vaſa lactea ad ſanguinem veniat ibidemque effectus ſuos exſerat, cum alimentis eam ſumi iubet Noſter: alias enim cum excrementis ex corpore eandem eiici, putat.

p.175. Si vas apertum, aqua plenum, in angulum camerae cuiusdam reponitur, inque alio eiusdem camerae angulo mercurius ope ignis in vapores reſoluitur, hos ipſos ab aqua attrahi inque globulos condenſari Noſter perhibet.

p.176. Si mercurius ex cinnabari reuiuificatur, neceſſe eſt, vt collum retortae aliquantum ab aqua, in recipiente contenta, diſtet. Si enim collum aquam attingit, decem tantum vnciae mercurii currentis tranſtillant, ſin vero collum ab aqua diſtat, tredecim vnciae mercurii obtinentur.

p.178. Si vncia vna mercurii vaſculo vitreo immittitur, poſtea vncia ſpiritus nitri adfunditur et tantundem olei oliuarum admiſcetur, miſcela tandem cineribus calidis imponitur, vt mercurius ſoluatur, vnguentum obtinetur, quod in curandis morbis cutaneis, rebellibus adeo, inſignem vim exſerit.

p.200. Spiritum vini ad edulcorandum turpethum minerale aquae Noſter prafert; fieri enim autumat, vt turpetho, cum in aqua ſoluatur, eo plus decedat, quo ſaepius idem edulcoretur. Caeterum turpethum, cum efficaciſſimum ſit remedium, e medicina reiiciendum non eſſe, monet, inprimis autem cum camphora mixtum efficaciſſimum euadere, neque adeo, cum camphora neruis ſit amica, noxium reputandum eſſe, aſſerit.

p.206. Mercurius ſublimatus corroſiuus plus acidi ſalis ſuſcipit, ſi quando octies ſublimatur, ita tamen,

vt

vt prima vice ſal marinum et vitriolum calcinatum admiſceatur, poſtmodum autem ſolum duntaxat ſal marinum absque vitriolo addatur, vltima tandem vice ſublimatio et absque ſale marino inſtituatur. Notandum tamen eſt, vltima vice mercurium ſublimatum in vaſe tantum fundi nec aſcendere, inde ſciendum, ignem, quando funditur materies, non vltra ſuſtinendum atque materiem ſibi relinquendam eſſe; ſic enim vaſis ſponte refrigeratis mercurius ſublimatus aſcendit et, vt vitrum, pellucidus euadit.

Ad tollenda ſymptomata, quae mercurius corro- p.210.
ſius, intus ſumtus, producere ſolet, nequaquam aqua calida ſola, quippe qua mercurius ſublimatus magis ſoluitur magisque per corpus circumducitur, ſed ſale alcalino quodam, aut, hoc deficiente, cum cineribus lignorum vel et creta mixta ingerenda et diaeta, acido huic veneno oppoſita, imperanda eſt.

Mercurius dulcis, ſi cum ſaccharo ſaturni coniun- p.221.
gitur, glandis ſeu praeputii vlcera venerea, ſi cum dolore ſtipantur, ſanat. Mercurius dulcis variis aquis ſolutus inque vrethram iniectus ad curandam gonorrhoeam multum facit: ita in aqua althaeae ſolutus demulcet, cum aqua hordei mixtus refrigerat et detergit, cum aqua plantaginis refrigerat et roborat, cum aqua calcis ſiccat etc.

Morſulos antimoniales KUNKELII, qui alias p.236.
ex antimonio et amygdalis dulcibus et ſtrobilis parantur, alia ratione conficere docet Cl. Auctor, et loco amygdalarum et ſtrobilorum, qui facile rancorem concipiunt, corticem citri conditum et amylum recipere iubet.

Vt Kermes minerale rite obtineatur, requiritur, p.285.
vt fruſta antimonii crudi, magnitudine nucis auellanae recipiantur, his liquor nitri fixi, dein aqua pluuialis adfundatur, poſtea materies haec coquatur,

liquor

liquor ad remanentiam tertiae partis filtretur, huic denuo liquor nitri fixi et aqua pluuialis adfundatur et vt prior liquor tractetur, idque tertia vice repetatur, tandem tria illa decocta commiſceantur et per aliquot tempus ſibi relinquantur. Quo facto aqua pura decantatione ad duas tertias effundatur parsque remanens per filtrum traiiciatur atque pulvis, in filtro reſtans, aqua calida tamdiu elutrietur, donec omnis ſalſedo ceſſet. Pulueri demum in filtro ſiccato et ab eo remoto ſpiritus vini adfundatur et ſuper eandem accendatur, hicque labor ter repetatur. Sic demum puluis obtinetur, colore granorum Kermes donatus. Hac ratione, ſi verum Kermes minerale obtineri debet, procedendum eſſe, Noſter monet, neque alio modo iſtud rite obtineri, aſſerit. Quod vires attinet, iſtud vomitum excitare, vel per inferiora purgare, ſudorem atque vrinam pellere et expectorationem promouere, dicit.

p.310. Antihecticum ſic dictum Poterii neutiquam MICHAELI POTERIO, medico germanico, ſed PETRO POTERIE medico gallico adſcribendum eſt.

p.434. Alumen interne ſumtum haemorrhagiis medetur, requiritur autem, vt vaſa ſanguine vel per haemorrhagiam vel per venaeſectionem ſufficienter depleta ſint, vt omnis febris abſit neque haemorrhagiae febre lenta nec dyſenteria ſtipentur.

p.444. Nitrum in initio gonorrhoeae, ſi quando indicatio refrigerantia et anodyna requirit, conducit, nocet vero, quando ſymptomata eiusmodi ceſſarunt; liquores enim animales incraſſans fluxum minuit ideoque materiem cum ſanguine miſcet et lui venereae ortum tunc praebere poteſt.

p.445. Idem ſal nunquam tanquam purgans exhibendum eſt. Stimulat enim et deſidendi deſiderium excitat, neque tamen quidquam euacuat.

Si par-

Si partes duae ſalis tartari cum parte vna florum ſulphuris miſcentur et calcinantur, poſtmodum in aqua ſoluuntur, ſolutio demum per filtrum traiecta ad cryſtalliſationem reponitur, ſal obtinetur, ſali polychreſto analogum, quod ſal panchreſtum vocatur, p. 457.

Reſiduum nitri, quod omnem cryſtalliſationem reſpuit et mater nitri vocatur, exterius in morbis cutaneis, inueterata v. g. ſcabie cum ſucceſſu adhibetur. p. 480.

Sal mirabile GLAUBERI inter omnia ſalia optime cum manna coniungitur et in affectibus, praecipue hyſtericis et hypochondriacis conducit, ibidemque humores viſcidos ſoluit et obſtructiones expedit. p. 498.

III.

Elemens de Chymie Theorique. Par M. MACQUER, Docteur-Régent de la Faculté de Médecine de Paris et de l'Academie Royale des Sciences. A Paris, chés Iean-Thomas Heriſſant, 1749. 8. Alph. 1. pl. 8. tab. aen. 4 *).

et

Elemens de Chymie Pratique contenant la Deſcription des Operations fondamentales de la Chy-

*) Vterque liber denuo recuſus eſt Pariſiis; prior, elementa ſcilicet theoretica anno 1754, alter, elementa practica 1756. Ob praeſtantiam quoque huius libri et vtilitatem, quam adtulit ſcientiae chemicae, germanice redditus prodiit hic Lipſiae, prior pars theoretica 1752, practicae vero ambae 1753. Cum vero haec germanica editio innumeris abundet vitiis, optandum eſt, vt maiori diligentia vtilis hic liber denuo vertatur.

Chymie, avec des Explications et des Remarques sur chaque Operation. Par M. MACQUER etc. Tome Premier. A Paris chez Iean-Thomas Heriſſant, 1751. 8. Alph. 1. pl. 22. Tome Second. 1751. 8. Alph. 2. pl. 2.

h. e.

Elementa Chemiae theoreticae. Auctore Cl. MACQUER etc.

et

Elementa Chemiae practicae, quae deſcriptionem operationum fundamentalium chemiae vna cum explicationibus et annotationibus ſuper quauis operatione continet. Auctore Eodem. Tomus I et II etc.

Ordo tractationis ita ſe habet: primo Noſter lectorem ſupponit, nulla quaſi cognitione chemica inſtructum, idque eo fine, vt a ſimpliciſſimis eum ad magis compoſita duceret. Ob hanc itaque rationem primo de rebus ſimpliciſſimis, tanquam elementis, ex quibus reliqua componuntur, agit horumque proprietates exponit. His expoſitis eas res, quae immediate ex iſtis conſtant, quorſum in primis referas ſubſtantias ſalinas, pertractat, hasque iterum, reſpectu aliorum, tanquam ſimpliciſſimas conſiderat. Poſthac ſubſtantias metallicas perpendit, quas aeque ac ſalinas, minus compoſitas exiſtimat; tum autem ad varias oleorum ſpecies progreditur, quae et vegetabile et animale et minerale regnum ſuppeditat. Hisce igitur conſideratis omnium nunc principiorum, quae in compoſitione corporum vegetabilium et animalium concurrunt,

quae-

quaeque ideo fermentationi obnoxia ſunt, notiones enaſci putat atque ob id de fermentatione in genere agit, inſimulque oſtendit, quonam ordine diuerſae illae, quae in compoſitione concurrunt, materiae obtineantur, quaeque ceu educta vel quae tanquam producta conſideranda veniant. His explicationem tabulae, quam de affinitate tradidit Cl. GEOFFROY, ſubnectit, tandem de vaſis furnisque vſitatioribus agit. Ex his autem ſequentia cum lectoribus noſtris communicamus.

Aerem primo loco Noſter conſiderat: huius proprietatem ſingularem, elaſticitatem nempe praecipuorum et notatu digniſſimorum, quae et in analyſi et coniunctione corporum obueniunt, phaenomenorum cauſſam ſiſtere, innuit. p. 4.

Aqua, vti conſtat, certum duntaxat caloris gradum ſuſcipit, idque eam ob rationem, quoniam volatilis eſt et tunc demum euaporat. p. 7.

Terra fixa eſt et violentiſſimo igni reſiſtit. Nunquam ea ab aliis ſubſtantiis ſeparata obtinetur; idque ex eo patet, quod terra ex variis corporibus obtinetur, variis proprietatibus diſtincta, manifeſto indicio, alias ei ſubſtantias admixtas eſſe. In genere tamen duae tantum ſpecies terrarum occurrunt: altera fuſibilis, altera non fuſibilis; haec absque illa eſt, illa vero hanc plus minus admixtam habet, ideoque magis compoſita eſt. p. 9.

Ignis, ex particulis infinite paruis conſtans, motu continuo et admodum veloci agitatur ideoque natura fluidus eſt omnibusque corporibus fluiditatem conciliat, quae reſpectu ignis ſolida ſunt; imo adeo aerem ipſum ſolidum fieri, ſi poſſibile ſit, igne eum priuare, Noſter aſſerit. p. 13.

Phlogiſton ignis quidem elementaris materiem continet, ſed aliis ſubſtantiis fixatum et ab eo differt, quod corpori cuidam vnitum huic nec calorem nec p. 14.

lumen

lumen communicat 2) nec quidquam in eo reſpectu ſoliditatis vel fluiditatis mutat, ita vt nec ſolidum corpus, addito phlogiſto, fluidum euadat, nec fluidum ſolidum fiat; 3) quod denique ex corpore, cui vnitum eſt, in aliud transferri poteſt, cuius compoſitionem intrat et fixatum manet.

p. 19. Haec ſunt principia primaria, in quae vltimo reſoluuntur corpora: ante quam vero principia haec euoluantur, certae quaedam ſubſtantiae obtinentur, quae quidem reſpectu corporum, quae conſtituunt, ſimpliciores ſunt, quae vero ex primariis iſtis principiis conſtant. Talia vocantur principia ſecundaria, ſuntque inprimis ſubſtantiae ſalinae atque oleoſae. Antequam vero hae ipſae diſquirantur, Noſter neceſſe nunc eſſe putat, vt generalis de affinitate corporum exhibeatur notio, qua quippe declarari demum poſſit, cur corpora inter ſe inuicem coniungantur vel et interdum, ſi ea tollatur, ſeparen-

p. 23. tur. His expoſitis de ſubſtantiis ſalinis in genere agit, quas omnes ex coniunctione aquae et terrae ortum duxiſſe putat, idque ex eo probare autumat, quod ſit inter ſales et aquam et terram conuenientia, quodque demum omnes ſales in aquam et terram conuerti poſſint. Simpliciſſimum corporum ſalinorum acidum eſt, quod ſub forma quidem fluida apparet, ſed ſecundum Noſtri ſententiam natura ſolidum eſt. Cauſſam autem, cur fluidum ſemper fere appareat, in affinitate quaerit Cl. Auctor, vtpote quam tantam eſſe putat, vt aquam, ſtatim ac eam attigerit, in ſe ſuſcipiat ſicque fluidum euadat. Quod ad alcalia ſpectat, horum mixtionem maiorem, quam in acidis ingredi, terrae quantitatem oſtendit, idque ex eo probat, quod in analyſi plus terrae quam in acidis obtineatur, quod deinde ex coniunctione certorum acidorum cum certis terris alcalia produci poſſint, quod denique minorem,

quam

quam acida cum aqua affinitatem habeant et fixa magis ſint, cum ignis vi plane reſiſtant.

Acidum vniuerſale et acidum vitriolicum Noſtro idem eſt, oleumque vitrioli a ſpiritu vitrioli non niſi aquae copia differre autumat, ſiquidem in hoc plus, in illo minus aquae deprehendi, monet. Nitroſum acidum nihil aliud quam ipſum acidum vitriolicum, cum certa quantitate phlogiſti putrefactionis ope coniunctum, eſſe aſſerit; quam coniunctionem tamen aliter ac in ſulphure cum phlogiſto coniuncto ſtatuendam eſſe, monet. Qua in re acidum ſalis reſpectu mixtionis ab acido vitriolico et acido nitroſo differat, nondum certo conſtare, Noſter aſſerit. Licet enim iſtud ex acido vniuerſali et principio mercuriali compoſitum eſſe BECCHERUS et STAHLIUS dixerint, hancce tamen ſententiam probatam non eſſe, autumat, ſiquidem ſecundum Noſtri ſententiam nec mercuriale principium declaratum ſatis eſſe videatur. Hinc ad ſingulares tantum proprietates, quae iſtud ab acido vitriolico et nitroſo diſtinguunt, attendendum eſſe, cupit. Ita nimirum acidum ſalis, cum calce viua aut creta coniunctum, neutiquam cryſtalliſatur, tuncque exſiccatum aquam ex aere attrahit; cum terra abſorbente nondum penitus ſaturatum ſalem conſtituit, proprietatibus alcali fixi donatum etc. ſique demum ad affinitatem reſpiciamus, quam acidum vitriolicum et nitroſum cum alcali fixo et terra abſorbente habent, acidum ſalis minorem eam, quam dicta acida habere, ideoque hiſce proprietatibus ab iſtis acidis diſtingui, liquet. Id tamen ei cum memoratis acidis commune eſt, quod cum phlogiſto maiorem affinitatem habeat, quam cum alcali, ex qua dein combinatione ſingularis ſulphuris, vt Noſter dicit, ſpecies enaſcitur, quae phoſphorus audit,

p. 38.

p. 46.

p. 52.

dit, quique hoc ſingulare habet, quod absque alia adiuncta materie in aere libero inflammetur.

p. 74. Subſtantias metallicas ex terra vitreſcibili cum phlogiſto vnita componi, notum eſt: hiſce principiis tertium, mercuriale nimirum adiunxerunt BECCHERUS et STAHLIUS, licet huius exiſtentia vix certo probari poſſit. Attamen praeter terram vitreſcibilem et phlogiſton, aliud quoddam in compoſitione metallorum concurrere, experimenta ſuadent. Verae enim terrae vitreſcibiles cum phlogiſto iunctae nunquam in metallum abeunt, cum tamen calces metallorum, quae in vitrum commutantur, additione phlogiſti, quod ab iis antea ſeparatum fuit, priſtinum rurſus ſtatum metallicum aſſumant. Inde in calcibus metallorum cum terra vitreſcibili aliud quoddam principium metallicum, coniunctionem formans, iunctum eſſe liquet.

p. 85. Aurum, licet reſpectu malleabilitatis et ductilitatis omnibus metallis palmam praeripiat, facilius tamen quam reliqua ductilitatem amittit, ſi quando in fuſione conſtitutum carbonum vapores tangunt.

p. 89. Argentum nunquam quidem in acido ſalis et difficulter admodum in acido vitrioli ſoluitur, exinde tamen non ſequitur, nullam affinitatem inter dicta acida et argentum eſſe, imo potius contrarium probari et argentum cum iisdem acidis maiorem quam cum acido nitroſo alere, Noſter ex eo probare putat, quod argentum, aqua forti ſolutum, addito acido vitriolico ſeu acido ſalis praecipitetur, ſeque his iungat, eaque ſecum in fundum rapiat.

p. 154. Si partes aequales nitri et antimonii commiſcentur iisque portio ſubſtantiae cuiusdam inflammabilis adiungitur, atque maſſa demum detonatur, ſulphur quidem antimonii conſumitur, neque tamen regulus, qui hacce methodo paratus plane purus, nec vllo metallo commixtus eſſe ſolet. Licet autem

hac ipſa operatione regulus multum phlogiſti amittat, hocce tamen facile reſtituitur, ſi quando maſſae calcinatae ſubſtantia quaedam inflammabilis additur.

Biſmuthum fuſione cum ſulphure vnitur tunc- p.160.
que ſubſtantiam format, quae ex ſpiculis ſibi inuicem impoſitis conſtare videtur.

Arſenicum cum baſi nitri facile coniungitur for- p.171.
matque tunc ſalem neutrum; id vero cum baſi ſalis marini non fit, niſi eo in caſu, vbi cum dicta baſi acidum nitri antea vnitum et ſic dictum nitrum cubicum productum fuit.

Praecipuas aetherei iſtius fluidi ex coniunctione p.204.
olei vitrioli et ſpiritus vini producti, proprietates ſequentes numerabis. Iſtud nimirum ſpiritu vini leuius, volatilius et inflammabile magis eſt; aeri libero expoſitum facile diſſipatur ſubitoque flammam concipit, ſi quando ignis in propinquo eſt. Comburitur absque fumo nec carbonem nec cineres relinquit. Olea oleoſasque materias facile ſoluit, qua in re cum ſpiritu vini quidem conuenit, ſed ab eo differt, quod nullum cum aqua ineat connubium. Hoc etiam ſingulare habet iſtud fluidum, quod aurum, in aqua regia ſolutum, ſeparet ſibique vniat et ſolutum tunc teneat.

Rerum igitur naturalium principiis horumque mixtionis et compoſitionis modis expoſitis, atque fermentationis etiam tum ſtrictae ſic dictae, ſpirituoſae nimirum et acidae, tum putridae ſeu putrefactionis notione exhibita, de analyſi chemica in genere nunc diſſerit, qua explicata affinitates corporum commemorat. In explicandis hiſce affinitatibus p.256.
Noſter quidem virum quondam Clariſſ. GEOFFROY nimirum, quippe qui, vti conſtat, primus hanc de affinitate corporum doctrinam in ſyſtematicum ordinem redegit, ſecutus eſt, eiusdemque etiam ta-

bulam de affinitate corporum appoſuit, ita tamen, vt quae corrigenda fuerunt, corrigeret, ſeu quae ab eo tempore magis magisque detecta fuere, communicaret.

Progredimur ad Elementa Chemiae practicae, quam duobus Tomis Noſter comprehendit. In priori operationes tantum cum mineralibus ſuſcipiendas exhibet, ita, vt ſectione prima in diſquirendis ſubſtantiis ſalinis mineralibus verſetur, ſectione ſecunda in metallis et tertia demum in ſemimetallis laboret. Poſteriori autem Tomo et vegetabilia et animalia ſimul diſquirit. Rationes, cur in diſquirendis corporibus a regno minerali incipiat, deinceps ad vegetabile progreſſum faciat, tandem in animali deſinat, ſequentes Noſter in praefatione reddit. Prima eſt, quod vegetabilia ex mineralibus, et animalia ex vegetabilibus nutrimentum capiant et corpora proinde, quae regna haec conſtituunt, per gradus quaſi producta eſſe videantur. Altera eſt, quod talis tractationis ordo eo deducit, vt principia a primo ortu, quem minerale regnum ſuppeditat, ad ſummas vſque combinationes, quae in corporibus animalibus deprehenduntur, perueſtigari poſſint. Tertia demum eſt, quod mineralium analyſis facillima ſit, dum ea, vel ex paucioribus principiis conſtant, vel etiam actionem ignis, violentiſſimi adeo, perferant, neque tamen alterantur, nec inſigniter mutantur. Licet autem haec Noſtro cum aliis ſcriptoribus chemicis communia ſint, in analytica tamen corporum diſquiſitione paululum deflectit et operationes hic coniunctas tradit, quae in aliis chemiae ſcriptis vix tales occurrunt. Dum nimirum de inſtituenda corporis cuiusdam v. g. acidi vitriolici deſtillatione agit, ad primam ideo originem huius acidi ſeu matrices recurrit et operationes tradit, quae artificem de vitriolo, ſulphure etc. ex pyritis obtinendo, inſtruunt. Licet

cet enim acidum iſtud in vitriolo, ſulphure etc. contineatur, haecce tamen corpora neutiquam tanquam primordialia, ſed vt talia conſideranda ſunt, quae ex aliis prius ſubſtantiis v. g. pyritis elici debent. Hinc primo oſtendit, quomodo ex his vitriolum, ſulphur etc. obtineantur, poſtmodum ad analyſin cuiuscunque horum corporum progreditur tuncque docet, quomodo ex ſingulis eorundem vitriolicum acidum eliciatur. Hiſce operationibus inſtitutis, alias, cum dicto acido plerumque inſtituendas, communicat; ſieque tali ordine et reliqua mineralia a Noſtro perueſtigata eſſe, deprehendimus. Quod ad vegetabilia ſpectat, quae in poſteriori Tomo pertractantur, eorum, cum fermentationi obnoxia ſint et principia exhibeant diuerſa ab iis, quae a nondum fermentatis obtinentur, duplicem Auct. conſtituit claſſem, quarum prior vegetabilia in ſtatu naturali conſiderat, poſterior autem ea, quae fermentationem ſubierunt, perpendit. Analyſin hanc ab iis operationibus orditur, quarum ope principia obtinentur, quae absque ignis adiumento extrahuntur, tunc autem ad eas operationes Noſter progreditur, quae plantas ope caloris, per gradus aucti, in partes reſoluunt. Tali vero ordine corpora, in animali regno obuia, neutiquam pertractat, ſi quidem ſubſtantiae, quae ea componunt, vltimo tantum fermentationis gradui obnoxiae ſunt et principia inſuper, quae exhibent, ſemper eadem ſunt, ſiue ea putrefactionem ſubierint, nec ne, eademque ſola tantum proportione et ordine, ſecundum quem in analyſi ſecedunt, variare ſolent. Cum lac medium quaſi inter vegetabilia et animalia teneat, iſtud proinde primo loco a Cl. Auctore diſquiritur; poſthac in earum ſubſtantiarum analyſi occupatur, quae corpus animale proprie componunt, tum autem excrementa animalium, tandem

alcali volatile, quippe quod in analyſi corporum animalium praecipuum obiectum largitur, diſquirit. At vero cum finis chemiae non in ſola tantum analyſi conſiſtat, ſed in combinandis quoque corporibus verſetur, ſub finem ideo huius libri, ſermone tamen admodum breui, operationes quasdam adnectit, quae docent, qua ratione corpora varie componi poſſint.

IV.

Oekonomiſche Pflanzenhiſtorie, nebſt dem Kern der Landwirthſchaft, Garten- und Arzneykunſt, entworfen von BALTHASAR ERHART, *M. D. der F. R. Stadt Memmingen Phyſico Ordin. wie auch der Kayſ. Leop. Carol. Soc. Nat. Cur. Collega. Ulm und Memmingen, auf Koſten der Gaumiſchen Bubhhandlung*, 8. *I Band* 1753. 19 *Bog. II B.* 1753. 17 *Bog. III B.* 1754. 14 *Bog. IV B.* 1756. 12 *Bog. V B.* 1757. 14 *Bog. VI B.* 1758. 1 *Alph.* 2 *Bog. VII B.* 1759. 1 *Alph.* 3 *Bog. VIII B.* 1760. 14 *Bog. IX B.* 1760. 13 *Bog. X B.* 1761. 13 *Bog. XI B.* 1761. 10 *Bog. XII B.* 1762. 13 *Bog.*

i. e.

Oeconomica plantarum hiſtoria, cum ſelectis obſeruationibus ad rem ruſticam, horti culturam et medicinam pertinentibus. Auctore BALTHASAR ERHARTO, M. D. Tom. I-XII.

Con-

Continet hoc opus enumerationem partim ſelectarum plantarum, herbarum, arborumque, quae vel ſponte in Germania proueniunt, vel in agris hortisque coluntur, et vel propter neceſſitatem, vel oblectamentum ab hominibus aeſtimari et adhiberi ſolent, partim ſermones breuiores, qui agri, graminum, ſyluae, hortique culturam, terrae praeparationem, aliaque concernunt, vel medicinam domeſticam exponunt, vel ad alias ſcientias artesque perficiendas et excolendas aliquid contribuunt; Quo etiam fundamenta rei herbariae ſenſim ſenſimque quaſi addiſcant tyrones, ſparſim de terminis technicis, eorumque ſignificatu, et de partibus plantam componentibus, earumque vſu notatu digniſſima propoſuit Cel. Auctor. Vbique autem vtile dulci immiſcuit, veterumque auctorum claſſicorum, poetarum inprimis, teſtimonia frequenter adduxit, nec non recentiorum germanicorum BROCKII, HALLERI, TRILLERI et aliorum poematibus animum recreauit, ſummique creatoris ſapientiam ex qualibet fere herba luculentiſſime demonſtrauit. Plantas et botanice, et medice et oeconomice pertractauit, concinnius alias, alias prolixius, et praecipue de illis copioſius egit, quae oeconomico ſuo vſu omnibus ſeſe commendant. Et in hac re optimos ſecutus fuit auctores, ex iisdemque et vera commemorauit et fabuloſa, haec autem a prioribus ſollicite ſeparauit, omniaque, etiam ea, quae ad rem herbariam pertinent, plano facilique modo propoſuit, quo ab omnibus intelligi et in vſus omnium conuerti poſſint. Totum quidem opus ERHARTI Auctoris nomen gerit, verum Tomo quinto edito, mortuus ad ſuperos abiit, reliquasque partes alius quidam elaborauit. Is, quisquis ſit, eodem continuauit tramite, in nonnullis tamen mutationem quandam factam fuiſſe cognouimus. Ita ſucceſſor ERHARTI

methodum Raianam, in prioribus Tomis assumtam, cum Tournefortiana commutauit et secundum hanc plantas considerauit; Ita Nouus Auctor in illis, quae ad botanicam plantarum descriptionem spectant, et prolixior fuit, et accuratior, sed dulcia rarius interspersit, hinc magis docuit quam delectauit. Quo vero vniuersi operis dignitas sufficienti innotescat ratione, et generalem sciagraphiam totius praemittere, et nonnulla speciminis loco speciatim addere voluimus.

Duodecim Tomis absoluitur opus, quilibet autem Tomus *quatuor sectiones*, siue vt dicitur, *Excursiones* continet, quarum 1) in agros, 2) in prata, 3) in syluas et 4) in hortos oleribus, arboribus, floribusque conspicuos instituitur. Prout autem *Tomus XII.* Indicem generalem continet, ita et *Tomi I. prior*
p. 1. *sectio* generalia de regno vegetabili exponit, et inprimis de multiplici, quem ex plantis et earum consideratione, obtinemus, vsu differitur, summi creatoris omnipotentiam sapientiamque nunquam satis admirandam in regno vegetabili luculentissime opponere, quamlibetque herbam Deum monstrare, prolixa atque amoena oratione ostenditur, oblectamenta denique et commoda, inde in humanum corpus redundantia recensentur, et vbique asserta egregiis ac singularibus exemplis illustrantur. In *secun-*
.139. *da sectione*, Prooemii loco de adminiculis, in re herbaria addiscenda, necessariis disputatur; horum autem primarium plantarum censetur denominatio. Maxima enim hic occurrit confusio, et quaelibet regio, quilibetque fere auctor alia aliaque inuenit retinuitque nomina. Cum autem eiusmodi, qualis hic traditur, oeconomica plantarum historia, ad varios homines pertineat, latina, gallica et germanica nomina, et priora ex C. BAUHINO ac

TOUR-

TOURNEFORTIO, gallica TOURNEFORTII, CHOMELII aliorumque, et vltima in primis in officinis vſitata, vel in floriſtis notata adduci et retineri debent. Praeter ea etiam, praecipue in minus cognitis plantis, externum earundem habitum ſtructuramque annotare, immo addita icone illuſtrare debemus, qua in re figuras naturales artificialibus praeferendas eſſe, Cel. ERHARTUS exiſtimauit, ideo herbarium viuum portatile, ſua opera compoſitum, tanquam optimum adminiculum laudauit. *Excurſ. I.* martio menſe inſtituta, de hiemis vtilitate, Viola, Bellide, Taraxaco, Tuſſilagine, Paronychia *), Locuſta, dignitate rei ruſticae; p. 171. *Exc. II.* de Lamio purpureo, Senecione, Veronica, Alſine, operibus februaria et martio menſe in horto culinari inſtituendis, Corno, conſtitutione pometi, praeſcindendis arboribus, omnibusque fere illis, ad hanc operationem pertinentibus; p. 219. *Exc. III.* de Primula, Ficaria, Bugula, Populagine, Petaſitide, Cardamine, Naſturtio, differentia terrarum, quibus plantae inhabitant, humo praecipue diſſeruit Cel. ERHARTUS. p. 263.

Tom. II. Exc. IV. ſyluaticas plantas, Pulſatillam, Quinquefolium, Fumariam bulboſam, Pulmonariam ſquamariam, Chryſoſplenium, Ranunculum, ſelectum praeſtantiſſimorum medicamentorum, et praeſtantiam vegetabilium, diuerſis menſibus colligendorum; p. 1. *Exc. V.* pratenſes plantas, Helleborum nigrum, et viridem, Helleboroidem, Leucoium bulboſum, Narciſſum, Hepaticam, Crocum, opera hortulanorum hyberna, et hybernacula; p. 32. *Exc. VI.* Bonum Henricum, Hederam terreſtrem, Lamium album, Plantaginem, Eſulam, Xyloſteum, Prunum Sylueſtrem, p. 85.

*) Nomina plantarum retinuimus ea, quae Cel. Auctor tradidit, licet non ſemper optima ſint, et in cognoſcendis plantis dubios quandoque nos relinquant.

Oxyacantham, Groſſulariam, Viburnum, Lichenem, denique ſtercorationem; *Exc. VII.* pratenſes aprili florentes, Plantaginem anguſtifoliam, Acetoſam, Tragopogonem, Ocymaſtrum, Ranunculum acrem, Echium ſcorpioidem, Beccabungam, Trifolium fibrinum, modum plantarum vires eruendi, et remedia domeſtica emetica ac purgantia, *Exc. VIII.* ſyluaticas plantas, Alchimillam, Biſtortam, Acetoſellam, Saniculam, Myrtillum, Matriſyluam, Vincam, Laureolam, Sambucum racemoſam, Carpinum, Alnum, conſiderauit, et diſſertationem, de ſyluarum cultura, lignorum ſpeciebus, ſerendisque arborum ſeminibus etc. adpoſuit.

p. 140.

p. 189.

p. 3. *Tom. III. Exc. IX.* de Oleribus vernalibus, Spinacia, Aſparago, Campanula eſculenta, Porro, horti oleracei arborumque cultura, et praeſertim inſitione; *Exc. X.* de hortenſibus, Auricula, Primula, Corona imperiali, Fritillaria, Hyacintho, et de Methodo plantarum in genere, Raiana vero in ſpecie egit.

p. 95.

p. 1. *Tom. IV. Exc. XI.* maio ad vias et ſepes inſtituta, Chelidonium, Polygalam, Lapathum acutum, Alliariam, Rhamnum catharcticum, Euonymum, Frangulam, Opulum, Padum, Lilac, Fraxinum, Populum; *Exc. XII.* Amoenitatem pratorum generatim, plantasque in illis creſcentes Trifoliatas in genere, et in ſpecie Trifolium pratenſe purpureum, Lotum corniculatam, dein Cerefolium ſylueſtre, Bellidem maiorem, Gramen nodoſum, Criſtam galli, varias Scirpi ſpecies, Valerianam ſylueſtrem, Iridem luteam, Veronicam aquaticam maiorem, Equiſetum expoſuit, monitaque de ſingularium plantarum viribus, ab eruditorum ſocietate inueſtigandis, addidit.

p. 112.

p. 1. *To. V. Exc. XIII.* Segetum incolae, Aparine, Acetoſa parua, Sinapi aruenſe, Napus, Alchimilla minima, Lithoſpermum radice rubra, et annexa diſſertatione apparens plantarum, inter ſegetes creſcentium,

tium, vltilitas; *Exc. XIV.* Syluaticae, Polygonatum, Orchis, Elichryſum, Galeopſis, Adianthum aureum, Acer, Abies, Pinus, Vlmus, Populus tremula et Sorbus aucuparia, proponuntur, et tandem de ratione, qua plantae variae, variisque ſuccis praeditae, in vno eodemque ſolo creſcere poſſint, diſputatur, qua in re Cel. Auctor ſuccum ex terra hauſtum, in planta fermentatione quadam mutationem, propriamque indolem accipere, ſtatuit. *Exc. XV.* in hortum inſtitutæ, maio menſe, Angelica erratica, Fumaria, Cochlearia, Ariſtolochia vulgaris longa, Arum, Aſarum, Lapathum ſanguineum et ſatiuum, et Chaerophyllum inuenitur. p. 49. p. 163.

Tom. VI. Exc. XVI. Iunio ad vias ſepesque florentes plantae ſunt Anſerina, Campanula eſculenta, Geranium robertianum, Gallium, Caryophyllata, Symphytum, Sanguiſorba, Cornus femina, Liguſtrum, Berberis, Clematis; accedit diſſertatio de Sepibus conſtruendis. *Exc. XVII.* inter pratenſes et aquaticas, Scabioſam, Horminum, Carum, Lathyrum, Medicam, Echium, Hieracium, Iaceam, Lychnidem plumariam, Dulcamaram, Erucam, Lenticulam paluſtrem, Sparganium, Perſicariam amphibiam. *Exc. XVIII.* inter ſegetes et in aruis, Chamaemelum, Knawel, Spergulam, Raphaniſtrum, Lolium, Thlaſpi, Burſam paſtoris, Rubiam conſiderauit, et de praecipuis infantum morbis, variolis inprimis et morbillis curandis, praecepta dedit. p. 1. p. 114. p. 240.

Tom. VII. Exc. XIX. In ſyluis iunio floret Belladonna, Vaccinia rubra, Betonica, Tormentilla, Milium ſolis, Chamaenerium, Veronica off. in fine legimus tractationem, de partibus plantarum generationi inſeruientibus. *Exc. XX.* Montanae et alpinae iulio florentes Pinguicula, Gentianella, Trollius, Cardamine fl. pleno, Primula alpina, Oxycoccus, Lunaria racemoſa, Roſella, Victorialis longa, Statice, p. 1. p. 106.

Dry-

Dryas, Vaccinium fol. annuis, Valeriana fol. tripteris, Soldanella alpina, Geum rotundifolium, Polypodium, Larix, Tamariſcus, Staphylodendron. *Exc.*
p.237. *XXI.* inter olera et in horto viget Lampſana, Sonchus, Gramen caninum, Tithymali ſpecies, Cicuta petroſelini facie, Satureia, Matricaria, Chamaedrys, Scordium, Lepidium, Draco herba, Scorzonera, Calendula, Helenium. Finitur Tomus diſſertatione de inoculatione arborum.

p. 1. *Tom VIII. Exc. XXII.* Praemittitur diſſertatio de ſyſtemate Tournefortiano. Et haec vltima eſt hiſtoriis plantarum interſperſa tractatio; in reliquis, quae nunc ſequuntur, partibus, ſolum de plantis agitur, et cum harum plures breuiori ſermone exponantur, primarias tantum notemus. Iulio ad ſepes et ſegetes occurrit Parietaria, Saponaria, Linum catharcticum, Hyoſcyamus, Fagopyrum, Cya-
p.133. nus, Delphinium, Melilotus, Cuſcuta, *Exc. XXIII.* In pratis et ſyluis Serpillum, Brunella, Nummularia, Millefolium, Vlmaria, Pimpinella alba, Hypericum, Erica, Lycopodium.

Tom. IX. Praecedentis eſt excurſionis continuatio, atque Stachys, Linagroſtis, Verbaſum, Geniſta
p. 41. tinctorum, Ebulus; *Exc. XXIV.* hortenſes plantae, Alkekengi, Hyſſopus, Abſinthium, Borrago, Meliſſa,
p.118. Mentha, Siſarum. *Exc. XXV.* Auguſto ad vias, aquas et prata inſtituta, Verbena, Polygonum, Artemiſia et inde paranda Moxa, Solanum vulg. Alcea, Sphondylium, Onobrychis, Ranunculus Sardonius, Triglochim, deſcribuntur.

p. 1. *Tom. X. Exc. XXVI.* Auguſto in aruis et ſyluis Anagallis floret, Telephium, Carlina, Centaurium minus, Arnica, Gramen oſſifragum, Allium, *Exc.*
p. 80. *XXVII.* ad montes et alpes Polium, Napellus, Ribes baccis nigris, Lilium, Imperatoria, Cicuta, Vincetoxicum, Gentianella alpina, Veratrum, Caſtanea.

Tom.

Tom. XI. Exc. XXVIII. hortenſes plantae, Lotus vrbana, Angelica off. Leuiſticum, Tanacetum, Fraxinella, Colutea, Ocymum, Marum, Lauendula, Foeniculum, Ricinus, Liquiritia Momordica, Capſicum, et *Exc. XXIX.* Septembri florentes, Cardui, Bardana, Dipſacus, Colchicum, Eupatorium, Bidens, Parnaſſia, Balſamina lutea, Viſcum proponuntur. p. 1. p. 91.

Data ſic ſynopſi totius operis, quosdam ex eodem ſparſim decerpamus flores; non vero credendum, hos ſolos eſſe, qui animaduerti merentur, potius nimia copia obruti plurimos omittere debemus. Excurſiones Botanicae ſenſus, viridisque plantarum color viſum in primis, roborant, hinc rariſſime myopes inueniuntur botanici. Vernales plantae omnes vel humiles ſunt, vel ſaepe nullum oſtendunt caudicem, virtute vero medicata reliquas, certe plurimas, antecellunt, et licet vires earundem nondum ſatis exploratae ſint, calculorum tamen, in veſicula fellea boum genitorum, ſolutio a deuoratis eiusmodi herbis earundem egregiam virtutem certiſſime comprobat. De praeſcindendis arboribus dum egit Cl. Auctor, in ortum huius operationis eleganter inquiſiuit: Arbores eius modi alto trunco inſignitas creauit, eisdemque, perfectum incrementum adeptis, facultatem fructus ferendi conceſſit Creator; cum itaque fructus non citius prodeant quam ſummitas trunci perfecta eſſet, et truncum in ſummitate laeſum fractumque citius fructus exhibere, fortuito caſu adparuiſſet, ratioque quemlibet ramum arborem eſſe, cognouiſſet, factum eſſe dicitur, vt ramorum ſummitates integrosque ramos, immo, quia rami radici propiores, et celerius creſcunt, et vberiorem fructuum meſſem proferunt, inſitum, poſt annuum incrementum, ramulum praeſcinderent, arborem quaſi acaulon redderent, et celeriorem copio- p. 13. p. 200. p. 239.

copioſioremque fructuum prouentum efficerent.
p.242. Gemmarum tres ſpecies conſtituit, *lignoſas* ſcil. quae acutae ſunt et tenues, et in ramum non florentem mutantur, *folioſas*, quae proxime ſibi inuicem adpoſitae exiſtunt, et *floriferas* rotundas, craſſas, breuesque; vltimae etiam eo facilius innoteſcunt, dum ex 3. 4 vel 5 foliis ſibi preſſe appoſitis originem ſumunt. Integra haec tractatio legi me-
p.272. retur. *Populaginis* flores, nondum euoluti, inſtar capparidis fructus, aceto condiuntur, aſt cauſtica virtute pollent, hinc caute illis vtendum, tinctoribus vero vtiles eſſe poterunt; plurimaeque vernales
T. II. plantae pigmenti ſpeciem praebent. *Hederae terre-*
p. 90. *ſtri* plurimae virtutes tribuuntur medicae, et in cereuiſia coquenda vtiliſſima exiſtit, claram reddit eandem, nimisque celerem fermentationem impedit.
p.147. *Tragopogonis* radicem optimum et hominibus praebere nutrimentum, illamque cultam forte eam fuiſſe radicem, qua Iulius Caeſar ſuos, a Pompeio incluſos milites conſeruauit, Cel. Auctor aſſeruit. *Myrtilli* folia eo tempore, quando flores decidunt fructusque rudimentum modo adparet, collecta, optime Thee Sinenſium ſubſtituuntur, et dum vel in figulino vel ferreo vaſe coquuntur, nunc viridis, nunc Theebou dictae ſpeciei ſaporem referunt.
T. III. Animaduerſione digna eſt obſeruatio, quod her-
p. 40. bae, flore pleno praeditae, abortiant nullumque fructum relinquant, dum e contrario arbores, pleno flore conſpicuae, vt Prunus, Perſica, fructus eos-
T. IV. que fere maiores ferant. *Fraxinum*, cuius Manna
p. 46. cum liquido Betulae ſucco conuenit, ſolaque conſiſtentia differt, ratione oeconomicae vtilitatis Quercui fere praeferendam eſſe, Auctor ſtatuit; etenim celeriter creſcit, omnique aeſtate et copioſos et longos producit ramos, idque fit ideo, quia medullam copioſiorem habet, hoc autem non obſtante, lignum

lignum durius adſumit, medullam aetate in durum nucleum mutat, in vetuſtis arboribus rubicundum colorem oſtendit, exſiccatumque lignum vix findi atque diſcindi poteſt, hinc ad varia vtenſilia commode adhibetur. Ea omnia, quae dum ſemina ſeruntur, dum nouellae arbores tranſplantantur, et ſ. p, ſtudioſe recenſuit, eademque ratione de *Populo, nigra* inprimis ſpecie, egit, huiuſque, ac gemmarum praecipue medicam vim ac vſum oeconomicum ex optimis auctoribus tradidit. p. 68. *Trifoliatarum* plantarum (*Klee*) multiplicationem animalibus tribuit; ſemina enim ab his deglutita non emolliuntur et deſtruuntur, ſed integra iterum eliminantur, et cum ſimo terrae mandata felicius progerminant. p. 132. Terram, quae Trifolium pratenſe purpureum aluit, *Lino* ſerendo aptiſſimam eſſe retulit, et occaſione *Loti* notauit, in veterum libris Trifoliorum nullam fieri mentionem, e contrario *Cytiſi Lotique* nomen frequentius occurrere, ideoque ſub harum plantarum nomine *Trifolia* etiam intellexiſſe veteres, probabile videri. p. 139.

Occaſione *Pedicularis* et *Melampyri*, vtpote plantarum, quae in exſiccatione viridem colorem perdunt, in genere monuit Auctor, eius modi plantas, ratione coloris mutabiles, curioſius eſſe diſquirendas, cum, notante iam RAIO, plerumque pigmentum exhibeant. T. V. p. 32. *Polygonati* radicem amylo conficiendo, p. 58. *Aceris* autem folia ſtraminis loco, et quia facile putreſcunt, ſtercorationi etiam, immo propter contentum dulcem ſuccum nutrimenti loco pecoribus inſeruire aſſeruit, modumque ex huius arboris ſucco ſacchari ſpeciem praeparandi fuſius deſcripſit, et dum de virtute corticis contra dentium dolores egit, decoctum ex adſtringentibus v. g. p. 80. p. 88. *Cort. Granatorum, Roſis rubris, Alumine, Terra Catechu*, et *Aceto* paratum, commemorauit, idque vehemen-

mentiſſimos pertinaciſſimosque dentium dolores mitigare, propria obſeruatione affirmauit. Oleum *Terebinthinae* ſiue potius ex *Abiete*, deſtillatione pa-
p.107. ratum, cum praeſtantiſſimis aliis conuenit, nitrique fumanti ſpiritui admixtum flammam concipit, etſi, vt ſaepe fit, aliis deſtillatis oleis additum fuit, fraudem facile cognoſcimus, dum tectura vitri, nigro atramento inſcriptae litterae breui tempore pallidiores fiunt, omnemque nigredinem tandem amittunt.
p.115. Terebinthina, ex *Pino* parata, vilior cenſetur, impurior eſt, ac minus fluida. *Aſarum* odore cum Va-
p.205. leriana conuenire, felesque et hanc plantam quaerere ac deſtruere affirmauit Cl. ERHARTUS.
T. IV. An *Lenticula paluſtris* ſemina ferat, dubitat Igno-
p.220. tus Auctor, exiſtimatque ſuperflua eadem eſſe, dum ſimili ratione ac Polypi multiplicetur, et a latere ſinguli folii alia ſimilia producantur; hyemali tempore folia haec, quae plantam conſtituunt, cito effugiunt, et ad fundum abeunt, vernali vero iterum aſcendunt. Radiculae ſiue filamenta, ex foliis oriun-
p.232. da, et per aquam deſcendentia, fibroſam ſtructuram habent, et Lino forte ſimilem materiem praebent.
p.312. *Thlaſpeos* vſum in conſeruando frumento et cimicibus tollendis aliorum ac proprio teſtimonio corro-
T.VII. borauit. Notata *Cardamine* flore pleno cum pra-
p.124. tenſi, martio florente, quidem conuenit, aſt tardius, iulio ſcilicet menſe, flores exhibet, eidemque pleni ſunt, maioresque, et rarius invenitur planta. In pratis enim Memmingenſibus paludoſis inter plurima vulgaris plantae indiuidua vnum modo hoc tempore apparuit plenis floribus praeditum, aſt ſimiles flores, ante viginti iam annos, ſaepius, et ſemper quidem eidem loco affixos, obſeruauit, hinc cum per tot annos propagata et conſeruata fuerit, a vulgari forte diuerſam ſpeciem eſſe, exiſtimauit Cl. Au-
p.171. ctor. *Valerianae* virtus antepileptica, a fide dignis viris

viris laudata, recentiori quidem tempore dubia reddita fuit; aſt ſi radix martio menſe, non ſerius, caule iam emiſſo, effodiatur, eademque curioſius exſiccetur, recens, non corrupta in officinis aſſeruetur, iuſta denique doſi aegris exhibeatur, virtutem eam, priſtinamque gloriam ſemper obtinebit. T. IX.
Alkekengi baccas, auctoritate WELSCHII commotus, varium ſaporem habere, gratumque illum eſſe digitis non admotis, ſi vero, vel parum etiam, digitis bacca tangitur, amaritiem contrahere aſſeruit Auctor, et ex eodem phaenomeno ſaporum theoriam illuſtrare ſtuduit. *Maluacearum* plantarum familiam p. 153.
ex fructus calicisque differentia haud ſufficienter, optime vero a foliis diſtingui poſſe legimus, hinc ſequentes, tanquam certiores, a foliis deſumtos, characteres traditos invenimus: eae ſcil. plantae, quarum folia molli lanugine veſtita ſunt, vel ad *Althaeam* vel *Abutilon* pertinent, et ſi haec in lacinias acutas diuiduntur, ad prius, ſi vero indiuiſa manent, ad poſterius genus pertinent. *Maluae* autem ſunt illae, quarum folia lanugine deſtituuntur, et laciniis neque profundis neque acutis, ſed obtuſis minoribusque praedita ſunt et ſubrotundam figuram referunt; ſi autem laciniae acutae, a ſe in vicem magis remotae, profundiores, et ad petiolum proxime tandem coalitae, nouisque laciniis diuiſae inueniuntur, *Alceae* genus conſtituunt. *Ketmiae* vero folia laciniis quidem acutis, ſed non profundis, et ſi profundiores ſunt, tamen non nouis inciſuris laciniata, et plerumque duriora deprehenduntur. T. XI.
Marum verum, vti notum eſt, feles deſtruunt; ſi p. 45.
vero plura huius plantae indiuidua, iuxta ſe poſita exiſtunt, illaeſa manent, hoſtisque inſidias eludunt.

Quae itaque ex multis ſelegimus pauca, operis huius dignitatem vtilitatemque abunde declarabunt. Inſunt quidem et nonnulla, vt nobis videtur, mi-

nus recte dicta, dum e. gr. *Cornus* monopyrena, (Tom. I. p. 230.) *Fumaria* dipetala (Tom. V. p. 171.) *Caryophillatae* calix quinquefidus (Tom. VI. p. 29.) dicitur, dum *Sassafras* arbor cum *Corno femina* (Tom. VI. p. 50.) comparatur, dum transitus humorum in plantis sursum deorsumque circulationis in modum (Tom. I. p. 241.) defenditur, *Agaricus* ex plantarum, quae semina continent, et per semina propagantur, familia separatur, et tanquam humor ex vetustis arboribus effluens (Tom. VII. p. 215.) consideratur, et sic dicti purgantes noduli, vtpote ex laxantibus siue euacuantibus et roborantibus, incongrua ratione, compositi, (Tom. VI. p. 45.) taxantur; verum cum nullum fere scriptum omni parte perfectum existat, eiusmodi leuioribus erratis pretium operis nullo modo imminui, potius eiusdem lectio omnibus iure commendari poterit.

V.

A natural History of Fossils, by EMANVEL MENDES DA COSTA, Fellow of the Royal and Antiquarian Societies of London, and Membre of the Imperial Academy Naturae Curiosorum of Germany. Vol. I. Part I. London, printed for L. Davis and C. Reymers, 1757. 4to. 1 Alph. 15. pl. tab. aen. I.

i. e.

Historia naturalis fossilium, Auctore EMANVELE MENDES DA COSTA.

Dudum a nobis iniicienda erat huius libri mentio, quod et lubenter iam factum fuisset, nisi speraßemus, fore, vt Cl. Auctor, vti in praefamine pollicitus

licitus erat, omne opus absolueret et reliquas fossilium classes eodem modo describeret, quo in hoc volumine eas terrarum ordinauit. Quod vero cum factum hucdum non fuerit, nefas ducimus longius reticere eius delineationem, cum ita omnino confecta sit haec operis pars, vt commoda videatur iis, qui fossilium rerum cognitione ac disquisitione delectantur. Etsi enim negare non possumus, non omnino nobis probari eas notas characteristicas, quibus interdum vsus est ad rerum differentias indagandas, cum v. c. sectionum distinctiones tantum non semper a coloribus glebarum, specierum vero differentiam vel a loco natali vel tantum numeri ratione determinauerit, id tamen eo nos neutiquam adducit, vt repudiemus ac vili pendeamus assiduitatem ac solertiam Cl. Auctoris, quam adhibuit in historica glebarum quarumuis descriptione, variisque additis obseruationibus. Breuissime huic volumini praefatus est, id solummodo in praefamine agens, vt rationem, qua tractaturus sit argumentum, exponat, et de ortu ac progressu mineralogiae breuem historiam recenseat. Eum in condendis descriptionibus sibi praefixisse scopum ait, vt accuratas definitiones aptasque distinctionis notas adhibeat, iisque synonyma auctorum iungat. Addit cuilibet classi obseruata quaedam, quae tam rem criticam, quam chemiam fossilium illustrant. A THEOPHRASTO ERESIO inde ad nostram vsque aetatem celebres fossilium rerum scriptores nominat, et quid quilibet eorum praestiterit paucis verbis exponit. Suum vero systema ad mentem WOODWARDI et WALLERII condidit, quorum ille externas potissimum, hic vero chemicas notas adhibuit. Nec enim externas notas, nec chemicas sufficere sibi persuadet, nisi sibi inuicem coniunctae fuerint. Conueniunt enim saepius glebae in externis notis, cum sint

mixtionis valde diuerſae v. c. *asbeſtus* et *gypſum ſtriatum*: neque tamen, quas ignis detegit, differentiae glebarum notas certas exhibent, cum nec gradus ignis rite definiri, nec effectus ob glebarum impuritatem certo determinari queant. Iuſtis tamen ac meritis laudibus extollit Cl. POTTII in diſquirendis foſſilibus aſſiduitatem. Condidit ergo mixtam quandam methodum, cuius nunc ideam breuiter expoſituri ſumus.

p. 1. Primam foſſilium ſeriem *Terrae* componunt, cuius primum caput eas continet, quae ſunt humidae, texturae firmioris, tactu pingues ſ. vnctuoſae. Earum primum genus *Bolum* ſiſtit, quam ab argilla ex eo diſtinguit, quod nec tenax ſit, nec in igne tantum, quantum haec, indureſcit. Boli ſectiones a colorum varietate diſtinguit, quam notam diſtinctionis in omnibus terrarum ſectionibus determinandis adhibuit. Sectiones in duo membra diuidit, quorum primum eas recenſet, quae cum adſperſis acidis non efferueſcunt, alterum eas, quae efferueſcere ſolent.

Prima bolorum ſectio albas offert, ex quibus non efferueſcunt *terra lemnia alba, bolus armena, bolus alba goldbergenſis, terra noceriana alba, terra ſigillata alba* ex loco ignoto; efferueſcunt inter bolos albas *terra eretria, terra melitenſis officinarum, terra ſigillata etruſca, ſirigonienſis montis acuti, bolus alba vulgaris officinarum* et variae aliae, quas terras tantum ſigillatas appellat. Sectio ſecunda bolorum eſt cinerearum; tertia rubrarum; quarta lutearum; quinta fuſcarum; ſexta tandem viridium. In quarum omnium recenſione dicta iam ratione verſatur, vt nimirum acidorum actio in eas membra, natales loci vero ſpecies determinent.

Alterum genus ſecundi capitis *argillas* ordinat. Prima eius ſectio nigras continet, cuius membrum primum *cimoliam nigram, argillam ponderoſam, ſteatitem*

tem nigram offert, quae omnes non efferueſcunt: efferueſcentem vero haec ſectio nullam habet. Sequuntur albae, quarum multas varietates adfert, haud adeo aptis notis a ſe diſtinctas, cum tantum non ſemper numerus varietatem determinet, ita vt cimoliam albam primam, alteram, tertiam cet. deſcribat: his quoque ſteatitem albam iungit, ex qua vaſa murrhina coqui poſſe aſſerit, ſi maſſa quaedam apyra ipſi miſceatur: albarum multae efferueſcunt. Sectio tertia exhibet cinereas; quarta rubras; quinta flauas; ſexta fuſcas, quarum membrum ſecundum argillam lateritiam comprehendit, quae ſemper cum acidis efferueſcit; ſeptima coeruleas; octaua virideſcentes.

Tertium genus *Margas* ſiſtit, quae aqua emol- p. 63.
liuntur ac diſſoluuntur, haud vero tenaces fiunt. In prima ſectione albae enumerantur, quibus ineſt *Terra ſamia, terra melia, aſter ſamius*, quae omnes non efferueſcunt; antiquorum vero *cimolia* et *terra chia* efferueſcunt. Sunt et margae cinereae; rubrae; flauae; fuſcae, quibus accenſet *terram fullonicam anglicanam*, quae non efferueſcit; coeruleae et virideſcentes.

Terrarum caput alterum continet eas, quae ſunt p. 75.
texturae rarioris et mollioris, tactu vero aſperae et ſiccae deprehenduntur. Earum primum genus *Cretas* appellat, quas in aqua facile diſſolui ait. Diſtinguit in ſex ſectionibus albas, nigras, cinereas, rubras, flauas, fuſcas. Nigram non efferueſcere dicit; ad albas refert *tripelam, cretam vulgarem, calcem natiuam, terram melitenſem, lac lunae ſ. agaricum mineralem* et *terram di Baira*, quae prunis iniecta phoſphoreſcit: rubrarum ſectio *rubricam fabrilem* ſolummodo continet, quam tamen in aqua diſſolui vix aliquis concedet.

Secundum genus capitis ſecundi *Ochras* ſiſtit, quas dicit terras vix cohaerentes, ponderoſas, ex ſubtiliſſimis particulis conſtantes, aſperas et facile diſſolubiles; quae tamen notae eas vix a cretis diſtinguunt. Nigras ſectio prima offert, cuius prima ſpecies *ochra nigra argillacea*, altera *humo-ochra* ipſi dicitur; haec vero ochrae nomen vix meretur, ſed fiſſilis mollis eſt, quem nigricam alii dicunt. Sectio altera habet ochras rubras, *rubricam ſinopicam, hiſpanicam, perſicam, venetam* et alias, quae omnes efferueſcunt; ſunt tamen et rubrae non efferueſcentes. Sectione tertia continentur flauae, quae interdum crocei, interdum lutei, interdum aurei coloris eſſe deprehenduntur; fuſcas *vmbriam terram* appellat. Quinta ſectio coeruleas ochras deſcribit, quarum prima ſpecies ea eſt, quam KENTMANNVS ſub coerulei natiui nomine adduxit, cui iungit Noſter coeruleum patauinum, quod album effoditur et aeris acceſſu coeruleum colorem acquirit: altera ſpecies *lapis armenus* eſt; tertia *flos cupri ſtriatus*. Sexta ſectio viridium vnam tantum ſpeciem eamque efferueſcentem adfert, *chryſocollam* ſ. *viride montanum*.

p. 112. Tertium terrarum caput continet eas, quae ſemper compoſitae, nunquam purae effodiuntur. Earum primum genus *limus* ſ. *lutum* eſt, ex arena et argilla mixtus. Datur niger, albus, flauus, fuſcus, viridis.

Secundum genus, quod terrarum eſt vltimum, *Humum* ordinat, quae atra communis ſ. vegetabilis; rubra et fusca eſt. Adſperſit huic terrarum ſeriei adnotationes quasdam, quibus ineſt terrarum definitio ita comparata, vt dicat, terram *foſſile non inflammabile, diſſolubile* ſ. *diuiſibile non ſolubile in aqua, ſtructurae irregularis, figurae indeterminatae, opacum, inſipidum, friabile, quamdiu humidum ductile.* Diiudicat

eas

eas methodos, quas in terris ordinandis plures recentiorum ſcriptorum condiderunt, et quid in qualibet earum aut reprehendendum aut corrigendum ipſi videatur, candide refert. Addit quoque rationem, qua commotus *ſteatitem*, *morochtum*, *galactitem* terris annumerauerit, quod ipſi tantum viſa ſint argillae induratae, quamquam alii ea ad lapidum talcoſorum claſſem retulerint. *Bolum* et *argillam* omnino pro diuerſa ſua tenacitate differre monet. Diſputat quoque de vera *margae cretaeque* notione, ſuasque horum generum datas definitiones contra varias obiectiones defendit: *humum* vero haud adeo apte foſſilibus accenſeri affirmat, cum originem ſuam ab animalium aut vegetabilium exuuiis putrefactis repetat.

Series ſecunda *Lapidum* ordines exponit. In- p. 125.
ſunt priori capiti illi lapides, qui ſtrata continua formant; tactu aſperiores; texturae laxioris; grumi viſibilis; ex granulis arenae, glutine vario cohaerentibus, compoſiti; polituram vix admittentes. Primum eorum genus eos continet, qui laminas non formant, et in quauis directione dehiſcunt. Quam notam diſtinctionis in terrarum ſeriebus diſpeſcendis adhibuerat, ea et hic vtitur, et alcalinos ab iis, qui non efferueſcunt, ſegregat. Illis inter alios accenſet eam ſpeciem, quam iam PLINIUS et poſt eum omnes fere ſcriptores *hammitem* dixerunt, quae ouis piſcium ſimilis videtur, et inde a quibusdam SCHEUCHZERO, WOODWARD, BRUCKMANNO pro petrefactis piſcium ouis habita fuit. Quos tamen iure taxat, cum ſtalagmites tantum ſit in globulos minores concretus. *Cos* tam *gyratilis* quam *portatilis*, *filtrum*, *tophus* ſ. *porus*, *lapis molaris*, *ſaxum arenarium vulgare*, *ſaxum arenarium foraminoſum* aliaeque coloris ratione diuerſae ſpecies non efferueſcere dicuntur a noſtro, quod tamen de topho

in genere valere non concedimus. Tertiam addit sectionem arenariorum ab auctoribus non distincte descriptorum, quorum quatuor species commemorat *piperno, puzzolano, saxum arenarium tertium, macigno* IMPERATI.

Alterum huius capitis genus sistit lapides asperos ac rudes, grumi visibilis, laminas formantes et in tabulas dehiscentes, siue saxa arenaria fissilia, quae et *ammoschista* nominantur. Alii eorum effervescunt, alii non efferuescunt, vtrique colore suo multum variant.

p. 149. Secundo capiti insunt lapides, strata continua formantes, texturae solidioris, grumi non visibilis, fractura non splendentes, polituram aliqualem admittentes. Primum eorum genus continet eos, qui continui sunt et vniformes, nec commissura singulari differunt. Nigros prima sectio offert; altera albos, *calcareum vulgarem, marmor scintillans* s. *particulis micantibus, saxum fusco albidum;* tertia cinereos; quarta rubros; quinta fuscos; sexta coeruleos, septima virides, qui nunquam efferuescunt, et quibus accenset *carpolithum zwickauiensem, ilfendensem* et *anglicum;* vltima tandem variegatos.

Alterum secundi capitis genus textura compacta, structura laminata se distinguit et in tabulas finditur. *Schistus* appellatur hoc genus et colorum varietate distinguitur. Nigri non efferuescunt et *ardesiam tegularem, schistum nigrum scriptura atra, schistum nigrum scriptura alba,* et *schistum terrestrem carbonarium* offerunt. Alborum omnes efferuescunt, vt *marmor* s. *schistus pappenheimensis,* cui piscium imagines et arbusculorum formae insunt, *lapis cretaceus fissilis oeningensis* cet. Cinereis alcalinis inest lapis suillus foetidus s. schistus felinus dictus, qui vrinam felium redolet: rubri non efferuescunt; luteis annumerat *marmor florentinum*

den-

dendriticum; coeruleis *ardeſiam vulgarem* addit; et vltima ſectione virides allegat, quibus variegatos ſubnectit; quorum vnam modo ſpeciem nominat, *marmor florentinum*, *regiones deſolatas et aedificiorum rudera affabre prae ſe ferens.*

Tertium caput eiusque genus primum lapides p.185. exhibet, ſtrata continua formantes nitidos ac amoenioribus coloribus pictos, polituram adſumentes, cum acidis efferueſcentes, ignis vi in calcem viuam mutabiles. *Marmora* eos cum omnibus mineralium rerum ſcriptoribus nominat. Quatuor eorum diſtinguit diuiſiones, quarum prima deſcribit marmora vnius coloris, altera marmora binis coloribus tincta, tertia colorum diuerſorum varietate picta, quarta tandem ea, quae conchylia aliasque partes alius regni continent. Nigrorum ſpecies tres adfert: *luculleum*, *lapidem obſidianum*, et *marmor nigreſcens norwegicum*. Plurimas nigri marmoris ſpecies foetidum ſpargere odorem, ſi ferro alterantur, affimat atque hinc concludit, nigrum colorem ipſis conciliari a bituminoſo et ſulphureo quodam principio.

Alborum ſectio habet *parium* ſ. *lychniten* antiquorum; *marmor album ſalinum dictum* ob particularum cum granulis ſalinis ſimilitudinem; *candidum lunenſe* ſ. *carrarienſe*; *paedemontanum*; ſemipellucidum albeſcens; et *marmor ebori ſimile*, quod antiquioribus *chernites* ſ. *lapis arabicus* appellabatur: quam vltimam denominationem huic lapidum ſpeciei vindicat Noſter contra aliorum opiniones, qui vel lapidem ſpecularem vel ebur foſſile ſub hoc nomine a PLINIO indigitari ſibi perſuaſerunt. Sequuntur haec cinerea; fuſca et rubra; luteorum vna tantum ſpecies *ſienenſe*, therebinthinam ſ. mel referens, deſcribitur: coeruleum, numidicum veteribus dictum, omnium rariſſimum eſt; viride falſo a quibusdam pro veterum ophite habetur. In bicoloribus ac va-

riegatis recenſendis multus eſt, eorumque varietates, locos natales ſynonymaque apte explicat, atque ſimul oſtendit, magnam nominum confuſionem a gemmariis fuiſſe inductam, quae cognitioni lapidum certae ac completae mirum quantum officiat.

Quarta tandem diuiſio marmora petrefactis referta continet. Eorum prima ſpecies eſt *marmor nigrum coralliis repletum;* altera *marmor nigrum conchyliis variis refertum;* tertia *obſcure cinereum orthoceratitibus refertum;* quarta *nigro gryſeum lentibus lapideis refertum;* a SCHEUCHZERO lapis frumentarius vel et numismalis dictum in Heluetia reperiundum, cuius veram hiſtoriam Cl. GESNERUS *) exponit: quinta, *viride cinereum cochleis refertum;* ſexta fuſco-cinereum entrochis refertum, quibus iungit varias alias ſpecies coloris ratione diuerſas.

p. 241. Excipitur hoc marmorum genus ab altero, quod eos habet lapides, qui natura ſua, textura, facie externa et aliis proprietatibus marmora exaequant; in eo tantum ab his diuerſos, quod non in ſtratis continuis, ſed vt fragmenta reperiuntur. *Marmoroidas* has glebas appellat, et texturae ratione in vniformes et in eas diuidit, quae corporibus heterogeneis refertae ſunt. Vniformis ſtructurae deprehenduntur *marmoroides* albeſcens nigro eleganter lineatus; *marmoroides dendropotamites* Noſtro ideo dictus, quod non, vti dendritae, ramuſculos ſubtiles oſtendat, ſed congeries arborum folioſarum aemulatur: *marmoroides rubeſcens granulis conflatus* ceu hammites, in Heluetia frequentiſſime occurrens: *marmoroides luteus dendritis nigris pulchre pictus; marmoroides variegatus.*

Alteram diuiſionem formant: *marmoroides niger coralliis refertus; nigreſcens durus coralliis refertus islan-*

*) In diſſertatione de petrefactorum differentiis et varia origine §. XV. no. 4.

landicus; albeſcens ſtellatus, aſtroitem, quem auctores nominant; *albeſcens coralliis refertus*; *columnaris ſtellatus*, lithoſtrotium aliis arachneolithus ſ. aſtroites telis quaſi araneis obtextus dictus, columnis pentagonis compoſitus; *cinereus coralliis refertus; fuſco cinereus coralliis refertus*; *nigro fuſcus conchyliis refertus; fuſco flauus ſtellatus* ſ. aſtroites fuſco flauus; commemorat in additis huic capiti obſeruationibus *marmor altdorfenſe nigricans cornubus ammonis refertum*, aſſeritque vix poſſe cunctas huius generis varietates adferri, fuiſſe tamen hoc genus ideo conſtituendum, quoniam nunquam ſtrata efformet. Taxat quoque WOODWARDUM, qui omnes lapides in fragmentis occurrentes violento quodam motu a ſtratis continuis eſſe abruptos ac diſperſos ſibi perſuadet; cum e contrario Noſtro veroſimile videatur, fragmenta lapidea ſeu nodulos lapideos (*Geſchiibe*) propriae ac ſingularis eſſe originis.

Quartum tandem lapidum caput exhibet eos, p. 252.
qui in ſtratis continuis occurrunt, colorum elegantia et textura tam nitidi tamque ſubtiles, vt poliri poſſint; marmoribus fere ex aſſe ſimiles, eo tantum ab iis diuerſi, quod non cum acidis efferueſcant nec ideo ſint calcareae indolis. Tria horum genera diſtinguit, primum *marmoroproſera*, alterum *granitas*, tertium *porphyritas* ſiſtit.

Marmoroproſera ſ. marmoribus adfinia nominat corpora lapidea texturae compactioris et maſſae homogeneae. Quaedam eorum vitreſcunt in igne, alia non mutantur. Scintillant quoque aliqua cum chalybe ſtricta. Prima huius generis ſpecies offert ſaxum, quod vere naturae quoddam miraculum eſſe videtur. Vocatur a Noſtro *marmoroproſeron nigrum columnare polygonum et geniculatum*. A MOLINEO et aliis iam in Transactionibus Anglicis ample ſatis deſcriptum, tabulisque duabus depictum deprehenditur,

ſub

ſub nomine: baſaltes ſ. baſanus maximus hibernicus, angulis minimum tribus, plurimum octo conſtans, crebris articulis ſibi inuicem affabre coniunctis, ſed facile ſeparabilibus geniculatus. Addit Noſter accuratam huius lapidis ſ. potius montis deſcriptionem, quam adiecta icone illuſtrat. Altera ſpecies noſtram Saxoniam ornans circa arcem ſtolpenſem reperiundus dicitur a Noſtro *marmoroproſeron nigrum columnare et polygonum*; *Baſaltes miſenùs dictus.* Format hic congeriem multarum columnarum, quae tamen continuae non, vt illae praecedentis, geniculatae cernuntur. Tertia ſpecies columnas non format, et minoris eſt, quam dictae, duritiei. Quaelibet harum ſpecies, prae ceteris vero vltima, ad lapides lydios formandos apta Noſtro videtur. Iungit his alias adhuc ſpecies colorum varietate diſtinctas, quibus accenſet quoque *marmor ſerpentinum zoeblitzenſe.* Denominationem huius generis vindicat, quod omnino a marmoribus diſtinguendum et nos putamus, licet baſalten et ophitem zoeblitzenſem vix ad vnum reuocari poſſe genus arbitremur.

p.273. Alterum huius capitis genus *granitae* efficiunt. Sunt hae glebae lapideae, textura granuloſa ex ſingularibus particulis ita conflatae, vt maſſam aequalem vniformem non ſiſtant vt marmora, ſed diſtinctae appareant glutini cuidam inhaerentes. Nec ipſa particularum materies eadem ſemper eſt, ſed diuerſae ſpecies micae, quartzi, ſpathi cet. confuſae ac commixtae in iis deprehenduntur. Cum chalybe ſcintillant, in igne vitreſcunt, cum acidis non effervescunt. Prima ſpecies eſt: *granita fere nigra praecipue e micis nigris paruaque intermixta quantitate quartzi compoſita*; altera, *granita albiſſima micis magnis nigris argenteisque notata*; tertia *granita albeſcens micis paruis nigris frequenter maculata*, Italis *granitello* dicta; quarta *alba paucis micis nigris diſtincta*; quinta,

gra-

granita alba micis magnis obſcure viridibus adſperſa; ſexta, *rubeſcens, pyropoecilos ſ. ſyenites* PLINII; ſeptima, *pallide lutens maculis paruis nigris notata*; octaua *viridis nigro variegata*; Reprehendit eos, qui granitas generi porphyritarum ſubiunxerunt; nec iis aſſenſum praebet, qui ſub hoc lapidum genere omnes compoſitos lapides, cuiuscumque demum fuerint indolis, comprehendunt, vt LINNAEUS WOLTERSDORFIUS, POTTIUS alii. Varioliten lucernenſem LANGII et SCHEUCHZERI huic generi addit.

Tertium genus *porphyritas* exponit, qui firmiſſimae texturae ſunt grumique ſubtiliſſimi vt cornei, multasque quartzi particulas in omni ſua maſſa inſperſas oſtendunt. Duriſſimi ſunt, hinc ſcintillant; non efferueſcunt, in igne in vitrum mutantur. Prima ſpecies eſt *porphyrites* ſ. *leucoſtictos*, qui rubens ſ. purpureus eſt lapillulis albis variegatus: hos albos lapillulos quartzoſos eſſe Noſter contendit, quanquam alii iamiam eos ſpathoſos eſſe comprobarunt. Diſputat de modo caedendi hoc genus lapidum, quod, quamuis durum ſit, a veteribus apte tamen figuratum fuit. Nec tamen veteres artificium nobis ignotum calluiſſe cenſet vel lapidem emolliendi vel chalybem huic negotio aptiorem reddendi, ſed induſtria ac labore praeſtitiſſe id, quod nobis difficillimum videtur. Altera ſpecies eſt *porphyrites ſaturate viridis maculis magnis oblongo quadratis ex viridi albentibus notatus* ſ. ophytes niger antiquorum: *Serpentino antico* Italis dictus. Tertia: *porphyrites obſcure viridis albentibus minutis maculis pulcherrime adſperſus fereque pictus apparens*. Quarta: *porphyrites obſcure viridis*. Quinta: *porphyrites variegatus*. Cum non, vt alii, a colore rubro porphyritarum genericum characterem deſumſerit, neminem ſibi inde eſſe litem moturum putat, quod virides porphyrites quoque nominauerit. p. 283.

VI. Di-

VI.

Diſputationes ad morborum hiſtoriam et curationem facientes, quas collegit, edidit et recenſuit ALBERTUS HALLERUS. Tomi ſeptimi Pars I. Auxilia, Pars II. priorum Voluminum Supplementum. Lauſannae, ſumtibus Sigismundi d' Arnay, 1760. 4. alph. 4. pl. 18. tab. aen. 4.

Cum index diſſertationum ad morborum hiſtoriam et curationem ſpectantium, quas Ill. HALLERUS ſtudioſe collegit easque in ſex Tomis edidit, in noſtris Commentariis iam factus *) atque a noſtris lectoribus beneuolo animo exceptus ſit, his profecto vix diſplicebit, ſi in hoc Supplemento decadis primae Commentariorum earundem diſputationum Tomum VII et vltimum ſimili ratione indicamus.

Prima vero pars Tom. VII, ſiue ſexta Pars diſputationum ad morborum hiſtoriam et curationem pertinentium auxilia conſiderat et continet 228) Diſp. *de curatione per exſpectationem.* Praeſ. ABRAHAM VATER. Reſp. *Chr. Gothofr. Schoenwald.* Witteb. 1746. 229) Diſp. *Nullam medicinam interdum eſſe optimam.* Praeſ. DAN. WILH. TRILLER. Reſp. *Ern. Sam. Wehle.* Witteb. 1754. 230) Diſp. *de alterantibus et ſpecificis.* Praeſ. GEO. ERN. STAHL. Reſp. *Gothofr. Sam. Raeſch.* Halae 1703. 231) Diſp. ANT. RIDIGER *de veritate virtutis medicamentorum.* Lipſ. 1750. 232) Diſp. *de ſpecificorum dubia fide.* Praeſ. DAN. WILH. TRILLER Reſp. et Auct. *I. Iac. Klun-*

*) Vid. Comment. noſtr. Vol. VII. P. III. pag. 463. ſeqq. et P. IV. pag. 622. ſeqq.

Klunge. Witteb. 1751. 233) Diſp. PAULI GYONGYOESSI *de empiricis remediis.* Harderuic. 1753. 234) Diſp. I. EHRENFR. GEISLER. *de vſu vomitoriorum.* Lipſ. 1746. 235) Diſp. *de Medicamentis chalybeatis.* Praeſ. DAN. NEBEL. Reſp. *Bernard. Wepfer.* Heidelb. 1711. 236) Diſp. *de ſingulari mercurii dulcis vſu in deſperatis quibusdam morbis.* Praeſ. MICH. ALBERTI. Reſp. et Auct. *Ioh. Hauighorſt.* Halae 1745. 237) Diſp. *de vſu corticis a febre ad icterum extenſo.* Praeſ. ALEX. CAMERARIUS. Reſp. *Wilh. Agricola.* Tübing. 1730. 238) Diſp. GEO. EMAN. ROSNER. *qua nonnulla circa vires lactis notantur.* Leid. 1756. 239) Diſp. *An nitrum ſanguinem reſoluat aut coagulet?* Praeſ. IOH. BOECLER. Reſp. *Iac. Volmar.* Argentor. 1741. 240) Diſp. *de aquae calcis viuae vſu interno ſalutari.* Praeſ. GEO. CHRISTOPH. DETHARDING. Reſp. *Nicol. Henr. Kemma.* Roſtoch. 1746. 241) SAM. THEOD. QUELMALZ. Progr. *quo infuſum picis liquidae aquoſum expendit.* Lipſ. 1745. 242) Diſp. *de phoſphori, loco medicamenti adſumti, virtute medica, aliquot caſibus ſingularibus confirmata.* Praeſ. ABR. VATER. Reſp. *I. Gabr. Mentz.* Witteb. 1751. 243) *Caſus cuiusdam matronae, largiſſimo opii vſu, per plures annos tractatae.* Praeſ. IOH. IUNCKER. Reſp. et Auct. *Mart. Frid. Boehmer.* Hal. 1744. 244) SAM. THEOD. QUELMALZ. Progr. *de frictionibus abdominis.* Lipſ. 1749. 245) Diſp. *de deriuatione et reuulſione per venae ſectionem.* Praeſ. I. ANDR. SEGNER. Reſp. et Auct. *I. Geo. Oeder.* Goetting. 1749. 246) Diſp. *de ſanguiſugarum vtilitate.* Praeſ. GEO. ERN. STAHL. Reſp. *I. Ierem. Coler.* Halae 1699.

Secunda Pars Tomi VII, ſiue diſputionum ad hiſtoriam et curationem morborum pertinentium Pars ſeptima priorum Voluminum ſupplementum ſiſtit

ſiſtit et ad morbos capitis reſpicit. Ibi autem continentur. 247) GUSTAV. CASIM. GAHRLIEB. Diſp. cui titulus *viri ex lapſu lente deficientis caſus* Leid. 1662. 248) Diſp. ſiſtens *caſus aliquot mente alienatorum aut peruerſorum*, Praeſ. I. HENR. SCHULTZE. Reſp. *Frid. Wilh. Brune*, Hall. 1737. 249) Diſp. qua continetur *caſus aegri noctambulationis morbo laborantis reſolutus.* Praeſ. IOH. BOHN. Reſp. *Dau. Vipacher.* Lipſ. 1717. 250) THOM. SCHWENKE, *rari caſus explicatio anatomico-medica*, Hag. Comit. 1733. 251) CAR. FRID. KALTSCHMIED, Progr. *de hydrocephalo interno rarae magnitudinis.* Ienae 1752. 252) Diſp. CAR. FRID. HOCHSTETTER. *de ſpina bifida*, Altdorf. 1703. 253) Diſp. I. IGNAT. GILD. *de ſpina bifida*, Vienn. 1754. 254) Diſp. *de morbo epidemico conuulſiuo per Holſatiam graſſante oppido raro*, Praeſ. WILH. HULD. WALDSCHMIED. Reſp. *Chriſt. Steph. Scheffel.* Kiliae 1717. 255.) Diſp. *de morbo ſpaſmodico maligno in Saxonia, Luſatia, vicinisque locis graſſato, et adhuc graſſante*, Praeſ. GEO. WOLFG. WEDEL. Reſp. et Auct. *I. Chriſt. Wolf.* Ienae 1717. 256) Diſp. *de ranula ſub lingua ſpeciali cum caſu*, Praeſ. IUON. IOH. STAHL. Reſp. *Franc. Ioſ. Erbeni de Schoenerben.* Erford. 1734. 257) IO. GODOFR. SCHEID. Diſp. *Breuem hiſtoriae mulieris cuiusdam, quae inopinato caſu ſubito loquelam amiſit, et ex inſpirato repente recepit, enodationem ſiſtens*, Argentor. 1725. 258) SIGISM. SCHMIEDER. Schediaſma *de polypo oeſophagi vermiformi rariſſimo, a quotidiano pulueris ſternutatorii hiſpanici, vulgo Spaniol, abuſu progenito.* Delitii 1717. 259) IO. FRID. ZIESNER. Diſp. *de raro oeſophagi morbo*, Regiom. 1732. 260) IO. MILLETER. Diſp. *de morbo Tſoemoer Hungariae endemio*, Leid. 1717. 261) Epiſt. MARIAN. SEGUER. *de iuſculo pulli lienteriae ſpecifico*, Valentiae. 262) Diſp. MOUNSON SMITH

de

de colica apud incolas Caribienſes endemia, Leid. 1717. 263) Diſp. *de ſcirrho meſenterii exulcerato*, Praeſ. ANDR. ELIAS BÜCHNER. Reſp. *I. Car. Ehrenfr. Hebenſtreit.* Halae 1756. 264) Diſp. *de calculi in veſicula fellea generatione*, Praeſ. ABR. VATER. Reſp. *Ioh. Frid. Schimmer*, Witteb. 1722. 265) ANT. DE HAEN. *Hiſtoria anatomico-medica morbi miri incurabilis*, Hag. 1744. 266) Diſp. *Hydrops aſcites inprimis paracenteſi feliciter curatus*, Praeſ. HENR. FRID. DELIUS. Reſp. et Auct. *I. Guil. Frid. Boenneken*, Erlang. 1755. 267) Diſp. *de corde occulto, indeque hydrope aſcite conſequente, cultro anatomico in ſubiecto quodam deprehenſo* Praeſ. FRIDR. GODOFR. BARBECK. Reſp. *Erh. Brunner.* Duisburg. 1701. 268) Diſp. *de diabetis curatione cum primis per rhabarbarum*, Praeſ. IOH. DE BUCHWALD. Reſp. *Nicol. Ryberg.* Hafniae 1733. 269) Diſp. *de haemorrhoidibus veſicae mucoſis*, Praeſ. GEO. CHRIST. DETHARDING. Reſp. *Franc. Phil. Knaudt.* Roſtoch. 1754. 270) IAC. HENR. CHRIST. ADAMI. Obſeruatio ſingularis, *de materia calcaria poſt diuturnam arthritidem per vias vrinarias educta*, Luben. 1740. Ad Tomum V. de Febribus, 271) PHILIPP. GOBBI Diſp. amplectens *hiſtoriam et curam epidemicae febris, quae, ſiniente anno* 1752, *et incipiente* 1753, *Tergeſtes incolas vexauit.* Vienn. 1754. 272) BURC. DAV. MAUCHART. Diſp. prior *de lue vaccarum Tubingenſi.* Tübing. 1745. Ad Tomum VI. de morbis corporis vniuerſitatem obſidentibus. 273) FRANC. THIERI Theſis in haec verba, *an in celluloſo contextu frequentius morbi et morborum mutationes?* Paris 1757.

VII.

10. FRIDERICI CARTHEUSER, Medicinae Doctoris eiusdemque in Regia Acad. Viadrina

Prof. Publ. Ordinarii Elementa Chymiae dogmatico-experimentalis in vſum academicum conſcripta. Editio ſecunda, priori longe emendatior. Francofurti ad Viadrum, impenſis Ioh. Chriſtian. Kleyb. 1753. 8. pl. 16.

Chemicus hicce libellus, quem in vſum auditorum conſcripſit Cl. Auctor, prima vice citra voluntatem Noſtri, precibus tamen auditorum impulſi, prodiit. De eodem poſthac recudendo Noſter cogitans multa mutauit, varia addidit, nonnulla reiecit et cuncta ad ordinem meliorem redegit, ita vt nouem ſectionibus omnia, quae tyronibus ſcitu neceſſaria ſunt, comprehenderet. Sectione nimirum 1) de origine, etymologia, ſynonymia, diuiſione, definitione, obiecto ac fine chemiae, nec minus de inſtrumentis et principiis corporum chemicis; 2) de deſtillatione; 3) de ſublimatione; 4) de rectificatione; 5) de ſolutione et extractione; 6) de praecipitatione; 7) de calcinatione; 8) de fuſione, vitrificatione, reductione, reuificatione et cryſtalliſatione; 9) demum de efferueſcentia et fermentatione agit. Quod ad ipſas operationes attinet, primo generaliora cuiuslibet praemittit, deſcriptionem nimirum, ſubiecta, inſtrumenta, adminicula, modum et finem explicat, deinceps ſubiecta in ſpecie pertractat, quibus tandem, vt dogmata clara magis et manifeſta euadant, ſic dictos proceſſus ſubnectit; his vero annotationes appoſuit, quae tyrones de modo operationem recte inſtituendi, et de explicandis phaenomenorum cauſis et encheireſibus obſeruandis inſtruunt. Talis itaque eſt ordo, quem Cl. Auctor ad inſtruendos auditores ſuos ſibi elegit, quemque etiam nos ita diſpoſitum deprehendimus,

vt

vt libellum omnino ſiſtat, qui ob perſpicuitatem, Noſtro ſane propriam, et ob facilem in tradendis his doctrinis methodum, praelectionibus academicis commode inſeruire et tyrones inſtruere poſſit. Licet enim ea, quae a Cl. Auctore propoſita hic ſunt, maximam partem cognita eſſe videantur, laudem tamen meretur, tum, quod in proponendis dogmatibus ab omni verborum ambiguitate omnique obſcuritate alienus eſt, tum etiam, quod veſtigia monſtrat, quae in addiſcenda hac doctrina, alioquin difficillima minus deterrent, potius alliciunt et ſenſim ad penetralia chemiae ducunt. Sed liceat nobis nonnulla hinc inde decerpere.

Deſtillatio ſpiritus nitri fumantis, quae plerumque in retorta tubulata ſuſcipitur, Noſtro non arridet, idque quidem ob eam rationem, quoniam multi fumi acidi ſub deſtillatione protracta penetrant, aut obturamentum, niſi vitreum ſit, ſenſim corrodunt et ſibi exitum parant. p. 32.

Spiritum ſulphuris, methodo Stahliana paratum, cum ſpiritu acidularum conuenire, inde ab eo etiam maiores vires medicas, quam a vulgari exſpectandas eſſe, Noſter autumat, hincque optat, vt vbiuis ciuitatis pharmaceuticae iura obtineret. p. 37.

Spiritum cornu cerui methodo compendioſiori deſtillandum ſequenti modo docet: Salis nimirum ammoniaci partem vnam cum duabus partibus cinerum clauellatorum, in aqua perfecte ſolutorum in cucurbita vitrea miſceri, et mixturae huic mox modicam olei cornu cerui empyreumatici adfundi et more ſolito deſtillationem inſtitui iubet. Qua peracta ſpiritum ſtatim purum, nulla rectificatione indigentem, prodire, perhibet. p. 49.

Sal, quod ex capite mortuo poſt praeparationem ſalis volatilis oleoſi cephalici extrahitur, ob immix- p. 68.

tas particulas oleoſas et ob odorem balſamicum ſal digeſtiuum SYLVII balſamicum vocari, Noſter cupit.

p. 88. Mercurium dulcem, groſſiuſcule contuſum, aquae tepidae per aliquot minuta iniectum poſteaque exemtum, blando calore iterum ſiccatum, adhaerentibus particulis corroſiuis liberari, Noſter aſſerit: mercurii enim corroſiui moleculas citius, quam mercurium dulcem in aqua tepida ſolui, illasque igitur ſolas in aqua remanere, innuit.

p. 99. Cum flores benzoini verum atque natiuum ſal volatile oleoſum eſſentiale ſiſtant, eos igitur iſti plantarum principio accuratius cognoſcendo egregie inſeruire, putat. Licet enim plures vegetabilium variorum partes ſimili ſcateant principio, non facile tamen ex iis ita educi idem poſſe, vt ſub mole adeo conſpicua ſiccam conſiſtentiam adquirat, notat.

p. 125. Tincturam antimonii ſulphureo alcalicam etiam parari poſſe, Noſter oſtendit, quando, loco antimonii crudi, regulus eius ſimplex puluerisatus cum parte anatica ſalis tartari miſcetur et eadem, quae in praeparatione tincturae antimonii tartariſatae valent, obſeruentur. Cum vero reguli mixtionem exigua ſaltem ſulphuris quantitas ingrediatur, dictae igitur tincturae valde parum ſulphuris reſoluti inhaerere, notari Noſter cupit.

p. 165. Regulum antimonii medicinalem, SCHULTZII methodo paratum, qua nimirum vna nitri pars cum quatuor antimonii partibus miſcetur et detonatur, Noſter corrigit et cum octo partibus antimonii vnam duntaxat partem nitri miſceri, iubet. Sic enim remedium naſci mitius et ſecurius, autumat.

Sed pedem hic figimus, ſperantes, fore, vt pauca haec Lectoribus noſtris minus diſpliceant, quae, licet ad nouiſſima inuenta nunc collocari vix poſſint,

poſſint, apta tamen eſſe videntur, vt in facienda medicina et definiendis remediorum viribus boni quid praeſtare queant.

VIII.

The Nature, Properties, and Laws of Motion of Fire, diſcovered and demonſtrated by Obſervations and Experiments. By WILLIAM HILLARY M. D. London: printed for L. Davis and C. Reymers in Holborn, Printers to the Royal Society. MDCCLX. 8. pl. 7½.

h. e.

Natura, proprietates et leges motus ignis per obſeruationes atque experimenta detectae ac demonſtratae a GUILIELMO HILLARY, M. D.

Quanquam hic huius libelli titulus theoriam ignis nouis inuentis auctam promittere videtur, non poſſumus tamen, quin certiores faciamus lectores, omnia, quae in eo de natura, proprietatibus et actionibus huius elementi traduntur, iam a BOERHAAVIO in *Elementorum Chemiae P. I.* fuiſſe expoſita. Neque omnino diſſimulat Auctor, in *Introductione* huic commentationi praemiſſa, plurima ſe a magno illo viro mutuatum eſſe, quippe quem primum omnium myſteria huius elementi aperuiſſe intellexerit. Id tantum ſibi tribuit, quod leges motus ignis primus detexerit et demonſtrauerit; quod quatenus verum ſit mox videbimus. Interim neque ſuperuacaneam hanc oppellam pronuntiare volumus, cum in ea, quae BOERHAAVIUS de natura et actionibus ignis variis aliis interſperſa tradiderat, collecta et in ordinem quendam redacta exhi-

p. 6.

p. 13.

exhibeantur: neque ea laude fraudare Cl. Auctorem cupimus, quam propterea meretur, quod, cum leges motus ignis, ſibi certo cognitas et perſpectas, a legibus motus vulgatis penitus diſcrepare intelligeret, eas tamen proponere auſus eſt popularibus
p. 8. ſuis, quos ita dicit a prima adoleſcentia inſtitui, vt credant, leges motus, a NEWTONO promulgatas, omnis materiae motibus et actionibus explicandis ſufficere.

Cuncta, quae de natura et actionibus ignis habuit dicere, ſex Propoſitionibus, et tribus Legibus comprehendit.

p. 2. Propoſitio I. *Ignis vbique locorum in toto ſpatio, quod hoc vniuerſum occupat, praeſens eſt.*

p. 5. Propoſitio II. *Ignis purus*, ſeu elementaris, *eſt verum corpus, quod inter omnia hactenus cognita corpora particulas habet ſimpliciſſimas, ſolidiſſimas, duriſſimas, laeuiſſimas et minimas.*

p. 10. Propoſitio III. *Ignis elementaris vbique locorum idem eſt;* h. e. *vna duntaxat ſpecies ignis in natura datur.*

p. 13. Propoſitio IV. *Ignis elementaris penetrat, peruadit, rarefacit, atque expandit omnia corpora in vniuerſo, ſolida aeque ac fluida, quotquot ſenſu percipimus; et hoc ſoli igni inter omnes adhuc cognitas materias proprium eſt.*

p. 16. Propoſitio V. *Ignis purus corpus eſt grauitatis expers, neque certam verſus ſpatii partem magis, quam verſus alias, tendit.*

p. 23. Propoſitio VI. *Ignis purus in omni parte ſpatii eſt in ſtatu aequilibrii et quietis, niſi motu aliorum corporum, vel potentia directrice ſolis, ſtatus ille turbetur: ceſſante autem horum actione, ignis vi ſua repulſiua ſtatim ſe reſtituit in illud aequilibrium et quietem.*

Has propoſitiones, quas omnes apud BOERHAAVIUM legi certum eſt, Auctor fere iisdem etiam

iam argumentis confirmauit, quibus celeberrimus ille vir vſus eſt; praeterquam quod nonnulla experimenta electrica adiecit, quorum vſus illi non erat conceſſus, et quae ſane omni exceptione maiora non ſunt, quamdiu ſatis liquido non conſtat, materiam electricam nil aliud eſſe quam ignem. Sic ad euincendam V. propoſitionem refert, vas vitreum, fere quatuor congios (*gallons*) capiens, et in ſuperficie interiori foliis metallicis rite veſtitum, poſtquam p. 16. materiae electricae tanta copia fuerit impletum, vt elicita inde ſcintilla pullum gallinaceum necaret, haud plus ponderis habuiſſe, quam vacuum fluido electrico haberet. Sed et vnum alterumue experimentum narrat, quo haec propoſitio confirmatur, et quod a *Boerhaauiano* differt. Phiala nempe vi- p. 17. trea, anguſti colli, aqua ebulliente implebatur, et ſic in lebetem, in quo alia aqua ebulliebat, immittebatur, et in eo detinebatur, donec aqua phialae iterum valide ebulliret; deinde cum tantam ignis copiam haec phiala hauſiſſet, quantam poterat, exemta ex lebete, ſimulac linteo probe deterſa erat, lanci librae imponebatur, clauſo orificio, et pondus eius inueniebatur ℔ iij. ʒxiij. quod pondus, dum phiala et aqua defrigeſcebant, nihilo imminuebatur, etſi volumen aquae 3 pollicibus cubicis decreſcebat. Porro ſphaerae caua ferrea, cuius ſuperficies externa bene polita erat (talis enim ſuperficiei ferrum ingentem ignem absque aliqua particularum ſuarum iactura ferre poteſt) igni immittebatur, vt tota rubefieret; ſic ignita ſphaera, libra valde mobili ponderata, eiusdem ponderis deprehendebatur, quod antea pependerat frigida, nempe ℔ vj. ʒviij. Erat tamen diameter ſphaerae frigidae quinque pollices, ignitae $5\frac{1}{18}$ pollicis longa, ideoque volumen eius ab igne auctum fuerat *) pollicibus cubicis ad minimum: ignis ergo

*) Auctor habet 2, 551 poll. cub. At, ſi augmentum dia-

adeo denſi, vt ferrum eo ruberet, copia plus quam quatuor pollices cubicos occupans omnis ponderis expers deprehenſa eſt.

Pergimus ad leges motus ignis, quarum tres Auctor profert.

p. 30. Lex I. *Ignis attrahitur et colligitur motu et attritu quorumuis aliorum corporum.*

p. 35. Lex II. *Particulae elementares ignis perpetuo ſunt in ſtatu repulſus: et quo propiores fiunt mutuo contactui, eo maior eſt vis earum repulſiua.*

p. 51. Lex. III. *Ignis a lumine ſolis concitatur in motum iuxta rectas parallelas, et cum vehementia, impellitur ac plus caloris et luminis producit.*

Has leges ſingulas iam a BOERHAAVIO diſtincte fuiſſe enunciatas et euictas, neminem fugere poteſt, qui eius *Elementa Chemiae* animo legit attento. Lex prima in capite de Igne paſſim extat, et inprimis in Experimento IX, ſub finem corollarii 5. Experimenti X. et in fine articuli, de pabulo ignis ex foſſilibus, in quinto corollariorum e tota ignis hiſtoria deductorum. Lex ſecunda ſtabilitur experimento XI. eiusque corollariis, atque ſub finem coroll. 7. Exp. XV. nec non paullo ante finem articuli de igne producto miſcela liquorum frigidorum. Lex tertia denique enuntiatur in coroll. 7. 8 ſub finem articuli de pabulo ignis ex foſſilibus, item in experimento XII. art. de igne, quo experimento eadem lex ſimul demonſtratur. Neque fere quidquam affert Auctor ad harum legum demonſtrationem

diametri fuit $\frac{1}{10}$ pollicis; errorem in calculos Auctoris irrepſiſſe certum eſt. Diximus autem, *ad minimum*, quia hic tantum ratio habita eſt incrementi diametri ſuperficiei externae. Verum euidens eſt, ſimul internae ſuperficiei diametrum ab igne eſſe minutam. Hinc maius totius voluminis ſphaerae cauae incrementum exiſtat neceſſe eſt.

nem, quod non a ſummo illo viro dictum fuerit, vt itaque nobis de hac libelli parte, quam hactenus recenſuimus, nihil amplius dicere opus ſit.

Adiunxit vero Auctor huic commentatiunculae XXXII *Quaeſtiones* ad modum NEWTONI et BOERHAAVII, de quarum nonnullis adhuc nobis erit agendum.

Quaeſtio I. *vtrum ignis elementaris fluidum ſubtilius ſit lumine, an contra?* occaſionem nobis praebet, monendi lectores, materiam ignis ex mente Auctoris diuerſam eſſe ab luminis materia, et huius diſcriminis rationes praecipuas ab ipſo in antecedentibus datas eſſe has: 1) quod lumen lunae in foco ſpeculi *Villettiani*, quamuis intenſiſſimum, tamen neque vt ignis agit, neque calorem efficit: 2) quod contra, multum ignis alicubi adeſſe poteſt ſine luce, vt in tenebricoſa nocte aeſtiua, in ignito ferro, quod tamen nondum candet, cet. 3) quod lumen a ſole tantum mouetur, ignis autem et a ſole et ab aliis corporibus in motu et attritu conſtitutis: 4) quod ignis peruadit facile omnia corpora, lumen vero diaphana duntaxat, aut nigram ſuperficiem habentia. Addit quidem Auctor his rationibus etiam hanc, quod lumen ex ſole emanet, non vero ignis: ſed miramur, eum non perſpexiſſe, quam vim eadem argumenta, quibus inductus emanationem ignis ex ſole negauit, etiam contra emiſſionem luminis ex ſole habeant. Quaeſtio XVI tribuit cometis hunc vſum, vt ignem portent in longinqua ſpatia coeli, propter ſeruandum vel reſtituendum aequilibrium ignis, quod tandem, prout Auctori videtur, tolli poſſet per collectionem ingentis copiae ignis in tot corporibus mundi totalibus velociſſime motis. Quam ſententiam ceteris de vſu cometarum ſententiis probabiliorem habet. Quaeſtionibus ſequentibus ignem comparat ad materiam electricam, et

p. 71.

p. 63.

p. 77.

p. 79.

fluidum magneticum, et innuit quidem, ſibi has omnes materias non differre inter ſe videri, ſed nullas, cur ſic ſtatuat, rationes idoneas affert: quod tamen ab Auctore expectabamus, quippe qui quasdam ignis proprietates per experimenta electrica demon-
p. 82. ſtrare voluit. In XXII Quaeſtione rationem, cur inter tropicos terra vehementer caleat, repetit ex ingenti attritu ſuperficiei telluris, ibi celerrimum motum rotatorium habentis, ad atmoſphaeram terreſtrem, quo magnam ibi ignis copiam colligi conſentaneum ſit legi primae. Verum enim vero non animaduertit Vir Cl, atmoſphaeram hanc ipſam vna cum tellure in eandem plagam rotari velocitate fere aequali, ideoque magnum illum attritum non poſſe concedi. Reliquarum quaeſtionum plerasque iam a BOERHAAVIO motas eſſe videmus.

IX.

CAROLI LINNAEI Equit. aur. de Stella Polari, Archiatri Reg. cet. Amoenitates academicae, ſeu diſſertationes variae phyſicae, medicae, botanicae, antehac ſeorſim editae, nunc collectae et auctae. Cum tabulis aeneis. Volumen primum. Holmiae et Lipſiae, apud Godofredum Kieſewetter. 1749. 8. Alph. I. pl. 13. Tab. aen. 17. Volumen ſecundum. Holmiae, apud Laurent. Saluium, 1751. 8. Alph. I. pl. 7. Tab. aen. 4. Volumen tertium. ib. apud eund. 1756. 8. Alph. I. pl. 6. Tab. aen. 4. Volumen quartum. ib. ap. eund. 1759. 8. Alph. I. pl. 15. Tab. aen. 4. Volumen quintum. ib. ap. eund. 1760. 8. Alph. I. pl. 7½. Tab. aen. 3.

Exhi-

Exhibetur in his voluminibus egregia collectio centum dissertationum, quae in Academia Vpsaliensi, sub praesidio Cl. LINNAEI, diuersis annis propositae fuerunt. Quae collectio, vti est vtilissima, ita sane medicinae et scientiae naturalis cultoribus debet esse gratissima, eoque acceptior, quo difficilius singulae illae in nostris oris adquiruntur. Harum dissertationum titulos indicabimus et explicatione illustrabimus, earundemque primaria contenta breuissimis recensebimus.

In primo Volumine habentur: 1) Betula nana. Resp. *Laur. Mag. Klose*, Smoland. 1743. 30. Iun. p. 1. Describitur *Betula foliis orbiculatis crenatis* LINN. Sp. Pl. p. 983. n. 4. quae in Alpibus Lapponicis copioso crescit prouentu: icon adiecta sistit ramulum huius arbusculae. 2) Ficus, Resp. *Cornel. Hegardt* Scano 1744. 15 Septemb. p. 23. Enumerantur huius arboris nomina ex diuersis linguis; recensentur 22 species, subiunctis varietatibus, addito tamen monito, specierum distincte propositarum nonnullas forte ad varietates referri posse; constituitur genus; describitur *species foliis palmatis* (LINN. Sp. Pl. p. 1059. n. 1); mira ficus fructificatio, raraque per culices ficarios fecundatio, veterumque de caprificatione aenigma explicatur; refellitur opinio CAMERARII, e semine ficus nihil produci, statuentis; vires et vsus ostenduntur: varia vbique adferuntur lectu minime ingrata. 3) Peloria, Resp. *Daniel. Rudberg*, Vermeland. 1744. 19 Decemb. p. 55. Peloriae nomine, noua atque, vt videtur, monstrosa planta describitur, et in addita tabula depingitur, quae loco, radice, caule, foliis, calyce, pericarpio, seminibus, colore, sapore, odore, cum Linaria ita conuenit, vt nulla animaduertatur inter has differentia; ast floris structura, corolla nempe monopetala regulari, limbo quinquefido, plano tubo longo fere cylindraceo, ad

basin

baſin nectariis quinque ſubulatis, planis, aequalibus, in orbem poſitis, inſtructo; ſtaminibus quinque aequalis longitudinis, liberis, tubo corollae dimidio breuioribus, antheris ac filamentis a ſe inuicem disiunctis, a Linaria et aliis plantis ita differt, vt nouum prorſus genus efficere videatur. Haec planta in regno Sueciae anno 1742 primum obſeruata fuit,
p. 74. an. 1746 etiam in Germania viſa. 4) Corallia Baltica, Reſp. *Henr. Fougt.* 1745. 8 Iun. Capite priori quaedam ad Corallia in vniuerſum ſpectantia praemittuntur; in capite poſteriori Corallia Baltica deſcribuntur, additis imaginibus eorundem in aere
p. 107. ſcalptis. 5) Amphibia Gyllenborgiana, Reſp. *Barth. Rudolph. Haſt* Oſtrobothnienſ. 1745. 18 Iun. Deſcribuntur quaedam amphibia, ſingulari indole ac raritate ſua conſpicua, quae partem faciunt elegantiſſimae rerum naturalium collectionis, qua Academiam Vpſalienſem donauit Illuſtriſſ. Comes ac
p. 141. Heros CAROLUS GYLLENBORG. 6) PlantaeMartino-Burſerianae, Reſp. *Roland. Martin, Petri* Fil. Vplando 1745. 12 Decemb. Collegerat ſuperiori ſeculo IOACHIMUS BURSERUS, Camentio Luſatus, amicus CASPARI BAUHINI, (cui plurimas a ſe inuentas transmiſit plantas) inſignem in itineribus per totam fere Europam inſtitutis plantarum apparatum, XXV Voluminibus conſtantem, qui nunc Vpſaliae in bibliotheca publica ſeruatur, exceptis tribus voluminibus, in triſti incendio Vpſalienſi anno 1702 a flamma conſumtis. Rariores huius theſauri plantas, OLAI RUDBECKII in magno Camporum Elyſiorum opere luci publicae parauerant, quod autem in incendio iſto Vpſalienſi itidem periit, praeter primum et ſecundum volumen. Poſtea PETRUS MARTIN herbarium Burſerianum perluſtrauit, et ex eo plantarum omnium, quae quoad ſynonyma BURSERO incognitae fuerant, catalogum

Actis

Actis Societatis Reg. literar. Vpſalienſ. An. 1714. pag. 495-508 et pag. 530-535 inſeruit. Qui etiam plantas illas accuratius deſcripſiſſet, et recentiorum auctorum ſynonyma addidiſſet, niſi praematura morte fuiſſet praepeditus. Easdem itaque plantas, quas breuiter tantum recenſuit PETRUS MARTIN, nominibus ſpecificis, apud recentiores ſummos Botanicos inueniundis illuſtrauit huius diſſertationis Auctor, atque ita quod inchoauerat PETRUS, perfecit ROLANDUS. 7) Hortus Vpſa- p.172.
lienſis, Reſp. *Sam. Nauckler*, Helſingo, 1745. 16 Dec. Ab anno 1657, quo hortus Botanicus Acad. Vpſalienſ. ab OLAO RUDBECKIO Patre, auſpiciis CAROLI GUSTAVI Regis, fundari coepit, enarrantur fata eiusdem tum latiora tum acerbiora, merita praefectorum, OLAORUM RUDBECKIORUM patris et filii, et Cl. CAROLI LINNAEI. Et vti ſub huius praefectura quaſi denuo inſtauratus maxima omnino habuit hortus ille incrementa; ita etiam praeſens eius facies ſic deſcribitur, vt non modo ipſius horti diſpoſitio tum ex deſcriptione tum ex additis ſchematibus aeri inciſis luculenter pateat, ſed etiam plantarum raritate et ſpecie inſignium breuis exhibeatur enumeratio. 8) Paſſiflora, Reſp. *Ioh. Guſtau. Hall-* p.211.
mann Holmenſi 1745. 18 Decembr. Hiſtorica, nomina, claſſes ſyſtematum, ſub quibus hoc genus comprehenditur, praemittuntur; generis huius character, qui diſtinctiſſimus eſt, deſcribitur; ſpecies diſtinctae XXII recenſentur, earumque differentiae, et ſynonyma ex celebriorum Botanicorum ſcriptis hauſta indicantur; ſpecies dubiae et obſcurae XVIII enumerantur; vires denique et vſus tam medicus quam oeconomicus diſquiruntur. Addita eſt figurarum aeri inciſarum tabula. 9) Anandria, Reſp. p.243.
Erland. Zach. Turſe'n Wexionia Smolando 1745. 20 Decembr. Anandriae nomen huic herbae impoſuerat

I. G. SIEGESBECKIUS, putans, eandem flores producere absque ſtaminibus et antheris: ſed, accurato eius examine Vpſaliae inſtituto, cognouerunt, eam omnino perfectis gaudere ſtaminibus, et ad Tuſſilaginis genus pertinere; hinc dicta fuit *Tuſſilago ſcapo unifloro, calyce clauſo.* Subiuncta eſt icon, quae plantam naturali magnitudine repraeſentat. Eſt *Tuſſilago ſcapo unifloro, foliis lyrato-ouatis*, LINN. Sp. Pl.
p.260. 865. n. 1. 10) Acroſtichum, Reſp. *Ioh. Beniam. Heiligtag*, Blekingo 1745. 23 Decemb. Praemiſſis generalibus quibusdam de filicum familia monitis, omnes, quotcunque auctori innotuerunt, acroſtichi ſpecies XVII enumerantur, additis aliorum auctorum
p.277. ſynonymis, et aliquot iconibus. 11) Muſeum Adolpho Fridericianum, Reſp. *Laur. Balk* Geualia-Geſtric. 1746. 31 Mai. Continet haec diſſertatio deſcriptiones animalium exoticorum, apud nos rariſſimorum, amphibiorum inprimis et piscium, quibus ſereniſſimi et auguſtiſſimi principis ADOLPHI FRIDERICI liberalitas muſeum academicum Vpſalienſe auxit. Quorundam etiam figurae in duabus tabulis aeri inciſis ſiſtuntur, naturali magnitudine, praeter Phaſianum, qui duplo maior eſt, quam in icone apparet. Nulla tamen alia ſe depinxiſſe aſſerit, quam quorum vel nullas antea habuimus figuras, vel adeo erroneas, vt plane inutiles fuerint.
p.327. 12) Sponſalia Plantarum, Reſp. *Ioh. Guſtau. Wahlbom* Calmarienſ. 1746. 11 Iun. Sexus plantarum, argumentis validis, tum a ratione, tum ab expe-
p.381. rientia deſumtis, demonſtratur. 13) Noua plantarum genera, Reſp. *Carol. Magn. Daſſow*, Stockholm. 1747. 15 Iun. Deſcribuntur plantarum genera XLIII cum ſuis ſpeciebus; quae cuncta in Cl. LINNAEI generum plantarum edit. V. et ſpeciebus plantarum repeti-
p.418. ta fuerunt. 14) Vires plantarum, Reſp. *Frider. Haſſelquiſt*, O-Gotho, 1747. M. Iun. In eo verſatur Cl. Auctor,

Auctor, vt demonſtret, quantam et qualem vtilitatem adferre poſſit Botanica in viribus plantarum indagandis et eruendis, atque vbique exempla illuſtrantia addit. 15) Cryſtallorum generatio, Reſp. *Martin. Kaehler*, Stockholmienſ. 1747. 22 Decemb. Ea, quae de cryſtallorum generatione in Syſtemate naturae propoſuerat Cl. LINNAEUS, explicantur, confirmantur, augentur et illuſtrantur. Varias cryſtallorum figuras exhibet tabula aenea. p. 454. 16) Surinamenſia Grilliana, Reſp. *Petr. Sundio*, Stockholmienſ. 1748. 18 Iun. Tradit haec diſſertatio deſcriptiones animalium quorundam rariorum, Surinamicae regionis incolarum, quae Cl. LINNAEO dono dedit CLAUDIUS GRILL, Ciuis Stockholmienſis, Reg. Acad. Scient. membrum, cui GERRETI pater et filius hunc theſaurum in Surinamo ab ipſismet collectum miſerant. In horum numero amphibia maxime eminent. Addita eſt tabula aenea, quae nonnullas horum animalium picturas continet. p. 483. 17) Flora oeconomica, Reſp. *Elia Aſpelin*, Smolando. 1748. 25 Iun. Varietate grata, iucunditate amoena, lectuque vtilis collectio, qua plantarum in Suecia naſcentium vſus oeconomici indicantur, et ea praeſertim recenſentur, quae veſtimentis, cibis, domibus et vtenſilibus apta ſunt. p. 509. 18) Curioſitas naturalis, Reſp. *Olao Soederberg*, Dalia-Vermelando, 1748. 31 Iun. Oſtenditur, ſummam omnipotentis creatoris ſapientiam ex hiſtoria naturali et diſquiſitione corporum naturalium phyſica optime cognoſci, ſcientiam naturalem inter reliquas ſcientias locum tueri facile principem, diuinam atque hominis contemplatione eſſe digniſſimam. p. 540.

In ſecundo Volumine continentur: 10) Oeconomia Naturae, Reſp. *Iſac. I. Biberg*, Medelpado, 1749. p. 1.

1749. 4 Mart. Per oeconomiam Naturae Cl. Auctor intelligit *Summi conditoris circa res naturales ſapientiſſimam diſpoſitionem, ſecundum quam illae aptae ſunt ad communes fines et reciprocos vſus producendos.* Conſiderat itaque globum terraqueum eiusque mutationes in vniuerſum; poſtea tria naturae regna percurrit, et quidquid circa propagationem, conſervationem et deſtructionem corporum in triplici hoc regno notatu memoratuque dignum occurrit, proponit; omnia vero elegantiſſimis aptiſſimisque exem-
p. 59. plis illuſtrat. 20) Taenia, Reſp. *Godofredo Dubois*, Stockholmienſi, 1748. 9 Mai. Accurata taeniae eiusque quatuor ſpecierum deſcriptio et pictura.
p. 100. 21) Lignum colubrinum, Reſp. *Ioh. Andr. Darelio*, W-Gotho, 1749. 11 Mart. Praemittitur deſcriptio tum Naiae, venenatiſſimi ſerpentis Indici et hominibus infenſiſſimae beſtiae, tum muſtelae cuiusdam, Mungo dictae, quae naiam ita ſectatur, vt felis apud nos murem. Deſcribuntur poſthaec variae ligni colubrini ſpecies, auctorum variorum deſcriptiones comparantur et diſſenſus conciliantur, oſtenditur, lignum colubrinum maxime genuinum eſſe radicem Ophiorhizae LINN. Fl. Zeylan. 402. radicem Mungos KAEMPFERI Amoenit. 577. Huius genuinae ſpeciei vires contra morſum Naiae, et reliquarum
p. 126. virtutes exponuntur. 22) Radix Senega, Reſp. *Iona Kiernander*, O-Gotho, 1749. 8 April. Narrantur quaedam de Crotalophoro, ſeu vipera caudiſona, horribili ſerpente, Americae incola; recenſentur Polygalae ſpecies XVIII; deſcribitur atque in addita icone depingitur illa Polygalae ſpecies, quae veram radicem Senega dictam vel antidotum Crotalophori largitur. Quae eſt *Polygala Senega* LINN. Sp. Plant. p. 704. n. 14. Exponuntur eiusdem qualitas, vires, vſus, praeparata, applicandi modus, et ſuccedanea.
p. 154. 23) Geneſis calculi, Reſp. *Ioh. Ottone Hagſtröm*

Iemt-

Iemtlando, 1749. 5 April. Calculi humani, praesertim vrinarii, genesin ex obseruationibus et experimentis, atque ex principiis historiae naturalis, mineralogiae, chemiae, diaetetices, physices et physiologiae explicare studet Cl. Auctor. 24) Gemmae arborum, Resp. *Petro Löfling*, Medelpado, 1749. 18 Nouemb. Proponitur gemmarum definitio, differentia, structura, situs, tempus, quo erumpunt, ortus ipsius radicis aut trunci medullae adscribendus; traditur methodus gemmarum secundum earum structuram variam, classiumque gemmarum in arboribus diuisiones desumuntur ex squamarum structura et situ. 25) Pan Suecus, Resp. *Nicolao L. Hesselgren*, Wermelando, 1749. 9 Dec. Catalogus est oeconomicus et in re oeconomica maxime vtilis plurium plantarum in Suecia crescentium, secundum ordinem in Flora Suecica Cl. LINNAI obseruatum, dispositus, quo indicatur, quasnam plantas vel comedant, vel non edant quadrupedia quinque Sueciae domestica, boues, caprae, oues, equi et sues. 26) Splachnum, Resp. *Laur. Montin*, Gothoburgensi, 1750. 28 Mart. Nouum constituitur muscorum genus, splachni nomine; characteres generici stabiliuntur; species tres exacte describuntur et depinguntur, quarum duae iam cognitae fuerant seculi XVII botanicis, tertia plane noua hic primum accurate fuit descripta. Ille autem, cui haec dissertatio ad manus non est, characteres genericos et specificos huius musci adumbratos quoque inueniet in Cl. LINNAEI Gener. Plantar. Edit. V. p. 481 et Eiusd. Spec. Plant. p. 1108. 27) Semina muscorum. Resp. *Petro Iona Bergio*, Smolando, 1750. 25 Mai. Veram seminum in muscis fabricam et naturam patefacit. 28) Materia medica ex regno animali. Resp. *Iona Sidrén*, W Gotho, 1750. 25 Mai. Animalia, quae a medicis

p. 182.

p. 225.

p. 263

p. 284.

p. 307.

dicis adhiberi ſolent, vel olim adhibita fuerunt, ad ſua genera relata ſiſtit, cum breuibus de eorundem viribus et vſu iudiciis. Huius diſſertationis recenſionem iam olim in Commentariis noſtris *) exhi-
p.332. buimus. 29) Plantae Camſchatcenſes rariores, Reſp. *Iona P. Halenio*, Vplando, 1750. 22 Decemb. Plantae in Kamſchatca naſcentes maxime ſingulares viginti ſex deſcribuntur, earumque ſeptem in tabula aenea depinguntur. Huius diſſertationis recenſio in Commentariis noſtris iam alibi **) legi-
p.365. tur. 30) Sapor medicamentorum, Reſp. *Iacobo Rudberg*, O-Gotho, 1751. 20 Febr. Explicatur modus, quo medicamenta ſicca, aquoſa, viſcoſa, ſalſa, acida, cet. in corpus humanum agant, quaeque mutatio functionum motuumque ex his corporibus applicatis oriatur. Hiſce diſſertationibus in hoc volumine tres Cl. LINNAEI orationes ſubiunctae ſunt. Quarum prima, de memorabilibus in inſectis, habita fuit coram Academia ſcientiarum, cum primum deponeret Academiae praeſidium, an. 1739. d. 3 Octobris. Hanc, monente Cl. BERNARD. IUSSIEU, ex Suecica in Latinam vertit linguam, Pariſiis, 1743 ABRAH. BAECK, M. D. Haec oratio vere memoratu ſcituque digna de inſectis conti-
p.408. net. Altera oratio, qua peregrinationum intra patriam aſſeritur neceſſitas, habita fuit Vpſaliae 1741. 17 Octobr. cum medicinae Profeſſionem Regiam et ordinariam ſuſciperet. In hac oratione demonſtrat, ſagacem rerum naturalium indagatorem et medicum quoque, fructum haud exiguum capere poſſe ex peregrinationibus et itineribus per diuer-
p.430. ſas Sueciae prouincias inſtitutis. Tertia oratio, de telluris habitabilis incremento, habita fuit, cum Me-

*) Vol. I. P. II. p. 263. ſqq.
**) Vol. I. P. I. p. 134. ſqq.

medicinae Licentiatum IOH. WESTMANNUM, medicinae Doctorem in Academia Regia Vpſalienſi, anno, 1743. 12 April. renunciaret. Eas in iſta oratione profert Cl. Auctor rationes, quibus inductus fuit, vt credat, vnicum ſexus par ex omni ſpecie viventium initio rerum creatum fuiſſe, hermaphroditis exceptis, quorum vnicum tantum indiuiduum primitus fuiſſe creatum contendit. Neque multum a veritate ſe aberraturum confidit, dum exiſtimat, *omnem continentem terram fuiſſe in infantia mundi aquis ſubmerſam, et vaſto oceano obtectam, praeter vnicam in immenſo hoc pelago inſulam, in qua commode habitauerint animalia omnia, et vegetabilia laete germinauerint.*

In tertio Volumine exhibentur: 31) Noua plantarum genera, Reſp. *Leonhard Ioh. Chenon.* Vermelando, 1751. 19 Octobr. In priori huius diſſertationis parte, recenſentur genera plantarum, in America Septentrionali a Cl. KALMIO detecta, in poſteriori, genera indicantur miſcellanea, a Cl. LINNAEO aliisque in ſuis ſcriptis memorata, omiſſis tamen in hac altera editione characteribus eorundem genericis, quos, quippe quintae Generum plantarum Cl. LINNAEI editioni iterum inſertos, denuo hic repetere non fuit neceſſarium. Adiecta eſt tabula aenea, ſeptem ex hiſce plantis continens. Huius diſſertationis recenſionem paulo fuſiorem iam alias in Commentariis noſtris *) dedimus. p. 1. 32) Plantae hybridae, Reſp. *Ioh. Haartman*, Auſtro-Finlando, 1751 23 Nouembr. Eas rationes et eiusmodi exempla producit Cl. Auctor, quae nouarum in regno vegetabili ſpecierum ortum probare videntur. Haec diſſertatio in Commentariis noſtris **) p. 28.

*) Vol. I. P. III. p. 499. ſqq.
**) Vol. cit. P. IV. p. 581. ſqq.

p. 65. etiam fuit recenſita. 33) Obſtacula medicinae, Reſp. *Ioh. Georg. Beyerſten*, Roslago, 1752. 19 Febr. Inquirit in cauſſas, quae efficiunt, vt quam plurima, eaque egregia remedia lateant ac
p. 74. prorſus negligantur. 34) Plantae eſculentae patriae, Reſp. *Ioh. Hiorth*, Chriſtinaehamnia Vermelando, 1752. 22 Febr. Ex plantis, Sueciae indigenis, eiusmodi in hac diſſertatione enumerantur, quas eſui inſeruire poſſe experientia prodidit, ſimulque narratur, qua ratione, quoue modo ſingulae poſſint
p. 100. adhiberi, quo apta praebeant alimenta. 35) Euphorbia, Reſp. *Ioh. Wiman*, Fierdhundrens, 1752. 6 Mai. Diffuſi huius admodumque ampli generis nomina, characteres generici, ſpecies 53 cum ſy-
p. 132. nonymis et vires exponuntur. 36) Materia medica e regno lapideo, Reſp. *Ioh. Lindhult*. Nericio, 1752. 18 Mai. Enumerat Cl. Auctor ſimplicia mineralia, quibus vel olim vſi fuere, vel adhuc vtuntur medici, ſecutus in ſpeciebus denominandis Cl. LINNAEI Syſtema Naturae, Cl. I. G. WALLERII Mineralogiam. De viribus ſingulorum et vſu bre-
p. 158. uiſſimis iudicat. 37) Morbi ex hyeme, Reſp. *Sven. Brodd*, Ph. Mag. W Gotho. 1752. 11 Ian. In primo capite hyemis hiſtoria et praecipua phaenomena traduntur; in ſecundo, de morbis ex frigore oriundis diſſeritur, et quomodo iidem euitari et per curam medicam profligari poſſint, exponitur.
p. 183. 38) Odores medicamentorum, Reſp. *Andrea Waohlin*, O Gotho, 1752. 30 Iun. Diuerſum illum odorem, qui in medicamentis ſe ſe offert, diuerſumque eius effectum explicare, et quantum lucis eius conſideratio materiae medicae affundat, oſtendere an-
p. 202. nititur Cl. Auctor. 39) Noctiluca marina, Reſp. *Car. Fridr. Adler*, Holmienſ. 1752. M. Mai. Fulgorem nitoremque, quem aqua marina noctibus perſaepe ſpargit, ex infinita minimorum vermium mul-

multitudine oriri demonſtratur; ſuam tamen non facit eam controuerſiam, an ex aliis quoque cauſſis hoc phaenomenon poſſit excitari. Vermis ille, Nereis nempe phoſphorans, deſcribitur, et in addita tabula eius figura, qualis oculo armato ſe ſe ſiſtit, exhibetur; ipſe enim tam paruus eſt, vt vix aciculae apicem adaequet magnitudine, hinc oculis nudis atque inermibus vix conſpici poteſt. 40) Rhabarbarum, Reſp. *Sam. Zwervogel*, Stockholmienſ. 1752. 17 Iul. Hiſtoria naturalis rhabarbari potiſſimum diſquiritur; tum praeparata ex illo medicamenta varia, vires et vſus, tam medicus, quam oeconomicus, perceuſentur. p. 211.

41) Quaeſtio hiſtorico-naturalis, cui bono? Reſp. *Chriſtoph. Gedner*, Fierdhundrenſ. 1752. 21 Octobr. Refutat illos, qui ſcrutamina a naturae curioſis ſuſcepta rident, contemnunt, nulliusque vſus eſſe queruntur; atque oſtendit, omnino vtilem eſſe ac neceſſariam ſcientiae naturalis culturam. p. 231.

42) Nutrix nouerca, Reſp. *Frederic. Lindberg*, Sudermanno, 1752. 7 Nouembr. Reiicit Cl. Auctor deprauatam illam conſuetudinem, qua infantes nutricibus lactandos exhibent plurimae matres; damna inde oriunda recenſet, et, nutrices nunquam aſſumendas eſſe, niſi dura id ſuaſerit neceſſitas, concludit. p. 256.

43) Hoſpita inſectorum Flora, Reſp. *Iona Guſtav. Fors Kaohl*, Vplando, 1752. 4 Nouembr. Plantae in Suecia naſcentes illae, quae domicilia et alimenta praebent inſectis, enumerantur, ſequiturque Cl. Auctor, in plantis nominandis, Floram Suecicam Cl. LINNAEI, in inſectis vero aſſignandis, eiusdem Faunam Suecicam. p. 271.

44) Miracula inſectorum, Reſp. *Gabriel Emanuel Avelin*, Dalekarlo, 1752. 19 Noueb. Demonſtratur, multa adeſſe, pluraque euenire in inſectorum familia, quae curioſo et ſollerti naturae contemplatori egregia praebent et grata ſpectacula, quorum cauſſas ille p. 313.

perſpicit, cum ab imperita multitudine tanquam
p.335. miracula et res contra naturam conſiderentur. 45) Noxa inſectorum, Reſp. *Michael A Baeckner*, Helſingo, 1752. 18 Decembr. Inſecta Sueciae, nocendi vi inſignia, damnaque ab iisdem oriunda enu-
p.363. merantur. 46) Vernatio arborum, Reſp. *Haraldo Barck*, Smolando, 1753. 5 Mai. Per vernationem arborum intelligitur ſtatus ille, quo arbores vi et impulſu naturae gemmas explicare et illae in folia erumpere incipiunt. Variae ſuper hac re in Sueciae regionibus inſtitutae obſeruationes percenſentur, eius-
p.377. que in oeconomia vſus eruitur. 47) Incrementa botanices, Reſp. *Iac. Bivur.* Veſtmanno, 1753. 11 Iun. Fata botanices breuiſſimis expenduntur, atque ad quatuor epochas, 1. Patrum, 2. Fundatorum, 3. Syſtematicorum, 4. Reformatorum reuo-
p.394. cantur. 48) Demonſtrationes plantarum in horto Vpſalienſi, MDCCLIII. Reſp. *Io. Chriſt. Hojer*, Vplando, 1753. 3 Octobr. Enumerantur omnes plantae in horto Vpſalienſi, anno 1753, demonſtratae; nominibus tantum triuialibus ex Cl. LINNAEI ſpeciebus plantarum mutuatis: adiiciuntur obſeruationes nonnullae, ſtudioſo cultori botanices
p.425. profuturae. 49) Herbationes Vpſalienſes, Reſp. *Andr. N. Fornandro*, Smolando, 1753. 13 Octobr. Plantae, quas, in qualibet excurſione ſic dicta botanica, campi Vpſaliam circumiacentes largiuntur,
p.446. nominibus ſuis triuialibus, enumerantur. 50) Inſtructio muſei rerum naturalium, Reſp. *Dav. Hultman*, Vplando, 1753. 14 Nouemb. Breuiſſimae traduntur regulae, quas in colligendis rebus variis naturalibus et iisdem reponendis aſſeruandisque ſequi debent naturae conſulti.

p. 1. In quarto volumine continentur: 51) Plantae officinales, Reſp. *Nic. Gahn*, Henr. fil. Fahluna-

Dale-

Dalekarlo, 1753. 15 Decemb. Simplicia ex regno vegetabili, in pharmacopoliis vel dudum recepta, vel posthaec recipienda, breuiter recensentur, additis simul nominibus specierum triuialibus, ex Cl. LINNAEI speciebus plantarum desumtis. 52) Censura simplicium, Resp. *Gustav. Carlbohm*, Holmens. 1753. 19 Dec. Simplicia vegetabilia, ex pharmacopoliis omnino excludenda, capite priori, in iisdem vero adoptanda, capite posteriori indicantur. 53) Canis familiaris, Resp. *Erico M. Lindcrantz*, O Gotho, 1753. 21 Dec. Proferuntur, quae ad historiam naturalem canis pertinent: fistuntur nempe genus, species, variotates, descriptio, proprietates, mores, morbi et vsus. 54) Stationes plantarum, Resp. *Andr. Hedenberg*, Holmens. 1754. 3 Apr. Plantae Sueciae indigenae pertractantur secundum solum earundem natale, in quo crescunt, assumtis plantarum nominibus triuialibus ex Cl. LINNAEI speciebus plantarum. Praemittuntur quaedam de vsu huius notitiae. 55) Flora Anglica Resp. *Isaac Olai Grufberg*, Holmens. 1754. 3 Apr. Plantae omnes in Anglia nascentes, quae in IO. RAII synopsi methodica stirpium Britannicarum, aucta a IO. IAC. DILLENIO enumeratae et fusius descriptae habentur, in hac dissertatione, secundum systema sexuale dispositae, nominibus triuialibus ex Cl. LINNAEI speciebus plantarum petitis, proponuntur breuissima et eiusmodi methodo, qua Cl. Auctor omnes floras propositas exoptat. 56) Herbarium Amboinense, Resp *Olauo Stickman*, Smolando, 1754. 9 Mai. Cum synonyma plantarum, in RUMPHII Herbario Amboinensi descriptarum, nondum recepta fuerint in Cl. LINNAEI speciebus plantarum; eadem ita hic eruuntur, vt in priori dissertationis parte plantae, in quouis pretiosi huius operis tomo contentae, enumerentur; in posteriori autem, secundum systema sexuale dispositae

p. 26.

p. 43.

p. 64.

p. 88.

p. 112.

p.144. exhibeantur. 57) Ceruus Tarandus, Resp. *Car. Frid. Hoffberg*, Stockholmiensi, 1754. 23 Octobr. Cerui Tarandi, Rangiferi etiam dicti, animalis, ex quo omnis res pecuaria Lapponiae pendet, nomen, genus, species, solum natale eruuntur, accurata descriptio exhibetur, varia vegetabilia, tum ea, quibus abstinere solet, tum, quae ipsi pabulum praebent, (primarium autem est Lichen rangiferinus Fl. Lapp. 333) indicantur, denique calamitates, quas non modo Rangifero, verum etiam Lapponi culex pipiens et oestrus Tarandi adferunt, vsus et morbi
p.169. recensentur. 58) Ouis, Resp. *Isaco Palmaero*, Nic. filio, O Gotho, 1754. 30 Octobr. Historia quidem naturalis vtilissimi huius animalis potissimum
p.190. pertractatur; oeconomica tamen admiscentur. 59) Mus porcellus, Resp. *Io. Iust. Nauman*, O Gotho, 1754. 20 Nou. Muris porcelli, animalis, quod porcum maritimum, falso nomine, appellarunt, partes externae et internae, mores et vsus describuntur. Ostenditur, ad murium genus pertinere, atque ab aliis speciebus cauda nulla, pedibus posterioribus tridactylis, auriculis magnis, rotundis et
p.210. nudis, dignosci posse. 60) Horticultura academica, Resp. *Io. Gust. Wollrath*, Nericio, 1754. 18 Dec. Regulas tradit in cultura hortorum academicorum
p.230. obseruandas. 61) Chinensia Lagerstroemiana, Resp. *Io. Laur. Odhelio*, W Gotho, 1754. 23 Dec. Cl. MAGNUS LAGERSTRÖM, Director societatis mercatoriae Indiae orientalis cet., non tantum effecit, vt quotannis cum nauibus liceret mittere iuuenem, naturae sacris initiatum, in Indias, societatis Indiae orientalis apud Gothoburgenses institutae impensis; sed etiam iussit societati subiectos socios, suis propriis sumtibus emere, quaecunque in China occurrerent singularia, ad locupletandam scientiam naturalem idonea. Quaecunque obtinuit, vti publico con-

conſecrauit, ita etiam plura ad muſeum Academiae Vpſalienſis miſit. Atque ex iis ſelecta animalia nonnulla in hac diſſertatione, charácterum vbique habita ratione, deſcribuntur, quaedam etiam in aere ſcalpta ſiſtuntur. 62) Centuria I. plantarum, Reſp. p. 261.
Abrah. D. Iuslenio, W Gotho, 1755. 19 Febr. 63) Centuria II. plantarum, Reſp. *Eric. Torner*, W-Goth. p. 297.
1756. 11. Iun. Cum in Cl. LINNAEI ſpeciebus plantarum, variae plantae nondum deſcriptae, aliae nondum accurate definitae fuerint, id omnino praeſtitum eſt in hiſce centuriis plantarum, vt egregium iſtud opus, inſigni numero ſpecierum, illuſtrium botanicorum induſtria detectarum, locupletaretur fieretque perfectius. 64) Somnus planta p. 333.
rum, Reſp. *Petr. Bremer*, Helſingo, 1755. 10 Dec. Per ſomnum plantarum intelligit Cl. Auctor eam formam faciemque, quam plantae ſub nocte induunt, maxime a diurna earum facie diuerſam, nulla habita ratione partium internarum, ſeu ipſius fructificationis: monetque, omnino cauendum eſſe, ne plantarum ſomnus confundatur cum ea, qua gaudent flores, facultate certo ſeſe ſub diu tempore contrahendi, iterumque ſtatis horis explicandi, quod phaenomenon vigiliarum plantarum nomine inſigniendum eſſe putat. Diſſeritur autem primum de cauſſis, tum etiam de variis modis, quibus ſe ad quietem ſomnumque componunt plantae; adduntur denique ex ampliſſimo florae theatro varia exempla, auctoris ſententiam illuſtrantia. 65) Fungus Meli- p. 351.
tenſis, Reſp. *Io. Pfeiffer*, Holmenſi, 1755. 20 Mai. Fungum melitenſem, plantam paraſiticam, Cynomorii nomine MICHELIUS in generibus plantarum, p. 17. tab. 12. et Cl. LINNAEUS in gener. plantar. edit. V. n. 922. et alii, alio nomine vſi, deſcripſerunt, nonnulli etiam de vtilitate huius plantae quaedam adnotarunt. Quorum auctorum obſer-

uationes et experientias eo ordine digeſtas, eaque opera emendatas habemus in hac diſſertatione, vt accuratam deſcriptionem, aeque ac virtutem, ad profluuia ſanguinis ſiſtenda maximo-
p.368. pere laudatam, exinde perſpicere liceat. 66) Metamorphoſis plantarum, Reſp. *Nic. E. Dahlberg*, Oſtrogotho, 1755. 3 Iun. Varias, quas vegetabilia
p.387. ſubeunt, mutationes exponit. 67) Calendarium florae, Reſp. *Alexand. Mal. Berger*, Vermeland. 1756. 31 Mart. Oſtenditur, ſuum cuique plantae tempus eſſe, quo flores emittit, hoc obſeruatum in ſingulis ſpeciebus et accurate notatum, in rebus oeconomicis haud ſpernendam vtilitatem praebere; indicatur methodus, ſecundum quam hoc inſtitu-
p.415. tum feliciter queat perfici. 68) Flora Alpina, Reſp. *Nicol. N. Amann*, Iemtio, 1756. 24 Mart. Demonſtrare atque eruere tentat Cl. Auctor, quo modo tam ingens terrae tractus, quem Alpes Lapponicae occupant, quiue non niſi horridiſſimum fere ſiſtit deſertum, magis coli, et plurimis hominibus vtilior reddi poſſit. Ad hunc ſcopum obtinendum, collegit etiam atque enumerauit quatuor centurias plantarum, quae in iſtis ſeri et creſcere poſſunt, nominibus tantum triuialibus ex ſpeciebus plantarum
p.443. Cl. LINNAEI deſumtis. 69) Flora Palaeſtina, Reſp. *Bened. Io. Strand*, 1756. 10 Mart. Plantae Palaeſtinae, quas HASSELQUISTIUS inprimis; et POCOCKIUS, RAUWOLFIUS, SHAVIUS, ALPINUS, GRONOVIUS, deſcripſerunt, in hac diſſertatione collectae, et ſecundum methodum ſexualem diſpoſitae, nominibus breuiſſimis, triuialibus nempe, ex Cl. LINNAEI ſpeciebus plantarum deſumtis, ex-
p.468. hibentur. 70) Flora Monſpelienſis, Reſp. *Theoph. Erdm. Nathorſt*, German. Sileſien, 1756. 15 Iun. Vſus Cl. Auctor virorum celeberrimorum, MAGNOLII et SAUVAGESII operibus, plantas circa Montem Peſſulanum creſcentes, eadem breuiſſima metho-

thodo disposuit, quae in Flora Anglica adhibita. fuit. 71) Fundamenta valetudinis, Resp. *Petr. Engström*, Dalekarl. 1756. 17 Iun. p.496. Causas regulasque breuissimas tradit, quibus firma, robusta et laeta sanitate gaudentia corpora humana effici queant, 72) Specifica Canadensium, Resp. *Io. von Coelnn*, Vestro-Goth. 1756. 19 Iun. p.507. Varia medicamenta, ab ipsis barbaris Americae septentrionalis gentibus contra morborum furorem in auxilium vocata vsuque recepta, partim BARTRAMI, partim virorum clarissimorum COLDENII et PETRI KALMII indefesso studio, in hisce rebus inuestigandis posito, innotuerunt. Quae cuncta in hac dissertatione collecta fuerunt. Inter haec eminet Lobelia siphilitica, tanquam efficax remedium contra luem veneream in Act. Acad. Scient. Holmiens. a KALMIO descripta, hic iterum repetita. 73) Acetaria, Resp. *Hieron. von der Burg*, Ostro-Gotho, 1756. 29 Iun. p.536. Olera praecipua, apud varias gentes ad acetaria paranda adhibita, eorumque virtutes describit. 74) Phalaena Bombyx, Resp. *Io. Lyman*, Laur. Fil. Fierdhundrensi, 1756. 4 Dec. p.553. Historiam bombycis, eius cibum, atque culturam, etiam in Suecia possibilem proponit. 75) Migrationes auium, Resp. *Car. Dan. Ekmarck*, Ostro-Gotho, 1757. 2 Mart. p.565. Disquiruntur caussae migrationis auium; aues migratoriae, tum exoticae, tum indigenae, quarum 145 enumerantur.

In quinto volumine habentur: 76) Morbi expeditionis classicae MDCCLVI. Resp. *Petr. Bierchén*, Holmiens. 1757. 18 Mai. p. 1. Morbi maxime solennes fuerunt, scorbutus, febris amphimerina et diarrhoea: quorum et caussae ponderantur, et effectus expenduntur, et remedia quaedam iis opponenda indicantur. 77) Febris Vpsalienses, Resp. *Andr. Byström*, 1757. 21 Mai. p. 18. Traditur descriptio febris hemitritaeae, quae, licet in aliis Sueciae locis et Europae regionibus etiam

sae-

ſaeuiat, a Sueciae tamen incolis plerumque febris
p. 30. Vpſalienſis vocatur. 78) Flora Danica, Reſp, *Georg. Tycho Holm*, Fyonia Dano, 1757. 2 Iun. Plantarum in Dania indigenarum catalogum, iam Anno 1688. Hafniae, in forma quadripartita, euulgauit PETRUS KYLLINGIUS, Botanicus olim Daniae Rex us, alphabetico ordine vſus. Has ipſas vero plantas ſecundum ſyſtema ſexuale diſpoſuit Cl. *Holmius*, adhibitis nominibus triuialibus Linnaeanis: addiditque plures a KYLLINGIO non deſignatas, quas partim ipſe in patria legit, partim ex BURSERI her-
p. 50. bario ſicco depromſit. 79) Panis diaeteticus, Reſp. *Iſac Svenſſon*, Lincopia, O-Gotho, 1757. 8 Iun. Panem parandi methodus, variaeque eius ſpecies, tam genuinae, quam ſuccedanaeae. examinantur et ex
p. 68. regulis diaeteticis diiudicantur. 80) Natura Pelagi, Reſp. *Io. Henr. Hager*, Smolando, 1757. 18 Iun. Generalis Pelagi conſideratio et cum continente
p. 78. comparatio. 81) Buxbaumia, Reſp. *Anton. Roland. Martin*, Aboenſi. 1757. 22 Iun. Buxbaumiae, *Muſci capillacei aphylli, capitulo craſſo biualui* BUXBAUM cent. 2, p. 8. t. 4. f. 2. memoriae inuentoris ergo ita appellati, deſcriptionem, propriis obſeruationibus ſuffultam, et cum aliorum ſcriptis collatam tradit Cl. Auctor. In adiecta tabula muſci huius picturae, aliae a Cl. SCHMIEDELIO * exhibitae, aliae a LECHEO communicatae, aliae tandem
p. 92. ab ipſo auctore delineatae exhibentur. 82) Exanthemata viua, Reſp. *Io. C. Nyander*, Calmarienſ. 1757. 23 Iun. Morborum contagioſorum originem indolemque ſedulo inquiſiuerunt medici, maxime tamen inter ſe diſſentientes, varias diuerſasque ſententias protulerunt, ex quibus illam, qua ſtatuitur, contagium ex viuis animalculis prouenire, veritati proximam videri, exiſtimat Cl. Auctor, ſibique perſuaſum habet, inſecta minutiſſima, forte acaros diuer-

*) vid. Comment. hor. Vol. VIII. P. I. p. 44. ſeqq.

diuerſae ſpeciei, cauſas eſſe diuerſorum morborum contagioſorum. Hanc ſuam ſententiam, quo vlterius illuſtret, ſingulos deinde morbos contagioſos, ſcabiem, dyſenteriam, tuſſim ferinam, variolas, morbillos et peſtem conſiderat. De dyſenteria propriam affert obſeruationem, quae pathologiae verminoſae patronis forte arridebit. Nempe Cl. ROLANDER in aedibus Cl. LINNAEI enutritus, dyſenteria infeſtabatur, quae rhabarbarinis et paregoricis more recepto curabatur. Octiduo abhinc in eundem incidit morbum ſimiliterque ſanatur; octo aliis diebus elapſis tertium eodem corripitur: cauſſa, licet ſedulo inquiſita, nulla inuenitur, cum aeger eadem menſa, vitaeque genere eodem cum cohabitantibus ſanis frueretur. Cum vero aeger, a Cl. LINNAEO monitus, excreta ſua ſcrutaretur, in iisdem myriades animalculorum, acarorum farinae ſimilium inuenit: atque cum non nemo conſuetudini aegri, qui interdiu parum bibens, noctu ſiti preſſus e poculo, ex ligno iuniperino confecto, potum ſaepe hauriebat tenuiſſimum, cauſſam tribueret; ipſum hoc vas diligentius inſpexit aeger, in quo non niſi lineolam albicantem, oculis nudis vix conſpicuam, inter coſtarum rimas reperiebat. Cum armatis oculis rem conſideraret, omne illud albidum nihil aliud eſſe obſeruauit, quam innumeros acaros, eiusdem ſpeciei cum illis, quos in excretis viderat. Potu in vas infuſo, ſedem non mutare, media vero nocte, potus ſuperficiem petere, crebra inueſtigatione detexit. Exemti acari, orbiculo humectato impoſiti, variis adfuſis liquoribus, parum irritabantur; a ſpiritu vini laedebantur, maxime vero a tinctura rhabarbari: atque ex hoc fundamento declarari poſſe autumat Cl. Auctor, cur rhabarbarum ſit dyſenteriae ſpecificum; curque lapathum acutum ei valde cognatum, quotidiana ſit ſcabiei medicina. 83)

p. 97.

Trans-

p.106. Transmutatio frumentorum, Resp. *Bogislao Hornborg*, Petropolitan. 1757. 28 Sept. Demonstratur, auenam nunquam mutari in secale, nec fieri vnquam veram transmutationem frumentorum.

p.120. 84) Culina mutata, Resp *Magn. G. Oesterman*, Fjerdhundrens. 1757. 16 Nouembr. Varia alimentorum genera, atque, quae ex his in veterum culinis parari solebant, fercula, quaeue, his ipsis abdicatis, in nostris culinis substituta fuerunt, indicantur.

p.133. 85) Spigelia anthelmia, Resp. *Io. Georg. Colliander*, Smolando, 1758. 22 Mart. Haec dissertatio, praeter generalia quaedam de vermibus, in tubo intestinorum sedem suam figentibus, et de remediis anthelminticis continet descriptionem physico-medicam et picturam plantae, cuius virtutem praestantissimam, in vermibus istis destruendis, a Nigritis et Indis primum inuentam, et a BROWNIO ingenti experimentorum numero confirmatam, ipse BROWNIUS in Historia sua naturali Iamaicae detexit. Est nempe Anthelminthia quadrifolia, spicis terminalibus et e centro frondis BROWN. Iamaic. 156. t. 37. Sponte crescit in omnibus paene Americae australis regionibus, coliturque in hortis Iamaicae. Suadet Cl. Auctor medicis, vt tam specificum, tamque efficax contra vermes remedium, in officinas pharmacopoeorum introducendum maximopere

p.148. curent. 86) Medicamenta graueolentia, Resp. *Iona Theodor. Fagraeo*, Smolando, 1758. 13 Iun. Medicamenta graueolentia in classes distribuuntur,

p.174. et singulorum vires et vsus indicantur. 87) Arboretum Suecicum, Resp. *Dav. Davidis Pontin.* Ostro-

p.204. Gotho, 1759. 30 Iun. 88) Frutetum Suecicum, Resp. *Dav. Magn. Virgander*, Smolando, 1758. 23 Mai. Hae dissertationes physico oeconomicae in patriae quidem commoda potissimum sunt elaboratae; ex illis tamen incolae aliarum regionum, earum

earum inprimis, in quibus lignorum eſt defectus, aliquam quoque capere poſſunt vtilitatem. In priori arbores, in altera frutices, in Suecia creſcentes, ita recenſentur, vt ſingulorum vſus, ſerendi propagandique modus proponatur. 89) Pandora inſecto- p.232.
rum, Reſp. *Eric. Ol. Rydbeck*, Oſtro-Gotho. 1758. 15 Iulii. Eſt repetita et emendata Hoſpita inſectorum flora, de qua vid. Vol. III. n. 43. 90) Senium p.253.
Salomoneum, Reſp. *Io. Pilgren*, Sudermanno, 1759. 21 Febr. Explanatur Libri Eccleſiaſtis Caput XII, in quo ſenectutem inſigni acumine adumbrauit regum ſapientiſſimus. 91) Auctores Botanici, Reſp. p.273.
Auguſtin. Loo, Oſtro-Gotho, 1759. 14 Mart. Alphabetico, quem dicunt, ordine, vſus Cl. Auctor, tradit Auctorum botanicorum cognomina, praenomina, annos menſesque natales, quoties ad eius notitiam peruenerunt, munera, annos, quibus inclareſcere coeperunt; annum denique, menſem diemque, quo deceſſerunt, indicat. Ex eorum ſcriptis nonniſi vnicum, illudque praecipuum adfert. Vbique breuitatem ſectatur. Illos autem, qui de hortorum cultura et plantarum viribus, vel etiam commentarios in ſcripta veterum ſcripſerunt, illosque, qui diſſertationes concinnarunt tantum, veteres denique ipſos in hoc catalogo omiſit. 92) Inſtructio p.298.
peregrinatoris, Reſp. *Eric. And. Nordblad*, Geualia-Geſtricio, 1759. 9 Mai. Ea, quae peregrinator, hiſtoriae naturalis ſtudioſus, obſeruare debet, quaeue ad augendam et perficiendam hiſtoriam naturalem, ex peregrinatione capere debeat commoda, ſuccincte delineantur. 93) Plantae tinctoriae, Reſp. *En-* p.314.
gelbert. Iörlin, Bahuſia Gothoburg 1759. 16 Mai. Enumeratio plantarum, quae in arte infectoria aliquam praeſtant vtilitatem. 94) Animalia compo- p.343.
ſita, Reſp. *Albert. Back*, Vpland. 1759. 23 Mai. Ad animalia compoſita referuntur zoophyta, lithophyta,

phyta, taenia, voluox, in quibus nempe succeſſiue noua, cum prioribus continua animalia generantur.

p.353. 95) Flora Capenſis, Reſp. *Car. Henr. Wannman*, Vpſalienſ. 1759. 30 Mai. Plantarum, quas Caput bonae ſpei profert, enumeratio, ea ratione digeſta, quam alibi iam indicauimus. Monet autem Cl Auctor, ſe florem Capenſem, non omnibus numeris abſolutam exhibere, ſed eas tantum plantas in ſuum catalogum retuliſſe, quarum cognitionem certam et quodammodo ſufficientem Botanici ſunt adepti.

p.371. 96) Flora Iamaicenſis, Reſp. *Car. Guſt. Sandmark*, Vermelando, 1759. 13 Decembr. Plantarum, in inſula Iamaica creſcentium catalogus, methodo, in Floris, Praeſide Cl. LINNAEO editis, ſolenni, diſpoſitus, in quo concinnando THOMAE BROWNII Hiſtoria Iamaicae potiſſimum adhibita fuit, non neglecto tamen eiusd. BROWNII Herbario Iamai-

p.389. cenſi, quod Cl. LINNAEI muſeum exornat. 97) Pugillus Iamaicenſium plantarum, Reſp. *Gabr. Elmgren*, Smolando, 1759. 28 Nou. In hoc pugillo continentur plantarum Iamaicenſium 130 deſcriptiones breuiores, ad exemplaria ſicca, in memorata collectione BROWNIANA obuia, exaratae. Vti autem in plantis exſiccatis quaedam notae interdum ſunt obſcuriores; ita in hiſce deſcriptionibus ea tantum notantur, quae viſa fuerunt euidentiora.

p.414. 98) Nomenclatura plantarum, Reſp. *Benedict. Berzelio*, Oſtro-Gotho, 1759. 24 Dec. Plantarum inprimis Europaearum homonymiae, nominibus latinis, italicis, gallicis, anglicis, belgicis et germanicis proponuntur. Genera ipſa ſecundum ſexualem di-

p.442. ſponuntur methodum. 99) Aer habitabilis, Reſp. *Io. Vict. Siefvert*, Sudermanno, 1759. 22 Dec. Declarantur varii aeris in corpus humanum effectus: oſtenditur, quam multa aer purus adferre poſſit generi humano commoda; quanta etiam impurus

et

et noxiis exhalationibus inquinatus idem creare incommoda. 100) Sus ſcrofa, Reſp. *Iac. Lindh*, Vplando, 1759. 24 Dec. Ea ſuis ſpecies, quae noſtris culinis vſui eſt, deſcribitur, eiusque diaeta, mores, morbi vſusque tam medicus quam oeconomicus recenſentur. p. 461.

X.

Traité ſur les effets des Preparations de Plomb et principalement de l'Extract de Saturne employé ſous differentes formes, et pour differentes maladies chirurgicales, par M. GOULARD, Conſeiller du Roi, Maire de la ville d'Alet, Profeſſeur Demonſtrateur Royal d'Anatomie au Collége de medecine, Membre des Academies Royales des Sciences de Montpellier, Toulouſe, Lyon, et de l'Academie Royale de Chirurgie de Paris, Penſionnaire du Roy et de la Province de Languedoc pour la Lithotomie, et Chirurgien Major de l'Hopital Royale et Militaire de Montpellier. Tome premier à Pezenas de l'Imprimerie de Ioſeph Fuzier, et ſe vend a Montpellier chez la Veuve Gontier et Faure. MDCCLX. 8. min. plag. 14.

h. e.

Tractatus ſuper virtutibus plumbi ad vſus medicos praeparati, et praecipue extracti ſaturni, in variam formam redacti, et ad varios morbos eosdemque maximam partem chirurgis relictos, eximie valentis a Cl. GOULARD.

Extracto ſaturni Cl. Scriptor peculiarem quandam vim tribuit aduerſus varios morbos pertinacio-

res, eiusque virtutem medicinam profitentibus magno ſtudio commendare annititur. Quapropter et nos, huius medicamenti vtilitate parum adhuc cognita, et ex hoc libello perſpecta efficacia impulſi ſumus, vt huncce libellum diligentius ſcrutaremur, et quae de hoc medicamento afferuntur, ad plurium
p. 7. notitiam traduceremus. Primus autem omnium Noſter, ad varias et grauiores infirmitates tollendas, extracto ſaturni vſus eſſe videtur. Eius enim, in aqua diluti, ſummam efficacitatem laudat in arcendis inflammationibus, in affectionibus cutis, contuſionibus, humorum extra vaſa collectionibus, vulnera a ſclopetis inflicta comitantibus, in vlceribus vetuſtioribus, in fiſtulas exeuntibus, et in ipſius gangraenae periculo; camphorae et oleo roſato admixtum et in vnguentum redactum, ad innumeras moleſtias; vna cum cera et camphora in pelles infuſum, ad dolores rheumaticos; ſapone copulatum ad ankyloſes recentes et humorum in tendinum vaginis contentorum ſpiſſiorem indolem; medulla eiusdem ad ſtagnantia reſoluenda; coactum autem adiecta mica panis in emplaſtrum, ad tumores, phlegmones, ſcirrhos et ſcrophulos cancros alentes; in vniuerſum autem ad deterſionem, qua, factis operationibus chirurgicis, vt calculi ſectione, opus
p. 14. eſt, commendatur. Quod autem propius ad huius extracti virtutem attinet, maxima cernitur in inflammationibus externis pertinacioribus extinguendis, quoniam tantum abſit, vt repellendi vim habeat, vt potius eius ſpicula, a poris auide recepta, in humores obſtruentes irruant, eos ſoluant, et in vici-
p. 20. nos riuulos compellant. Praeſtare itaque longe emollientibus, quae non niſi quodam relaxationis, gangraenae et vermium generationis metu imponantur. Vt autem ab inflammationibus ordiamur, Cl. Scriptor aduerſus eryſipelas, phlegmones, panaritium

ritium, parotidis, faucium, oculorum et ceterarum externarum partium inflammationem, in dolore mitigando, periculo arcendo, punctura tendinum, panaritii saevitia lenienda, et parotidibus inflammatis, a scirrho tutis praestandis, extracti saturni efficacitatem expertus est. In angina vero incredibile quid effeciſſe legimus, quae, testibus Cl. RAULIN et BOUCHER gargarismatis hoc extractum recipientibus, feliciter persanantur. En summam aliquam obseruationum a Nostro institutarum. Profuit in forma emplastri, in mammae, vndique materiam stillantis, tumore, rubore, scirrho; in forma fluida, in ani, scroti, vretrae erysipelate, in brachii et digitorum immobilitate, propter tendinis musculorum flectentium puncturam, et hinc secutam suppurationem, contracta. Eius vis, id confirmante Cl. GAUTIER, apparuit in ophthalmia grauiori, in panno corneae pellucidae, in oedemate palpebrae inferioris tumentis, et in externam partem reflectae. Quod adhuc magis periculo Cl. COVLAS confirmatur, qui oculi pertinaciori inflammatione in maximum periculum adductus, huius auxilio euasit. p. 44. p. 52.

Opportunius autem hoc remedium adhiberi in contusionibus, ambustionibus, vulneribus sclopetorum, Noster in secundo capite contendit. Opium enim tulisse in grauiori testiculi contusione atque inflammatione, in saeuissimo dolore a morsu apum excitato, in magna toto corpore excepta contusione, et maxime in vulneribus sclopetorum, et ambustionibus a puluere pyrio contractis. p. 70.

De extracti saturni efficacia, in suppurationibus, vlceribus externis, et abscessibus apparente, tertio capite copiosissime disputatur. Est autem illa plane singularis, Pus enim iam collectum, resolutum in tumores diffluit; vlcera ab vnguentis, vel propter admissam laxitatem, vel propter illatam irritatio- p. 95.

nem, male affecta, purgantur; acrimonia demulcetur; deterſio, reſolutio, dolorum mitigatio impetratur, ſine vlla materiae ad internas ſedes compulſae ſuſpicione. Quae omnia nouis aliis obſeruationibus illuſtrantur, quibus manifeſtum fiat, vlcera antiqua, callo, corroſione vexata, ſinuoſa, ichorem ſtillantia, hoc extracto perſanata fuiſſe. Ex il-
p.117. lis porro colligimus, bubones pariter atque abſceſſus, materia in ſudores difflata, quaſi oculis ſe ſubtraxiſſe, fiſtulasque manus, femoris, oſſium maxillarum, ani, plantae pedis, conſtrictas et clauſas
p.125. eſſe, nec cancrum, quamuis latius pateret, huius medicamenti virtuti reſtitiſſe, quarto capite Noſter teſtatur.

p.136. In quinto autem valde laudatur in ankyloſibus, ligamentorum reſolutionibus, et humoris articulos humectantis habitudine ſpiſſiori. Efficaciſſimum autem eſſe, ſi ſaponi admiſceatur, aut ſi guttatim in partes laborantes infundatur; qua ratione magnum genu tumorem, pedis ankyloſin, ligamentorum, caput oſſis femoris in acetabulum compellentium, laxitatem, tendinis muſculorum digitos flectentium retractionem et praecipue ſpurias articulationis genu, ab externis iniuriis excitatas luxationes, ſuperatas eſſe refert.

p.159. Quid pelles, hoc extracto munitae, ad dolores rheumaticos et podagricos minuendos valeant, ex
p.173. ſexto capite luculenter apparet. Nec ex ſeptimo obſcurum eſſe poteſt auxilium, quod cutis puſtulis, et aliis affectionibus laborans ab hoc extracto reci-
p.187. pit. Non paucae autem, pro vtilitate huius medicamenti in ſcabie perſananda, obſeruationes in magno militum numero cum fructu inſtitutae, in octa-
p.217. uo capite collectae reperiuntur. Ex nono capite herniarum incarceratarum curationem huius extracti ope accelerari, et inteſtini prolapſi volumen,

ab

ab emollientibus magis adhuc auctum, huius extracti vi imminutum, in locum suum redactum esse, perspicimus. Haemorrhoidarios deinde hanc virtutem experiri, decimo capite ostenditur. Quae huius medicamenti excellentia, vt magis eluceſcat, praeter grauissimorum virorum testimonia, artificium, hoc extractum in varias medicamentorum formas redigendi, adiectum est. p. 226.

XI.

Remarques et obſervations pratiques ſur les Maladies Vénériennes, avec une ſeconde édition des maladies de l'Uretre, et la compoſition des Bougies ſpecifiques pour guérir les embarras de ce conduit, et autres formules nouvelles et très utiles pour le traitement des maladies vénériennes, par Mr. GOULARD. Tome ſecond, à Pezenas et Montpellier, MDCCLX, in 8. pl. 16.

h. e.

Annotationes et obſeruationes practicae ſuper morbis venereis, quibus ſecunda editio libri adiecta est, in quo affectiones vretrae, et cereorum, obſtructiones huius canalis optime ſoluentium, confectio, aliaeque nouae formulae ad morborum venereorum curationem multum neceſſariae, continentur, a D. GOULARD. etc.

Cum huius libelli argumentum cum ſuperiori coniunctum ſit, non dubitauimus, quae vtiliſſima nobis viſa ſunt, lectori referre. Habet autem Noſter ſtatim ab initio diſputationem longiorem de p. 7.

ipſis morbis venereis, et frictiones mercuriales recte adminiſtratas magni facere videtur. Luem enim gallicam varias facies, quibus occulta lateat, prae ſe ferentem, mox puſtularum, bubonum, vlcerum exoſtoſium, mox haemorrhagiarum funeſtarum, fiſtularumque ſpeciem habere. Simulatque igitur eius ſuſpicio confirmetur, frictionibus, actione mercurii, quam nonnulli extinctionem appellant, longe praeſtantioribus, hunc morbum aggrediendum eſſe. Tantum enim ſe a Cl. FABRI, ſaluationis patrocinium ſuſcipientis opinione abeſſe, vt, quia funeſtae oris haemorrhagiae, magnumque periculum in ſcorbuto ab eius vſu oriatur, contrarium ſtatuat.

p. 58. Hanc diſputationem alia ſequitur de gonorrhoea, cuius ſedem, diuiſionem, et curationem, quamuis variam, tamen maximam partem extracto ſaturni abſoluendam oſtendit. Teſtatur enim, et in magno perinaei dolore ſaccharum ſaturni, et in phymoſi, paraphymoſi, dolore, oedemate penis, extractum ſaturni in aqua ſolutum, non neglectis frictionibus mercurialibus, profuiſſe. Sed maximam eius virtutem in hydro-ſarco-cele, tumore, duritie teſticuli vaſorumque ſpermaticorum, ſcirrhi timorem iniiciente, apparuiſſe, multis experimentis confirmatur.

p. 79. Sufficiat eorum ſequens commemoraſſe. Viri ſarco-varico-cele affecti vaſcula multum extenſa et in ſcrotum hiantia, idem ſcrotum in permagnum tumorem, ad genua vsque progredientem, compulerant. Facta itaque, eius imminuendi cauſſa, quadam inciſione, ſex librae humoris, ſanguinem referentis, ſine vlla tumoris contractione effluxerunt. Cum aegrotus inducias a doloribus, quamuis breues impetraſſet, deinde autem dolor verſus dextram partem ani ſaeuire coepiſſet, repetita inciſione, primum tres librae ſimilis humoris, nocturno poſt tempore, magna eiusdem copia, vltimo materia variis granulis

lis permiſta, foetidiſſimi odoris, et ſpiſſioris indolis per canalem foras proiecta, eamque ſecuta eſt magna copia puris et ſaniei. Deinde ſuppuratione ſuborta, ſcrotum contractum, cicatrix obducta, et fonticulus iſte exhauſtus eſt. Ad gonorrhoeam vetuſtam Cl. Scriptor iniectionibus ex ſaturni extracto paratis cum fructu eſt vſus.

Bubonum naturam tertio capite rimatur. In- p. 96.
iecto emplaſtro ex mica panis et ſaturni extracto parato, bubones, in ſuppurationem procliues, diſſipati in ſudores coguntur. Quae res noua et inſolita plane, teſtimonio Cl. DE LA PEURONIE confirmatur, oſtenditurque bubones ſcirrho obnoxios, et vlcera peſſimae notae perſanare idem. In quarto p. 120.
capite, quod in exponenda vlcerum penis perſanatione verſatur, Noſter pugnat, neglecto hoc extracto, et frictione mercuriali praetermiſſa, nihil plane effici. Allata autem ſunt numero multa experimenta. De phymoſi et paraphymoſi in quinto p. 138.
capite diſputatur, ad quam vtramque cum inflammationis externae naturam habeat, et ad gangraenam perſanandam, quia idem hoc extractum valeat, eius efficacitas multis laudibus extollitur. Nec deſunt Noſtri aliorumque pro huius rei confirmatione
pericula. Ex ſexto capite conſtat, quid vterum ge- p. 159.
rentibus, lac praebentibus, et infantibus, lue venerea affectis, proſit. Et grauidis quidem venaeſectionem, balnea tepida et omnia, quibus haec lues debellatur, nutricibus parciorem mercurii inunctionem conuenire, in infantibus autem magna cautione opus eſſe. Vtrum vero plumbi partes ad in- p. 171.
teriores corporis humani ſedes delatae proſint, an noceant, in ſeptimo capite perpenditur. F. HOFFMANNI, P. HERMANNI ſacharo ſaturni in gonorrhoea, aliorumque eodem in vlceribus internis vtentium, auctoritate allata, nam de Chinenſibus nihil

dicamus, ne intempestiuus vsus colicas et vomitus excitet, monet, ostenditque illi locum esse posse in vrinae ardore, gonorrhoeae et dysenteriae dolore.

p.185. Quod autem ad secundam huius libelli partem attinet, ea in variis vretrae affectionibus considerandis occupata est. Pugnat vero Noster vretrae carnositatum indolem spongiosam esse, curationem autem, cereis omissis, nullam; deinde obstructiones eius a glandulis, in tumorem eleuatis, et in scirrhum
p.215. induratis, vel alio modo affectis, et, extensis propter inflammationem et debilitatem vasculis proficisci; angustationis hinc profectae suspicionem facere immissionem cereorum, leuius impedimentum, atque in carnositatibus, offendentium. Porro constrictionem illius interdum etiam a spasmis oriri. Postremo ab vretrae vlceribus, callositatibus, cicatricibus, tunicae internae asperitatibus, itineri vrinae impedi-
p.224. menta obiici. Quae contra has affectiones praescribuntur remedia, et varia, et vtilissima sunt. In tollendis carnositatibus primas tribuit cereis, a se ipso confectis. Agunt autem, pro varia ipsorum indole, varie. Si eorum vis est infirmior, humores alliciuntur, sin autem fortior, irritationem et difficultatem quandam vrinae emittendae, sed citra omne periculum, afferunt, iis immissis, carnositates coercentur, vt vrinae moras nectere non possint. Si vasorum laxitas illata fuerit, gonorrheae sistuntur, carnositates consumuntur, fistularum, inflammationum, vrinae retentae pericula auertuntur. Praeterea varia proponuntur, quae cereorum, qui in appendice describuntur, vsum confirment. Primo viam vrinae, quo sunt fortiores, tanto liberiorem efficiunt; tumores, carnositates imminuunt; dolorem inter penis erectionem excitant; fistulas perinaei, a carnositatibus profectas, constringunt; gonorrhaeae sedes destruunt. Neque vero

vero naturam habent premendi, ſed reſoluendi et conſumendi carnoſitates.

Tranſeamus nunc ad varias, quae adſperſae ſunt, obſeruationes, quae videntur ea, de quibus diſputatum eſt, confirmare. Aliae in morbis proſtatae, fiſtulis perinaei, retentionibus vrinae, cereos iſtos profuiſſe teſtantur, reliquae vero aduerſus vrinae incontinentiam eorum virtutem docent valere. Ad vltimum ratio traditur, quibus et quam variis modis ſaturni vires in vſus humanos cogi poſſint. Extractum ſaturni, quod, cur ita ſit appellatum, huc vsque ignorauimus, conſtat lythargyrio auri et aceto vini, quorum aequales partes in aheno coquuntur, et ſpatulo tamdiu agitantur, donec liquor innatet, qui in vſum futurum ſeruatur. Reliquae medicamenti huius formae ſunt confectio vnguenti pomatini, pellis diuina, cataplaſma, rectificatio mercurii, praeparatio vnguenti mercurialis. Ad extremum explicatur modus ſaturni extractum vtiliter adhibendi. p.245. p.286. p.296. p.317.

XII.

Anfangsgründe zur metallurgiſchen Chimie in einem theoretiſchen und practiſchen Theile, nach einer in der Natur gegründeten Ordnung abgefaſſet von C. E. GELLERT, *der Kayſerl. Akademie der Wiſſenſchaften zu S. Petersburg Mitgliede. Mit Kupfern, Leipzig, bey Johann Wendler*, 1750. 8. Alph. 1. pl. $\frac{1}{2}$. tabb. aen. 5.

XIII.

Anfangsgründe zur Probierkunſt, als der zweyte Theil der practiſchen metallurgi-

ſchen Chimie, worinnen verſchiedene neue Arten zuverläſsig zu probiren gezeiget werden, abgefaſſet von C. E. GELLERT, etc. *Leipzig, zu haben in der Wendleriſchen Handlung*, 1755. 8. pl. II. tabb. aen. 3.

h. e.

Initia chemiae metallurgicae ex duabus partibus, altera theoretica, altera practica compoſitae, ſecundum ordinem naturae fundatum exarata a Cl. C. E. GELLERT. etc.

et

Initia chemiae docimaſticae, ceu altera pars chemiae metallurgicae practicae, in quibus varii noui modi, diſquiſitionem rite inſtituendi, exhibentur, exarata ab Eodem, etc.

Theoreticam huius chemiae partem tribus ſectionibus comprehendit Cl. Auctor; prima de obiectis metallurgiae, ſecunda de inſtrumentis, et tertia de operationibus chemicis agit. Quae hanc ſequitur practica pars, experimenta ſiſtit, cum mineralibus ſuſcipienda. Quod ad poſteriorem tomum ſpectat, tribus iſte abſoluitur capitibus, quorum primum docimaſiam in genere et ſupellectilem huc neceſſariam deſcribit; ſecundum de operationibus, quae praecedere debent, agit; tertium vero operationes mineralium docimaſticas, ſeu ſic dictas probatorias, pertractat. In exponendis his doctrinis iisdemque communicandis ordinem naturalem elegit et breuitati in tradendis iisdem ſtuduit. Quae apud alios ſcriptores chemicos vtilia deprehendit, huc a ſe translata, ſeque BECCHERI inprimis,

primis, STAHLII, HENCKELII et MARGGRAFII operibus, prae reliquis autem CRAMERI Elementis artis docimasticae vsum esse, insimulque varias obseruationes nouas, a se ipso factas, communicasse, notat. Sed videamus, quaenam sit specialis tractationis summa! Sectionis primae capite primo notionem chemiae metallurgicae Noster exhibet, et subiecta eiusdem, corpora nimirum subterranea, in octo classes diuidit, quarum prima terras, secunda lapides, tertia sales, quarta sulphur, quinta metalla, sexta semimetalla, septima minerâs et octaua aquas minerales continet. Terrarum duo constituit genera, quorum alterum terras argillaceas, alterum alcalinas seu calcareas sistit: ad illas 1) terras figulinas 2) medicinales 3) mechanicas 4) tinctorias; ad has vero, calcareas nimirum, cretam et margam refert. Lapidum quatuor genera recensetp. 7. primum calcareos, lapidem scilicet calcareum, marmor, spatum calcareum, stalactiten et margam induratam comprehendit; secundum argillaceos, smectiten nimirum, amianthum seu byssum, asbestum, corium montanum, talcum, micam et schistum continet; tertium gypseos, lapidem nimirum gypseum, alabastrum, gypsum spatosum pertractat; quartum denique lapides vitrescibiles, pretiosos nimirum, crystallum montanam, silicem vulgarem, lapidem corneum, spatum vitrescibile et pumicem continet. In salium consideratione, more hactenus consueto, ad duo tantum eorundem genera, ad acidum nimirum et alcalinum, tanquam sales simpliciores, et qui ex vtriusque combinatione oriuntur, sales medios attendit. Sub sulphuris nomine p. 18. p. 27. omnem cuiuscunque regni naturae substantiam inflammabilem, siue fluida sit, siue solida, intelligit. His expositis metalla ista completa, aurum scilicet, p. 29. argentum, cuprum, plumbum, stannum et ferrum

eorun-

eorundemque characteres ſpecificos et proprietates generales conſiderat, quibus et mercurium, licet iſte nec malleabilis, nec ſolidus ſit, accenſet et eadem
p. 33. ratione pertractat. Ad ſemimetalla non ſolum zincum, biſmuthum et regulum antimonii, ſed arſenicum etiam et cobaltum refert, hocque vltimum, licet a nonnullis ad terras tantum metallicas referatur, vere tamen inter ſemimetalla locum obtinere aſſerit, et ex pondere eiusdem metallico, facie metallica et ſuperficie conuexa, poſt fuſionem in frigore ob-
p. 36. ſeruanda, probat. Mineras, quas ſeptima claſſe Noſter pertractat, in fluxiles, difficulter fundendas, ſeu refractarias et non fluxiles diuidit, et cuiuslibet metalli, ſemimetalli, ſubſtantiarum ſalinarum aeque ac ſulphuris mineras conſiderat, earundemque habitum et partes conſtitutiuas exponit, ſimulque quemlibet in colligendis iſtis monet, vt ſibi caueant, ne a fraudulentis hominibus decipiantur, quippe qui mineras, vel ſola arte, vel et naturales adeo artificioſe componunt, vt nudis oculis fraus iſta minime detegatur, ſaepe tamen poſthac detegenda, ſi quando ſpiritui vini vel aquae calidae tales minerae
p. 65. immergantur. Tandem et aquarum mineralium mentionem facit, paucis de earum indole agit, inſimulque ſigna, quibus partes conſtitutiuae manifeſtantur, adducit, idque notandum eſſe cupit, quod ſal iſtud amarum, ex aquis mineralibus obtinendum, minime ſub tali forma inſit, ſed tum demum producatur, quando alcali et vitriolum, quorum quoduis antea ſeorſim aquae inhaeſit, in ſe inuicem agunt, nuncque coniunguntur; quod ex praecipitatione terrae cuiusdam ochraceae cognoſcitur, quae durante euaporatione ex vitriolo nunc mutato deiici-
p. 66. tur. Sectione ſecunda corpora, quorum ope alia corpora mutantur, hoc eſt, inſtrumenta pertractat, hincque de igne, aere, aqua, terra, ſic dictis menſtruis

ſtruis et ſupellectili chemica agit, haecque omnia, vel in motu iam conſtituta, vel ad eum ſuſcipiendum apta eſſe, hancque proprietatem, cum omnis mutatio non niſi motu perficiatur, neceſſariam eſſe, docet, prae reliquis autem menſtruorum actionem, paucis quidem, ſed concinno ordine, exponit. Quod autem ad ſupellectilem chemicam ſpectat, cuius ope inſtrumenta actiua deſideratos in corporibus effectus edere poſſunt, primo de laboratorio, dein de furnis, tandem de praecipuis, quae in chemia metallurgica in vſu ſunt, inſtrumentis agit, in primis vero in deſcribendis furnis paulo prolixior eſt et modum, iſtos rite conſtruendi, accurate explicat. Vltima ſectione operationes in genere perpendit, p. 166. hasque ſecundum inſtrumenta actiua coordinat, ita, vt ad primum ordinem eas, quae ope ignis; ad ſecundum, quae mediante aere; ad tertium quae, auxiliante aqua; ad quartum, quae adiuuante terra, et ad quintum, quae menſtruorum efficacia perficiuntur, operationes referat. His tabulam aeri inciſam de ſolutionibus corporum ſubnectit, hancque ex viginti octo columnis componit. In ſuperiori cuiuslibet columnae parte illius corporis ſignum, cuius ope alia ſoluuntur, ſubque hoc ſigna corporum, quae ab eo ſoluuntur, collocat, ita tamen, vt ea, quae difficilius ſoluuntur, proxime adſtent, quae vero facillime ſoluuntur, vltimum locum occupant. Sic enim ordinem, qui in praecipitatione obſeruatur, ſimul ex his conſpici poſſe, autumat. Quod ad practicam partem attinet, vbi ſic dicti pro- p. 175. ceſſus deſcribuntur, vocabulum proceſſus ſtudio Noſter omittit, nec etiam voculam apparatus, quali e. g. Cl. CRAMERUS vſus eſt, vſurpat, ſed id, quod fieri debet, Propoſitionem (*Aufgabe*), et qua ratione id fieri debeat, Reſolutionem nuncupat. Singulis his annotationes apponit, quae partim reſolutio-

lutionem propoſitionis exponit, partim vtilitatem inde prouenientem declarat. In coordinandis vero propoſitionibus primo docet, quomodo nonnulla menſtrua praeparanda ſint, poſtmodum menſtrua eodem ordine, ſecundum quem haec ipſa in theoretica parte ſe inuicem excipiunt, adhibet, et quaenam corpora, quaue ratione, ea ſe inuicem ſoluant, oſtendit. Sed haec ad priorem tomum ſpectant; progredimur ad tomum poſteriorem, qui vnice in deſcribendis operationibus docimaſticis verſatur, ideoque continuationem operationum metallurgicarum ſiſtit. Tribus iſte libellus componitur capitibus; primo de docimaſia agitur, quidue ea ſit, qua ratione a metallurgia differat, et in quantum cum chemia metallurgica conueniat, oſtenditur, inſimulque inſtrumenta huc neceſſaria, bilanx docimaſtica cum ſuis ponderibus, acus probatrices cum lapide lydio, et modus capellas exacte conficiendi deſcribitur. Secundo capite de minerarum praeparationibus, ſeparatione nimirum, contuſione, vſtulatione et lotura, quae fuſionem praecedere debent, agitur. Tertio capite ipſae operationes docimaſticae, cum mineris ſuſcipiendae eodem ordine, qui in parte practica tomi prioris obſeruatus eſt, pertractantur. Complura quidem, vt ipſe fatetur Cl. Auctor, hic deprehendimus, quae ab aliis, inprimis Cl. CRAMERO et, quod ad zincum praecipue ſpectat, a Cl. MARGGRAFIO pertractata iam fuerunt, haud vnquam tamen negandum eſt, Noſtrum laudem omnino promereri, ſi ad ordinem, quem in congerendis iſtis rebus obſeruauit, et concinnam adeo breuitatem et perſpicuitatem, et rerum iam cognitarum explicationem, nouo argumentorum pondere inſtructam, reſpicimus. At minime etiam reticendum eſt, nos plura Cl. Auctori debere, quae de diſquiſitionibus minerarum, accurate inſtituendis

nos

nos inſtruunt. Qui enim artem hanc exercent, cognitum ſatis atque perſpectum habebunt, quod ad promouendam minerarum fuſionem varia adhibeantur additamenta, quibus ſemper ſalia alcalina fixa adiunguntur. Cum vero aeque conſtet, et calces metallorum, et ipſa metalla a ſalibus iſtis alcalinis, multo magis vero a ſic dicto hepate ſulphuris ſolui, mirum omnino non eſt, cur ſaepe, operatione finita, parua portio metalli vel etiam nihil plane obtineatur. Cum enim ex ſalis alcalini et ſulphuris, in minera adhuc haerentis, coniunctione hepar ſulphuris producatur, fit inde, vt calx metallica a dicto ſale, immo multo magis ab hepate ſulphuris pro varia harum rerum quantitate, proque varia ignis duratione, vel quoad partem vel penitus ſoluatur. Ad remouenda igitur iſta impedimenta multam Noſter impendit operam, et numeroſa inſtituit experimenta, quorum ope eo demum peruenit, vt eiusmodi diſquiſitiones multo facilius multoque certius nunc inſtitueret. Candide tamen fatetur, primam ſibi occaſionem a Cl. CRAMERO ſuppeditatam fuiſſe, quippe qui minerae ferreae diſquiſitionem ſequenti, vt Noſter refert, modo inſtituit. Carbonum nimirum puluere catinum probatorium implet, cui foſſulam imprimit, quam minera cum puluere carbonum et vitro, ſeu et ſcoria pura, non ſulphurea commixta replet, et fortem tunc ignem excitat. Eandem viam Noſter ingreſſus optime quidem rem in minerae ferreae diſquiſitione, neque tamen in aliis ſucceſſiſſe, refert; ſiquidem reliqua metalla prius auolent, quam vitrum in fluorem perfectum perducatur. Maiorem vero ſpem in borace concipiens, iſtam adhibuit, tandem numeroſis experimentis, multis etiam irrito euentu inſtitutis, exoptatiſſimum finem ſortitus eſt. Vt autem Lectores noſtri exactam huius libelli egregie conſcripti notionem habeant,

p.127. habeant, ſpeciminis loco propoſitionem decimam ſeptimam, de diſquiſitione minerarum plumbi, eiusdemque reſolutiones et ſubnexas annotationes communicamus, inprimis, cum varia hic occurrant quae a Noſtro accuratius ſuſcepta eſſe, deprehendimus. Prima huius propoſitionis reſolutio ſequens eſt: commiſcentur duo centum pondia docimaſtica ſeu drachmae duae minerae plumbi facile fuſilis vſtulatae cum dupla portione fluxus nigri, vel refractariae, ſeu difficulter fundendae cum tripla vel quadrupla eiu dem fluxus portione, quibus centumpondium dimidium limaturae martis non rubiginoſae, aliudque centumpondium dimidium fellis vitri admiſcetur, Cuncta bene mixta crucibulo ſeu catino probatorio immittuntur et ſale communi obteguntur. Alia huius propoſitionis reſolutio ſequenti modo traditur. Commiſcetur centumpondium minerae plumbi vſtulatae cum aequali portione boracis calcinatae, dimidio centumpondio vitri ſubtiliſſime contriti, quarta centumpondii parte picis ſolidae, eademque quantitate limaturae martis non rubiginoſae. Mixta vaſi, humectato puluere carbonum obducto, committuntur; vaſculum tunc ante follem ponitur ſtatimque, ac candeſcere incipit, ventus per quindecim aut viginti minuta follium ope adflatur, poſteaque vas iſtud ab igne remouetur, et refrigeratum diffringitur; ſic maſſa obtinetur, cuius pars ſuprema ex ſcoria, media ex maſſa quadam, lapidi cupri (*Rohſtein*) ſimili, et infima ex regulo plumbi conſtat, qui tunc ſeparandus et bilanci imponendus eſt. Haec ad reſolutiones propoſitionis ſpectant; iam vero in ſubnexis annotationibus procedendi modum declarat et rationem de eodem reddit. Martis nimirum limaturam addit, quo ſulphur in vſtulata minera relictum ſeparetur, ſiquidem conſtat, ſulphur facilius cum ferro, quam cum plumbo coniungi.

iungi. Vſtulatam dein mineram non vſtulatae praefert; licet enim non neget, plumbum, magna limaturae martis copia ſi addatur, bene etiam obtineri poſſe, vſtulatam tamen adhibere ſuadet, et quidem eam ob cauſam, quod in magnis operationibus minerae iſtae ſemper vſtulentur tuncque requiratur, vt experimentum docimaſticum cum fuſione vulgari conueniat. Fluxum nigrum hic optime adhiberi poſſe nec plumbum deſtrui monet, idque ex eo declarat, quod ferrum, hic commixtum cum hepate ſulphuris, inde producto, melius coniungatur quam plumbum. Sufficiant haec: ſperamus etenim, fore, vt Lectores noſtri ex his facile perſpiciant, quantam ex hocce libro vtilitatem quisque harum rerum peritus capere, quantumque in rem metallicam emolumentum inde redundare poſſit.

XIV.

Regnum animale in claſſes IX diſtributum, ſiue Synopſis methodica ſiſtens generalem animalium diſtributionem in claſſes IX, et duarum primarum claſſium quadrupedum ſcilicet et cetaceorum particularem diuiſionem in ordines, ſectiones, genera et ſpecies, cum breui cuiusque ſpeciei deſcriptione, citationibus auctorum, de iis tractantium, nominibus eis ab ipſis et nationibus impoſitis, nominibusque vulgaribus a D. BRISSON, Hiſtoriae naturalis Muſei Realmuriani Demonſtratore, cum figuris aeneis. Pariſiis apud Ioannem Baptiſtam Bauche, 1756. 4 mai. 1 Alph. 1 pl. Tab. aen. 1.

et

Le Regne Animal diviſé en IX Claſſes, ou Méthode contenant la Diuiſion generale des Animaux en IX Claſſes et la diviſion particuliere de deux premieres claſſes, ſçavoir de celles des Quadrupedes, et de celle des Cetacées, en Ordres, Sections, Genres et Eſpeces. Aux quelles on a joint une courte deſcription de chaque Eſpéce avec les Citations des Auteurs qui en ont traité, les Noms qu' ils leurs ont donnés, ceux que leurs ont donnés les differentes Nations et les noms vulgaires. Par M. BRISSON cet.

A multis iam tentatam generalem et methodicam animalium diſpoſitionem et Noſter delineare ſuſcepit: cum enim in demonſtrandis curioſiſſimis animalium ſpeciebus muſei Reaumuriani occupatus eſſet, de eorum generibus, ordinibus et claſſibus rite conſtituendis et coordinandis ſaepe cogitauit. Non tantum igitur Synopſin methodi omnium animalium tradidit, ſed eam quoque in conſideratione quadrupedum et cetaceorum vlterius declarauit. Gallico idiomate omnia quidem deſcripſit, ſed latinam verſionem a latere in qualibet pagina appoſuit. Nos, qui proxime de ſplendido opere, quod auium hiſtoriam tradit et ſex voluminibus comprehenditur, Lectoribus noſtris expoſituri ſumus, nunc breuiſſimis ea, quae in praeſenti libro continentur, indicamus.

p. 1. Hominem, perfectiſſimum animal, conſiderando, nonnulla ex reliquis animalibus in omnibus ferme, alia in quibusdam tantum ad perfectionem fabricae

bricae corporis accedere, perſpicimus. Ille ſanguinem ceu humorem rubicundum in vaſis ſuis circumducit, pulmonibus reſpirat, cor duobus ventriculis inſtructum habet, foemina viuipara eſt et foetum lacte ex mammis alit, praeterea corpus piloſum et in manibus et pedibus quatuor extremitates oſtendit, reliqua animalia ſenſim ab hac corporis fabrica in aliam minus perfectam recedunt, et a Cl. Auctore in nouem claſſes diſtribuuntur.

1) *Quadrupeda*, quae in omnibus nunc enarratis conditionibus propius ad hominem accedunt, quatuor pedibus et corpore piloſo inſtructa ſunt et ita a ſequentibus diſtinguuntur.

2) *Cetacea* multa quoque cum homine communia habent: ſed corpus nudum et elongatum, pinnae carnoſae et cauda horizontaliter plana hanc claſſem definiunt.

3) *Aues* pulmonibus reſpirant, duos cordis ventriculos, corpus plumis tectum, pedes duos, alas duas, et roſtrum corneum obtinent.

4) *Reptilia* pulmonibus reſpirant, corpus tamen vel nudum vel ſquamoſum habent, pedes quatuor vel nullos. In hac tamen animalium claſſe ſummam deprehendimus varietatem, quae methodi leges turbat. Praeter id enim, quod monere poſſemus, nullum animal eſſe nudum, ſed quodlibet propriis ſuis integumentis cingi, ex his alia viuipara, alia ouipara ſunt, et ſolus modus, quo corpus reptando trahunt, hanc claſſem definire videtur.

5) *Piſces cartilaginei* ſimilem varietatem oſtendunt, quod et viuipara et ouipara ſint animalia, pinnas tamen habent cartilagineas et per foramina ad bronchias aperta ſpirant.

6) *Piſces proprie dicti* a praecedentibus diſtinguuntur, quod pinnas, oſſiculis conſtantes, habent et bronchiis, tegmine mobili oſſeo coopertis, ſpirant.

7) *Cruſtacea* caput, antennis inſtructum, et pedes octo et plures habent, corpus eorum tegmine mutabili tegitur, quod ſcilicet incremento corporis deiiciunt, nouo ſucreſcente.

8) *Inſecta* per plures mutationes tranſeunt, ideoque, antequam ad vltimum incrementum accedunt, varias formas induunt, nec, niſi poſt vltimam mutationem, ſpeciem multiplicare poſſunt. Ante vltimam metamorphoſem ſtigmata plura ceu organa reſpirationis obtinent, poſt vltimam vero metamorphoſin caput antennis inſtructum et pedes ſex obtinent.

9) *Vermes* nec antennas, nec pedes, nec ſtigmata habent, ſed corpus vel totúm vel aliqua eius pars ita fabricata eſt, vt ſponte ſe contrahere et extendere poſſit.

p. 17. Breuiſſimam hanc tractationem ſequitur amplior quadrupedum conſideratio, in his ordines, ſectiones, et genera potiſſimum ex dentibus et pedum vngulis, vnguiculis, cornubus, et cauda deſumit. Nos, octodecim ordinibus breuiter indicatis, reliquas ſubdiuiſiones ſubiuncturi erimus, quo generum notitia exinde pateat. Conſiderantur ideo animalia

1) Edentula: Corpore piloſo. *Myrmecophaga*, ſiue Tamandua, ſpeciebus omnibus os anguſtum eſt, roſtro vel breuiore vel productiore; Corpore ſquamoſo. *Pholidotus*, Manis LINN. Armadillus ſiue Lacertae ſpecies.

2) Quae dentes molares tantum habent, corpore piloſo *Tardigradus*, Bradypus LINN. Ai ſiue

Igna

Ignauus RAII; cataphracta cincto. *Cataphractus*, Armadyllo, Daſypus LINN.

3) Quae dentes molares et caninos tantum habent his longiſſimis maxillae ſuperiori affixis; Surſum vero recuruos, proboſcide longiſſima habet *Elephas*; deorſum incuruos, proboſcide nulla, *Odobenus*, quod ſcilicet genus Phocam dentibus exſertis, Obodenum LINN. et Manatum LINN. complectitur: hic quidem duobus tantum pedibus praeditus eſt, tantam autem cum quadrupedibus ſimilitudinem habet, vt pedes poſteriores cum cauda coaluiſſe videantur.

4) Quae dentes inciſores in maxilla ſuperiore nullos, in inferiori ſex habent et duobus digitis vnguiculatis inſtructa ſunt. Hic ordo vnicum *Cameli* genus continet et Dromas PROSP. ALP. et Ouis Peruana et Chilenſis IONST. vt ſpecies ſubiunguntur. Animalia ruminantia ſunt, quatuor ventriculis inſtructa, non tamen cornigera.

5) Quae dentes inciſores in maxilla ſuperiori nullos, ſed octo in inferiori habent et pedibus biſulcis inſtructi ſunt. Ex his cornua ſimplicia ſurſum verſa habent *Giraffa* ſiue Camelopardalis et *Hircus*, illa femora antica longiora, hic aequalia cum poſterioribus oſtendit. Cornua porro retrorſum *Aries*, et ad latus verſa *Bos*, cornua tandem ramoſa *Ceruus* habet. Dama, Rangifer et Alce vt ſpecies huc pertinent. Foeminae nulla cornua habent praeter Rangiferam foeminam et Ceruam Groenlandicam. Nulla cornua in *Tragulo* ſiue Capra pedibus digito humano anguſtioribus LINN. obſeruantur.

6) Dentes inciſores in vtraque maxilla et pedes ſolidungulos habet *Equus*. Zebra, Aſinus et Mulus vt ſpecies ſubiunguntur.

7) Dentes inciſores ſimiles, ſed pedes biſulcos, habet *Sus*. In dentibus quidem inciſoriis aliqua varietas ratione numeri obſeruatur, ſed roſtrum oblongum in planum rotundum terminatum, in quo nares ſunt, characterem certum huius generis ſiſtit.

8) Dentes inciſores, in vtraque maxilla duos, a ſe inuicem plurimum remotos, nullos caninos, digitos tres vngulatos, et cornu in naſo exhibet *Rhinoceros*.

9) Dentes inciſores in vtraque maxilla duos, nullos caninos, quatuor digitos vngulatos in pedibus anticis, tres in poſticis habet *Hydrocherus* ſiue Capybara Braſilienſium, Sus maximus paluſtris BARR. Dentes molares in qualibet maxilla octo habet, quatuor vtrinque, quilibet tribus quaſi aequiualet, et licet ſuperius quodammodo diſtingui poſſit, inferius tamen coaleſcit et tripartitus tantum eſt.

10) Digitis ſimilibus, ſed dentibus in vtraque maxilla decem inſtructus eſt *Tapirus* Tapiiecere Braſilienſibus, Sus aquaticus multiſulcus BARR.

11) Dentes inciſores in vtraque maxilla, ſed digitos vngulatos quatuor in ſingulis pedibus habet *Hippopotamus*. Quadraginta quatuor dentes oſtendit, octo inciſores, quatuor caninos et triginta duos molares.

12) Quae dentes inciſorios duos in vtraque maxilla et digitos vnguiculatos habent animalia, maxime diuerſa ſunt. Ex his nonnulla dentes caninos non habent, et *Hyſtrix* quidem corpore aculeato, reliqua aculeis deſtituta ſunt, in *Caſtore* vero, cauda plana ſquamoſa, in *Lepore* et *Cuniculo* cauda breuiſſima vel nulla eſt; in illo auriculae longiſſimae, in hoc breuiſſimae

uiſſimae vel nullae conſpiciuntur. Caudam porro longam et planam *Sciurus*, rotundam *Glis*, et nudam ferme *Mus* obtinent. Alia vero huius ordinis animalia caninos quoque dentes habent, corpus tamen aculeatum *Erinaceus*, his deſtitutum *Mus araneus* ſiue Sorex LINN. obtinent.

13) Dentes inciſores in qualibet maxilla quatuor et digitos vnguiculatos habent *Simia* et *Pteropus* ſiue Veſpertilio. In priori digiti omnes ſeparati ſunt, pollice quoque diſtincto, in altero digiti pedum anteriorum membrana connectuntur et ita quaſi in alam expanduntur. Ampliſſima Simiarum familia in quinque ſtirpes diſtribuitur, in 1. ecaudatae, roſtro breui, 2. ecaudatae roſtro productiore, 3. cauda breuiſſima, 4. cauda longa et roſtro breuiſſimo, 5. cauda longa et roſtro productiore inſtructae, recenſentur.

14) Dentes inciſores in maxilla ſuperiori quatuor, in inferiori ſex, et digitos vnguiculatos habet *Proſimia* et *Veſpertilio*, in quibus differentia praecedentis generis, ratione digitorum ſeparatorum et membrana coniunctorum, quoque attendenda eſt. Vti itaque Veſpertiliones, quatuor in vtraque maxilla dentibus inſtructi, ad Pteropum, ſic Simiae ſiue Maki, quoniam ſex dentibus inciſoriis in maxilla inferiori inſtructi ſunt, nouum Proſimiae genus conſtituunt.

15) Dentes inciſores in ſuperiori maxilla ſex, in inferiori quatuor *Phoca* ſiue vitulus marinus habet; vnguiculati digiti membranis inter ſe connectuntur et pedes poſteriores pinnarum ad inſtar retrorſum extenſi ſunt, ita vt amphibium ſit animal, quod diutius in mari, quam in terra, commoratur.

16) Dentes inciſores in vtraque maxilla ſex, et digitos vnguiculatos varia animalia, generibus ſuis diſtincta, habent. In prima ſectione continentur ea, quae digitos a ſe inuicem diſtinctos oſtendunt, mox amplius enarranda; in altera vero *Lutra* ſola, amphibium animal, digitis membrana inter ſe connexis, conſpicua eſt. Animalia, quae digitos a ſe inuicem diſtinctos habent, numero eorum vel incedendi ratione differunt. Sic enim *Hyaena* ſiue Gulo, Dabuh Arabum, quam LINNAEUS ad canes refert, digitos in pedibus anterioribus quatuor, in poſterioribus quinque, habet. *Canis* digitos in pedibus anterioribus quinque, in poſterioribus quatuor habet. Licet enim ſpecies prior, domeſticus nimirum canis, etiam in poſterioribus pedibus quinque digitos obtineat, haec tamen varietas genus non mutare videtur, cum reliquae ſpecies Lupus et Vulpis characterem ſeruent. *Muſtela* et *Meles* in anterioribus et poſterioribus pedibus quinque digitos habent; in Muſtelae vero ſpeciebus pollex ab aliis digitis remotus et altius collocatus eſt, vti in Muſtela vulgari et Armellina, in Viuerra, Marte vulgari et Zibellina, in Putorio, in Ichneumone et in Genetta ſiue Cato Hiſpanico. Meles ſiue Taxus pollicem aliis digitis proximum habet. Huc quoque referri poteſt Ciuetta ſiue animal Zibethi. *Vrſus* calcaneis incedit, quorſum pertinet Coati Braſilienſium. *Feles* tandem vngues hamatos et intra vaginas retractiles, habent, praeterea capite rotundo, roſtro breui et lingua aculeis ſcabra donatae ſunt. Felis domeſtica et ſylueſtris, Leo, Tigris, Leopardus, Purdus, Catus ceruarius et Lynx ſpecies ſiſtunt.

17) Den-

17) Dentes inciſores in maxilla ſuperiori ſex, in inferiori octo, digitos vnguiculatos plantamque pedis anteriorem extrorſum verſam *Talpa* habet.

18) Dentes in maxilla ſuperiori decem, in inferiori octo et in ſingulis pedibus digitos quoque vnguiculatos, pollicemque a reliquis digitis diſtinctum habet *Philander*, Didelphis LINN. Mus marſupialis, cuius nouem ſpecies recenſentur.

In ſpeciebus enarrandis Cl. Auctor non tantum ſynonima praeſtantiſſimorum Zoologorum et varias denominationes, in diuerſis Europaearum et aliarum regionum linguis receptas accurate proponit ſed et annotat, in quibus ſcriptoribus optimae icones reperiuntur; adiicit praeterea accuratam habitus corporis deſcriptionem ſecundum ordinem et menſuram variarum partium et habitationes horum animalium ſubiungit. In tabula addita differentiae dentium, quibus Noſter potiſſimum in ordinibus animalium diſtinguendis vtitur, adduntur. Indices ampliores et generum ideam et ſynonima egregie ſiſtunt.

Exempli loco adducamus Leonem. p. 267.

Felis cauda in floccum deſinente. Leo.

Felis cauda elongata floccoſa thorace iubato
Linn. ſyſt. nat. ed. 6. g. 5. ſp. 1.

Leo. *Rai. Syn. Quadr. p. 162.*
Klein. Quadr. p. 81.
Geſn. Quadr. Fig. p. 642. (Fig. bona).
Geſn. Icon. Quadr. Fig. p. 66. (Fig bona).
Aldro. Quadr. dig. viu. p. 2. Foem. Fig. p. 6. (Fig. ſat. bona).

Ionſt. Quadr. p. 78. *Fig. T.* 50 *et* 51. (*Fig. bonis*).
Charlet. Exerc. p. 14.
Muſ. Worm. p. 317.
Bont. Ind. ori. p. 55.

Lion. *Hiſt, de l' Acad. Tom. III. Part. I. le Mâle p.* 3. *Fig. Pl.* 1. *La Femelle p.* 19. *Gig. Pl.* 3. (*Fig. tres bonnes*).
Kolbe Tom. III. p. 2. *Fig. p.* 4. *F.* 1. *et* 2. (*Fig. bonnes*).

Les François appellent le male LYON; *et la femelle,* LYONNE.
Les Latins, le male, LEO; *et la femelle,* LEOENA.
Les Hebreux, LABI, LAISCH; ARI; ARIECH; GUR; *et* KEPHIR. *Geſn. Aldro.*
Les Chaldéens, ARIAVAN. *Geſn. Aldro.*
Les Grecs Λεὼν.
Les Arabes ASAD. *Geſn. Aldro.*
Les Perſes, GEHAD. *Geſn. Aldro.*
Les Saraſins, SEBEY. *Geſn. Aldr.*
Les Eſpagnols, LEON. *Geſn. Aldro.*
Les Italiens, LEONE. *Geſn. Aldro.*
Les Allemands et les Illyriens, LEW. *Geſn. Aldro.*
Les Suedois, LEYON. *Linn.*
Les Anglois, LION. *Rai. Geſn. Aldro.*

La longueur de ſon corps, depuis le bout du muſeau jusqu'à l'origine de la queue, eſt de $7\frac{1}{2}$ pieds; et ſa hauteur, depuis la partie ſupérieure du dos jusq' à terre, de $4\frac{1}{2}$ pieds. Sa queue eſt tres longue, et eſt terminée par un bouquet de poils

Corporis longitudo, ab extremitate roſtri ad caudae exortum vsque $7\frac{1}{2}$ pedes aequat; altitudo, a parte ſuperiore dorſi ad terram, $4\frac{1}{2}$ pedes. Caudam habet longiſſimam, in pilorum floccum deſinentem; caput craſſum; ſplenden-

tes

poils. Sa tête eſt groſſe: ſes yeux ſont brillants; ſes oreilles courtes et arrondies. Il a 5 doigts aux pieds de devant, et 4 a ceux de derriere. La couleur de ſes poils eſt fauve dans la partie ſuperieure du corps, et d'un blanc jaunâtre dans la partie inférieure. Lorsqu' il eſt vieux, ſon col et ſa poitrine ſont couverts d'une trés longue criniere.

La femelle eſt beaucoup plus petite que le mâle; et quelque vieille, qu' elle ſoit, elle n' a jamais de criniere.

On le trouve en *Aſie* et en *Afrique*.

tes oculos; auriculas breues et ſubrotundas; in pedibus anterioribus 5 digitos, in poſterioribus 4 tantum. Pilorum color in parte corporis ſuperiore eſt fuluus, in inferiore ex albo flauicans. Cum ſeneſcit animal, collum ipſius et pectus iuba longiſſima ornantur.

Foemina mare multo minor eſt; et quamquam ſenectutem adepta fuerit, nunquam iubata eſt.

Habitat in *Aſia* et *Africa*.

Simili ratione alteram animalium Claſſem Cetacea ſcilicet, pertractat. His corpus nudum elongatum, pinnas carnoſas et caudam horizontaliter planam adſcribit. Marina ſunt et nunquam in ſicco viuunt, cum quadrupedibus partium internarum ſtructura et vſu conueniunt, duos cordis ventriculos habent et pulmonibus reſpirant, ideoque in capite vel roſtro vnam vel duas fiſtulas habent, per quas aquam reiiciunt, coeunt praeterea, viuos foetus pariunt, eosque lacte alunt. Ordinum differentias ex dentibus deſumit Noſter et quatuor conſtituit. p. 345.

1) Edentula eſt *Balaena*, maxilla tamen ſuperior laminis corneis vtrinque inſtructa eſt. Species vel

vel binas tantum pinnas laterales habent, aliae praeter laterales tertiam in dorso obtinent, aliae dorso leui, aliae gibboso sunt, et rostrum vel rotundum vel acutum habent.

2) Dentes in maxilla inferiori tantum, ita tamen, vt alueoli in maxilla superiori conspicui ad dentes inferiores includendos aptati sint, *Cetus* habet. Et hi interdum pinnas laterales tantum, interdum tertiam in dorso obtinent. Fistula vel in ceruice vel in rostro collocata, et dentium forma in variis diuersa est.

3) Dentes in superiori maxilla duos, longissimos, rectos, antrorsum prominentes, *Ceratodon* Monodon ART. Nachwal KLEIN. Monoceros LINN. habet.

4) Dentes in maxilla vtraque habet *Delphinus*. Species sunt Delphinus, Phocaena et Orca, ROND. quae omnes, praeter laterales, pinnam quoque dorsalem habent, vltima vero species Physetor ROND. pinna dorsali destituitur.

XV.

Melanges de Chirurgie par M. CLAUDE POUTEAU, Docteur en Medecine et en Chirurgie, Ancien Chirurgien en chef du grand Hotel-Dieu de Lyon. a Lyon, chez Geofroy Regnault. 1760. 8 mai. Alph. 1. pl. 10. tab. aen. 3.

h. e.

Miscellanea chirurgica Auctore Cl. POUTEAU.

De vsu cauterii actualis potissimum agere susceperat Cl. Auctor, qui ea de re commentarium Academiae scientiarum et bonarum artium Lugdunensi

nenſi tradiderat, et aſſerta ſua obſeruationibus practicis et theoretica explicatione illuſtrauerat. Hunc ipſum in praeſenti libello exhibet, et varias obſeruationes ad chirurgiam potiſſimum ſpectantes ſubiungit.

In Commentario monet, cauteria actualia, veteribus vſitata, vtpote crudelia non tantum neglecta, ſed a chirurgis recentioribus quoque minus laudata, immo reprehenſa fuiſſe, cum vero haec remedia in doloribus rheumaticis fixis et inueteratis magno cum aegrorum commodo applicata fuerint, commendationem eorundem lubens ſuſcipit. In prima igitur parte ad experientiam prouocat et quatuor potiſſimum obſeruationes notatu dignas proponit. p. 1.

Prima ſiſtit virum quadraginta ſex annorum, qui rheumatiſmo vehementi in ſiniſtro femore affectus, dolores acerbiſſimos vsque ad talum percipiebat, qui cataplasmatibus anodynis et aliis remedium diſcuti vix poterant. Poſt duos menſes in noſodochium deducto, Noſter et aegro et medico ordinario conſentiente, cauterium actuale inter trochanterem magnum et criſtam ilei, vbi potiſſimum ſedes doloris erat, applicabat et, eſchara formata, puluillum vnguento baſiliconis imbutum applicabat; quo facto non tantum noctem quodammodo tranquillius tranſegit, ſed poſt quinque ſeptimanas integram ſanitatem recuperauit. Sub ipſa cauterii applicatione aeger non adeo viuidum dolorem ſenſerat. Cauterium vero ita praeparatur et applicatur. Goſſypium in cylindrum, pollicis circiter craſſitie conuolutum, taeniola linea cinctum et filis in extremitatibus ſutum, in duas partes diuidit, et baſi ad cutim applicat. Moderate vero conſtrictum ſit goſſypium, nam ſi nimis laxum eſt, ignem non continuat, ſi nimis arctum, vsque ad baſin non procedit ignis vis. Locus vbi cauterium applicatur, primo

ſaliua

ſaliua humectatur, quando vero ignis vis ad baſin cylindri, cuti applicatam accedit, ex integumentis humor exſudat, quo mediante baſis cylindri cuti preſſius adhaeret. Non vnus tantum, ſed duo et tres loco affecto applicari poſſunt cylindri, et in eundem locum, vbi prior adhaeſerat, alter addi poteſt; caueat tamen chirurgus, ne ligamenta, articulo vicina, laedantur. Hac occaſione quaeſtionem Academiae chirurgicae Pariſinae 1753 propoſitam et datas eius ſolutiones examinat, ſimulque ad praeſtantiſſimos medicos, qui cauteria actualia laudarunt, prouocat.

p. 20. Secunda obſeruatio ſiſtit foeminam tringinta ſex annorum, iſchiadico malo in femore ſiniſtro vexatam, quae nec ab internis nec ab externis remediis, ſpeciatim ab embroche aquarum medicatarum, leuamen recepit, dolor potius ſpaſticus ad peluim, et ſpeciatim ad veſicam ita ſe extenderat, vt vrina non niſi cathetere applicato educeretur, malum quoque ad eum proceſſerat gradum, vt cum continuis doloribus femur marceſceret. Cauterio ad partem dolentem applicato, intra menſis ſpatium ad eum conualeſcendi gradum acceſſit, vt a doloribus libera eſſet. Licet etiam poſt ſex menſes de ſimili dolore in regione oſſis ſacri conquereretur, tamen et idem remedium cum fructu applicabatur.

Chirurgus, ex Gallia oriundus Warſouiae in Polonia viuens refrigerio tactus, poſt aurem ſuper proceſſum maſtoideum vehementi rheumatiſmo afficiebatur; chirurgi quidam tria cauteria actualia loco dolenti applicabant, quae adeo ſalutarem effectum edebant, vt in illo loco dolor nunquam recurreret. Lugdunum poſtea reuerſus ſimili ratione in parte oppoſita afficiebatur aeger, ita vt poſt tres menſes, dolores continuati ruborem inflammatorium in illa parte contraherent. Inciſione itaque ad perioſtium vsque facta, paucae puris guttae emanabant. Poſt

ali-

aliquot menſes in vltimo hoc loco iterum oriebatur dolor, Noſter itaque applicationem cauterii, quod in parte oppoſita adeo ſalutare fuerat, ſuadebat, qualis vero eius effectus fuerit, non commemoratur.

Foemina religioſa, a multis iam annis rheumatico dolore in femore ſiniſtro vexata, variis remediis, inprimis veſicatoriis ampliſſimis tentata, nullum leuamen acceperat. Cauterio actuali in parte anteriore et medio femoris applicato ſolatium percipiebat aegra, et Noſter per menſem abſens interea emplaſtrum diapalmae applicare iuſſerat, ex itinere vero reuerſus non ſine admiratione percepit, eſchara remota, tantam vim ichoris effluxiſſe, vt aliquoties de die lintea applicata tota humida reddiderit, et partes quoque vicinas arroderit. Vlcus ipſum foedum cancroſi vlceris faciem prae ſe ferebat, ita vt Noſtrum iam poeniteret, corpori adeo impuro cauterium applicaſſe. Cum autem aegra de nullo dolore conquereretur, ſanationem lente adiuuit, ſaniei itaque effluxus ſenſim ceſſauit, et excreſcentiae carnis, carcinomaticis ſimiles, paulatim ſubſederunt, piſo tamen addito, fonticulus in loco illo apertus conſeruatus fuit. p. 27.

His obſeruationibus praemiſſis, effectus et commoda cauterii ex theoria medica declarare ſuſcipit et longa recenſione incommoda morboſa, quibus ipſe a decimo quinto aetatis anno vexatus fuerat, recenſet; ex quibus colligitur, plethoram, cum acri labe humorum coniunctam, varias tenſiones rheumaticas in corpore excitaſſe, per remedia diſcutientia et anodyna cohibitas quidem, nunquam tamen ſuppreſſas. Monet itaque Noſter, humorem rheumaticum acrem fere cauſticum non in vaſis tantum circulari, ſed in contextu potius celluloſo huc illucque ruere, et per cauſſas occaſionales, ſi etiam interdum quieſcit, iterum p. 31.

p. 43. rum agitari. Duas itaque indicationes in morbo debellando ſibi format, ſcilicet immutationem moleculârum acrium et regreſſum eorum ad circulum humorum vniuerſalem, quo exitum per colatoria inueniat. Ignis rarefaciendo particulas illas mutat et ita ſtimulandi vim tollit, aut ſi hoc minus certum videatur, ignis pinguedinem attenuat et efficit, vt humor rheumaticus in ea ſubigatur.

p. 46. Tela vero ex fibris vegetabilibus, quale goſſypium refert, ferro candenti ideo praeferri meretur, quoniam ignis vis, ea accenſa, ſucceſſiue agit, ita vt aliqua eius vis ſenſim ſe diffundat, nec tantum partem integumentorum, quam deſtruit, ſed et vicinas penetret, quod ſi etiam dolorem non ſuſtinere poſſet aeger, conus ardens, antequam eſchara formatur, remoueri queat. Iaponenſes moxam applicant ex lanugine foliorum artemiſiae paratam, et forte ex lino vel potius cannabi ſimilis materia cauterii deſumi poteſt. In fixis autem rheumatiſmis tantum cum ſucceſſu adhibetur, effectum enim a moxa in podagra non obſeruarunt, cum materia vaga ad alias partes diſpulſa fuerit.

p. 49. Nunc Cl. Auctor deſcribit ſenſationes, quas ipſe a cauterio hoc applicato perceperat. Dolore fixo in media et laterali parte pectoris ſiniſtri potiſſimum excruciabatur, ibi itaque applicabat conum goſſypii. Calor gratus primum ſe diffundebat per partes vicinas, qui tamen paulo poſt adeo acerbus reddebatur, vt eundem vix ſuſtinuiſſet, niſi iam praeuidiſſet, cute deſtructa eum diminui, protrahebatur vero dolor vsque ad quartam ferme horae partem. Mutationes doloris rheumatici eo tempore euenientes Noſter obſeruare vix poterat, cum intenſior vſtionis ſenſus alterum morbi prorſus ſupprimeret. Eſcharae emplaſtrum nigrum et ſuper illud lintea complicata calida applicauit, et paulo poſt in ſomnum

ſomnum incidit, quem longo tempore non adeo tranquillum perceperat; euigilans nec rheumatiſmi nec aduſtionis ſenſu amplius vexabatur, praeter leuem tenſionem a latere eſcharae. Succeſſit vero, vt ſolet, ſuppuratio copioſa, et, emplaſtro nigro porro applicato, poſt duos menſes cicatrix inducta fuit. Diaeta vero accurata et vſu lactis humorem rheumaticum porro coercere et prorſus ſupprimere tentauit. In praeſenti etiam caſu notandum eſt, non tantum rheumatiſmum muſculorum pectoris, ſed etiam decubitum ad pulmones ſimul diſſipatum fuiſſe. Non p. 55. quidem negandum eſt inflammationem et ſuppurationem eſcharae ad ſanationem multum contribuere: cum tamen ſuppuratio ex veſicatorio idem non praeſtet, certe ignis vim praecipue attendendam eſſe monet Noſter, qui, ad hanc rem porro declarandam, varias obſeruationes Auctorum ſub examen ducit, et ignis vim, vt paſſim iam fecit, definire tentat, quo remedium in rheumatiſmis particularibus hactenus neglectum porro commendet, et crebriorem eius vſum ſuadeat.

Problema nunc proponit: Num cauteria, ſetacea, cucurbitulae ſiccae et veſicatoria particulas vitiatas humorum noſtrorum, quae morbum faciunt, praecipue ad locum, cui applicantur, ducere queant? Talem quidem effectum expectare circulationi humorum contrarium videtur, cum interim experientia aſſertum confirmet, de ſede morbi, in contextu celluloſo potiſſimum quaerenda, diſſerit Noſter, et materiam rheumatiſmi cum materia podagrica errante comparat. Septem itaque obſeruationes proponit, quae varium materiae acris progreſſum ad loca particularia declarant; has quidem repetere non poſſumus: ex iis tamen deriuationem potius materiae morboſ e, ſeu pituitae acris veterum, ad partes, quas occupat, quam reuulſionem ad alia p. 71.

loca vt effectus remediorum cauſticorum aſſumi poſſe, colligit Noſter, ſimul tamen prouocat ad vim arteriarum, a ſuperiori et inferiori ſyſtemate aortae dependentem et vsque ad contextum celluloſum ſe extendentem; ſi igitur humor morboſus in parte haeret, cuius vaſa ab vno vel altero ſyſtemate aortae dependent, ad eam omnino remedium applicandum eſt. Minime vero ad haec tantum, ſed ad vim reſorptionis in vaſis lymphaticis, quae a circulatione non pendet, et ad naturam et indolem humoris vitiati reſpiciendum erit.

His praemiſſis obſeruationes miſcellaneae proponuntur.

p. 92. 1) *Noua methodus applicandi ſetaceum in morbis viarum lacrimalium.* Recenſet et paſſim carpit Cl. Auctor inuenta Cl. Chirurgorum, et inprimis ſpecilla, vel a parte orificii inferioris ſacci lacrimalis in naribus, et per puncta lacrimalia in angulo oculi interno introducenda *) difficultatibus non carere oſtendit. Inciſio externa, quam ad angulum internum oculi in ſaccum lacrimalem efficiunt, multi aegri ob cicatricem reformidant; ipſe igitur inciſionem interne ſub caruncula lacrimali incipit, in interiore ſuperficie palpebrae continuat, et lanceolam oblique verſus fundum ſacci lacrimalis dirigit, poſtea a latere lanceolae, quam in vulnere relinquit, ſpecillum introducit, quo orificium ductus lacrimalis naſale aperit. Operatione hac ratione inſtituta puncta lacrimalia non laedit, purulentam materiam euacuat, ſpecillum craſſius, quam per puncta lacrimalia fieri poteſt, introducit, et ſanationem vulneris ſine cicatrice externa abſoluit. Inflammatio pal-

*) vid. Comment. noſtr. Vol. III. Part. IV. p. 590. et 592.

palpebrae interna quidem ſubſequitur, ſed, ſi coniunctiua membrana ſatis inciditur, illa non adeo moleſta eſt. De ſetaceo applicando porro non nulla monet, illudque ex ſerico rubro potius, quam albo conficit, quoniam illud non adeo facile deſtruitur.

2) *De apparatu in fiſtula ani deliganda.* Elychnia *bourdonets* et turundas nimis magnas et duras taxat; in vulnere enim ad inteſtinum rectum ſuper ſphincterem producto, nec conprimere, nec medicamenta illinita applicare poſſunt, et ſine his gangraena etiam oborta et eſchara remota ſanationem in aegro quodam abſoluit; in fine tamen et vbi papillulae excreſcentis carnis ad cicatricem formandam neceſſariae, adſunt, caute iis vti poſſumus, exſiccantibus nimirum medicamentis admotis. In nimia orificii ani conſtrictione haec auxilia minus neceſſaria eſſe docet, locum enim non habent, niſi in magna ſubſtantiae carnis deſtructione, quo in caſu tamen incrementum carnis, vbi illud requiritur, primo admittendum eſt, antequam ad cicatricem formandam turundae immittantur. Quo inuentum ſuum nouum reddat, monet porro ſe ante FOUBERTUM *) qui abſceſſus ad anum tantum aperiendos ſuadet, de hac re cogitaſſe. p. 108.

3) *De abſceſſibus ad hepar, qui poſt vulnera capitis contrahuntur.* Examinat primum explicationem huius phaenomeni, quam Cl. BERTRANDI exhibuit **) et vrget laeſo capite fortiorem regreſſum ſanguinis per ſinus et venas iugulares ad venam cauam ſuperiorem, qua acceſſus ſanguinis ad dextrum cordis ventriculum per venam cauam inferiorem impeditur, aſſumi haud poſſe, hinc abſceſſibus his formandis occaſionem non dare. Noſter potius exiſtimat p. 123.

*) vid. Comment. noſtr. Vol. VIII. Part. II. p. 218.
**) vid. loc. cit.

ſtimat, circulum ſanguinis per obſtructas capitis arterias impediri, ideoque affluxum ſanguinis arterioſi ad coeliacam, et ad reliquas arterias infimi ventris maiorem fieri, et in eo cauſſam abſceſſus formati conſiſtere. Ipſe vero venaeſectionem in pede inſtitutam, quam etiam Cl. BERTRANDI diſſuaſerat, ideo noxiam pronuntiat, cum columnam ſanguinis maiorem ad inferiorem aortam determinet, et ita obſtructionem inflammatoriam augeat.

p.141. 4) *De effectu olei oliuarum in morſu viperae.* Experimenta ab Academia Scientiarum Pariſina, in animalibus inſtituta, idem non promittere videntur, quod Anglica Societas in transactionibus philoſophicis, de oleo oliuarum, remedio ſpecifico, contra morſum viperae propoſuerat. Noſter vero et per tentamina in nonnullis animalibus inſtituta, et per quatuor obſeruationes in hominibus factas ſpecificam hanc
p.159. vim demonſtrare annititur. Dum igitur primo laeſionem dente acutiſſimo factam perpendit Noſter, iam in punctura magnum periculum reperit, illudque variis exemplis declarat *). Sed ipſum quoque venenum, quod ex obſeruationibus Cl. MEAD acidae naturae eſſe videtur, licet hoc aſſertum nondum euictum ſit, neruos quoque vehementer penetrat, ita vt acrimonia ſua, eretiſmum vniuerſalem et conſtrictionem vaſorum efficiat, quam oleum oliuarum vt emolliens tollit. Accuratior cognitio veneni non habetur, nec ſatis euinci poteſt, num coagulum, an diſſolutionem ſanguinis efficiat. Optime etiam monet raro medicamentis internis opus eſſe, et calida theriacalia et volatilia, quae ſanguinis maſſam commouent, non ſemper conuenire.

5) *De*

*) Conferri meretur exigua ſaepe punctura tetani cauſſa in Comment. noſtr. Vol. X. Part. IV. p. 629.

5) *De vſu camphorae interno.* Morbus epidemicus Lugduni potiſſimum foeminas poſt puerperium ingrediens, docuit largam camphorae doſin, ad triginta et plura grana intra breue temporis ſpatium datam, ſalutarem fuiſſe, cum, quae hoc remedio non vterentur, modo colicis doloribus affectae obirent. Sectiones autem demortuarum non tantum vteri gangraenam, ſed et eryſipelas omenti cum ſimili inteſtinorum affectione et coalitione praeternaturali coniunctum, cauſſam mortis declararunt. Concludit vero Noſter, camphoram in inflammationibus eryſipelaceis, non aeque in phlegmonode conuenire. Camphorae autem vim magis refrigerantem quam calefacientem eſſe, ex ſequenti morbi hiſtoria concludit. Foemina iunior tertia poſt puerperium ſeptimana bene valebat et cum oblectamento cibum capiebat, cum ſubito colicis doloribus afficeretur, duodecim grana camphorae nullum effectum praeſtabant, continuando igitur intra ſpatium ſemihorii ſexaginta grana exhibebantur. In lectulum reponebatur aegra, regimine calido obſeruato, ſed doloribus colicis conſopitis, illa tanto frigore corripiebatur, vt pallida mortuae ſimilis eſſet, linteis calidis vero vlterius fota, et cardiaco dato frigus poſt horam ceſſabat, et aegra ſine ſudore conualeſcebat. Monet tamen, hanc obſeruationem aliasque allatas rationem actionis camphorae non ſatis definire, cum in tumoribus eryſipelaceis externis vſum huius medicamenti non adeo ſalutarem inuenerit. p. 180.

6) *Oſſificatio extraordinaria.* Duplici obſeruatione confirmat, abſceſſum poſt refrigerium ortum, et ad perioſtium vsque penetrantem, in femore et tibia obſeruatum fuiſſe, quo aperto, ſanies effluxit et os nudum inuentum fuit. Non a denudata, ſed a vicina ſana parte, concretiones oſſeae propullularunt, p. 190.

runt, quas, cum ante abſceſſum apertum ortae non fuerint, Noſter aeri, partes tangenti, vt cauſſae adſcribit, quo nimirum ſuccus oſſificus coagulatus fuit.

p.197. 7) *De lithotomia.* Apparatum magnum et lateralem Cl. Auctor combinare tentat, et varias enchireſes, quibus in calculi curatione vtitur, recenſet. Specillum ſulcatum ipſe tenere ſolet ſub operatione, illudque in extrema parte annulo inſtructum habet, quo digitum minimum ſiniſtrae manus immittere, et reliquis digitis ſcrotum reclinare, et cutim perinaei tendere poſſit. Lithotomum manu dextra ita comprehendit, vt indicem digitum dorſo eius applicare, et ita apte inciſionem praeſtare poſſit. Sectionem lateralem facit, primo per cutim et pinguedinem, poſtea lithotomo ſepoſito, indice diſquirit ſitum ſpecilli ſulcati, et illum, ſi neceſſe videatur, mutat, lithotomum poſtea ſimili ratione apprehendit, et indicem digitum ita applicat, vt extremum cuſpidem ſcalpelli ſuperet, quo eo ipſo ſimul percipiat, an inciſionem rite formet, eamque digito non nihil retracto abſoluit, ductorem canaliculatum *gorgeret* poſtea introducit. In calculi ſectione lentius verſari debere chirurgum monet, et inciſionem nimis amplam diſſuadet, cum enim verus ſphincter orificium veſicae non cingat, ſed longitudinales fibrae verſus proſtatam cumulatae ſint, illas in calculi extractione ſine noxa vlterius diduci poſſe confirmat.

p.215. 8) *De ligatura omenti.* Hanc et in tumore pinguis huius membranae et in eius gangraena inutilem iudicat, immo ſumme noxiam. Tumidum enim omentum interdum decreſcit ſublata compreſſione, in altero caſu natura ipſa libertate reddita partem corruptam a ſana ſeparat, vel ſi margini annuli applicatur, quid ſeruari non poteſt, poſtea ſine ligatura ſeparatur.

9) *De*

9) *De luxatione femoris ſurſum et extrorſum.* Ma- p. 239.
chinam a Cl. PETIT inuentam examinat et laudat, muſculorum tenſiones perpendit, et ideo applicationem machinae et enchireſes quodammodo mutatas commendat. Fulcrum machinae ad contraextenſionem faciendam non ſuper tuber iſchii applicari debere monet, ſed idem ad inguina ipſa applicat, perſuaſus compreſſionem vaſorum cruralium non adeo noxiam eſſe; femur ita flectit, vt in extenſione et contraextenſione praeſtanda, cum corpore angulum rectum faciat, et paulo poſt extrorſum torquet, quando extenſio ſufficiens facta eſt. Aſſerit igitur, in ſitu aſſumto facilem extenſionem fieri, cum muſculi non adeo tenſi ſint, aliaque monita, quae huc faciunt, ſubiungit.

10) *De luxatione femoris deorſum et introrſum,* p. 260.
ſcilicet in foramen ouale. Methodis variis diiudicatis, et ſitu oſſis luxati cum vicinis partibus declarato, Cl. Auctor monet, ſe fulcrum machinae Petitianae ſub oſſe ilei in cauum, quod depreſſus in hac luxatione trochanter maior efficit, collocare, et luxatum femur paulum a ſano diducere; interea ſocium quendam fulcrum facile ſecedens manu ſua, ad os ileum applicata, retinere. His ita diſpoſitis et extenſione vix incepta, Noſter femur verſus partem ſuperiorem, et ab interna extrorſum premere iubet, dum eo ipſo tempore ſocius genu a parte externa introrſum torquet, et experientia confirmauit, facilem fuiſſe capitis femoris regreſſum in cauitatem articuli. Aliam adhuc methodum commendat, qua femur ad angulum vsque rectum flectitur, vt in repoſitione luxationis antecedentis extrorſum et ſurſum factae, extenſione autem et contraextenſione, ad conuenientem gradum deducta, femur introrſum dirigendum eſſe.

p.273. 11) *De noxa ex laesionibus capitis et tunc oriunda, quando non nisi integumenta caluae laeduntur.* Varia symptomata eaque vehementiora in iis, qui ita laesi fuerunt, perpendit, et in perioſtio etiam vix laeso, neruos tamen per hanc partem copioſe diſtributos et nunc valide contuſos vt cauſſam conſiderat.

p.293. 12) *De phaſeolo vt nucleo calculi veſicae vrinariae reperto.* Corpora peregrina, in veſicam intruſa, calculo, circa haec corpora in lamellis nato, occaſionem dediſſe obſeruationes teſtantur. In deſcriptione ſectionis calculi, quam Noſter ſuſcepit, et in qua calculus magnitudine amygdali, cortice adhuc inueſtiti, eductus fuit qui phaſeolum in medio continebat, cuius et cuticulam ſecedentem et lobos ſeminales et germen accurate oſtendit; non tamen conſtitit, quomodo in veſicam deductus fuerit.

p.299. 13) *De ſubſidiis, quae natura ad ſiſtendas haemorrhagias in iuuando ligaturae effectu adhibet; de cauſſis ſymptomatum, ligaturae ſuperuenientium; de methodo ea auertendi; et de rationibus, quae ligaturam intermittendam ſuadent.* Praemiſſis variis aliorum Auctorum obſeruationibus, de arteria per trombum obſtructa, vel contracta, ſuas addit. Trombum coagulatum non niſi vnica vice vidit, magis tenuem, quam cauum arteriae, et polypoſae concretioni ſimilem. In brachio amputato ligatura iam ante aliquot dies relaxata fuerat, ita vt pennam anſerinam immittere potuerit, diameter tamen arteriae iam tribus lineis ſupra ligaturam et magis adhuc ſub ipſa contractus inueniebatur, et contextus celluloſus circa arteriam in loco ligaturae putredine quaſi deſtructus erat, cum reliqua eius pars, magis tamen ſupra, quam infra ligaturam intumuerat. Icones Cl. PETIT in Actis Gallicis datas repetit, et aliam addit, in qua ea, quae ſententiam ſuam nunc propoſitam illuſtrant, adumbrantur. Concludit enim Noſter

Noſter contextum celluloſum, varie circa arteriam ligatam tumefactum, compreſſioni ſucceſſiuae anſam dare et ad obliterationem plenariam diſponere. In adoleſcente quindecim annorum Cl. FLURANT amputationem brachii cum ligatura arteriae inſtituebat, cum vero de doloribus horrendis conquereretur aeger, et ligatura poſt horam ſoluenda eſſet, ſanguis etiam machina tortili non nihil ſoluta non proſiliit, ſed leni tantum compreſſione facta aeger ſine haemorrhagia vlterius oborta ſanatus fuit, hinc, vt Noſter arbitratur, patet trombum nullum factum eſſe, ſed intumeſcentiam contextus celluloſi ſanguinem retinuiſſe. Concludit etiam in ligatura arteriae efficienda vicinum contextum celluloſum ſimul comprehendendum eſſe, quo intumeſcentia haemorrhagiam ſiſtens eo maior fiat. Varias poſtmodum ob- p. 318.
ſeruationes circa ligaturam arteriae in aneuryſmate brachii et funiculi vaſorum ſpermaticorum ſubiungit, et ligaturam amplam ſuadet, dum in loco ligaturae putredo orta ſaepius ad tunicas arteriarum propagetur et haemorrhagiam denuo inducat. Tendinoſas et neruoſas partes, ligatura comprehenſas, dolorem excitare certum eſt, ſed ille quidem non ex ligatura harum partium, ſed potius ex tenſione inde ad vicinas partes deducta oritur. Subnectit itaque tractationem, quomodo in variis extremitatum inferiorum et ſuperiorum partibus vel ligatura, vel alia auxilia ad ſiſtendam haemorrhagiam applicanda ſint, et quae in hoc commentario propoſuit ſuccincte repetit.

14) *De modo agendi variorum remediorum, qui-* p. 335.
bus in haemorrhagia ſiſtenda vtimur. Tumorem, et contextus celluloſi, et vaſorum in eo diſtributorum vulnus ſubſequi, et in minoribus arteriis haemorrhagiam cohibere, certiſſima res eſt. Cl. Auctor eandem ex natura et vſu partium corporis declarare

annititur, et ſimili ratione ea, quae ars ſuppeditat, remedia, compreſſionem, adſtringentia abſorbentia, adſtringentia ſtimulantia, cauſtica potentialia et actualia et tandem ligaturam diſquirit.

p.355. 15) *De faſcia aptiſſima ad haemorrhagiam, poſt amputationem cruris oriundam, per compreſſionem ſiſtendam.* Vaſa diſciſſa, inciſo antea ligamento interoſſeo, vel agarico vel puluillis ex linteo carpto paratis per gradus comprimit, et faſcia et charta conglutinata transuerſim cum faſcia applicata primo tantum ſanguinem ſiſtere annititur, poſtea reliquum apparatum ad deligandum crus praeſciſſum aptum addit, ita vt alter apparatus faſciarum ſolui poſſit, priori ſemper relicto.

p.359. 16) *De damno ex compreſſione circulari poſt amputationem cruris, et de cauſſis oſſis poſt eandem eminentis.* Suadetur circularis compreſſio, ad carnes magis verſus partem reſectam ducendas, quo illa contegatur, ſtaſis autem inflammatoria inde nimis aucta varia incommoda et ſaepius letalia inducit. Sanguis enim in venis magis retinetur, quam in arteriis, et tenuiſſima parte inſtar ſeri ſanguinolenti effluente, crāſſior ſenſim formatur. Inutilem porro iudicat nimiam reductionem carnis ad partem praeſciſſam, cutem tamen relinquendam eſſe iudicat, quo cicatrix melius formetur. Ratione eminentiae oſſis relicti, eam non niſi in caſu magnae ſuppurationis locum habere videtur, ſi vero ſuperueniens inflammatio reſolutione vel ſuppuratione blanda ſuperata fuit, exigua vel nulla redditur oſſis eminentia.

p.385. 17) *De grauiditate ſeptem annorum cum dimidio.* Conceptio tubaria erat. Tertio grauiditatis menſe dolores nephriticis ſimiles oboriebantur, paulo poſt conſopiti, variae cauſſae occaſionales praeterea grauiditatem et puerperium accedens moleſtum reddebant. Dolores poſt partum non euenientem tandem

dem conſopiti aegram in miſero ſtatu relinquebant. Menſtrua quidem ſe oſtendebant, ſed parcius et ſine leuamine. Poſt diarrhoeam, cum putrida materia redditam, venter detumeſcebat, et ſectio tandem, poſt mortem ſeptimo anno ſuccedentem, docebat, carnes foetus et ſecundinas, vlcere ad inteſtinum rectum facto, ſeceſſiſſe, oſſibus foetus cohaerentibus in ſicco relictis. Varia circa foetum tubarium in genere obſeruanda et ex hac hiſtoria morbi declaranda ſubiungit, v. c. ſectionem caeſaream in foetu tubario non ſuſcipiendam eſſe, cum illa ſemper funeſta ſit, et, vti in hoc caſu apparuit, vitam, licet triſtem, per plures annos protrahi poſſe.

18) *De luxatione muſculorum eorumque reductione.* p. 405. Luxatio muſculi, nouus quaſi morbus, a chirurgis non ſatis diſquiſitus Noſtro videtur; eſt nimirum diductio muſculi ex ſitu naturali in alium peruerſum, quae non tantum ex nimis violenta contractione vnius muſculi inter congeneres, vel preſſione violenta congenerum contra vnum, qui non adeo valide contrahitur, ſed etiam in compoſitis muſculis in contractione nimis vehementi partis cuiusdam euenire poteſt. Hanc dimotionem membranae, valide muſculos cingentes, in variis corporis partibus praecauent, cum tamen interdum in violento et inaequali motu muſculorum eueniat, contextus celluloſus dilaceratur, vaſa ſanguifera minima rumpuntur et fibrae nerueae tenduntur, qui certe effectus ſunt, ex quibus et ex difficultate motus talis luxatio cognoſcitur; num vero diſlocatio muſculi vel partis muſculoſae, *deplacement*, vt Cl. Auctor vrget, an tantum diſtorſio fibrarum, *entorſe.* in luxatione nunc deſcripta eueniat, aliis diiudicandum relinquimus. Emollientibus remediis validam contractionem moderandam, et leni frictione et preſſione muſculum in ſitum verum reducendum eſſe, Noſter addit.

19) *Ob-*

p. 438. 19) *Obſeruatio de contuſione occipitis, quam ſymptomata lethalia ſequuta ſunt, adiectis nonnullis monitis de trepani applicatione in caſibus dubiis*, communicata a Cl. CHARMETTON Chirurgo Lugdunenſi. Puella nouem annorum, capite in ſcalam retrorſum acto, vehementem impetum occipiti intulerat, tranſitoria tamen erant prima ſymptomata, et per viginti et plures dies melius ſe ſe habebat, poſtea ſymptomata et grauiora reuertebantur, ita, vt non tantum inciſio integumentorum ad pericranium vsque, ſed etiam trepanatio inſtitueretur, ſed ſine fructu; quinquageſimo enim ſexto die morbi obiit, et diſſectio inſtituta praeter alia oſtendit, duritiem quaſi ſcirrhoſam in lobis poſterioribus cerebri, cerebelli et ipſa medulla ſpinali natam fuiſſe. Trepanationem ſerius adminiſtratam excuſat Noſter, et duritiem partium ſine euidenti inflammatione obſeruatam ex rhachitica et ſcrophuloſa labe humorum infantis deducit.

p. 456. 20) *Obſeruatio de nephrotomia* Auctore Cl. FLURANT, Chirurgo Lugdunenſi. Operationem hanc felici cum ſucceſſu in infante decem annorum ſuſceptam deſcribit. Dolor fixus ad renis dextri ſuperiorem partem abſceſſum profundum ex concretione calculoſa natum prodebat, et licet eiusdem maturationem emollientibus medicamentis attingere ſuſciperet, tamen ex loco adeo abſcondito ſigna non poterant eſſe certiſſima, inciſio tamen, per fluctuationem quandam determinata, et puris effluxum, et calculi extractationem praeſtabat. Prouocat quidem ad commentarium Cl. HEVIN *) ſua tamen quoque hac de re ſubiungit monita, inprimis de abſceſſu in renibus vel ad renes in contextu celluloſo nato diſſerit, et de egreſſu materiae purulentae vel per vias vrinarias adiuuando, vel inciſione in lumbis

*) vid Comment. hor. Vol. VIII. p. 210.

bis facta dirigendo, ex variis obſeruationibus adductis erudite agit.

21) *Obſeruatio de caſu ſingulari ad artem obſtetritiam pertinente* Auctore Cl. FLURANT. Infans ſub ipſo partu, ruptura inter vaginam et vteri corpus facta, in abdomen tranſierat. Noſter manum admouens in cauum penetrabat, et corpus globoſum ei obuenire ſentiebat, quod nimis molle erat, et pro capite infantis haberi non poterat, ideo ſine auxilio paulo poſt obiit foemina. Abdomine aperto infans cum ſecundinis in cauo abdominis haeſit, et corpus illud globoſum vterum non nihil iam contractum fuiſſe, nunc plane perſpici potuit. Diſquiritur itaque, ex quibus cauſſis dilaceratio facta ſit, et ſuſpicatur, obſtetricem cum orificii aperturam tentauerit, dilacerationis cauſſam exſtitiſſe; varias praeterea ſubiungit obſeruationes, quae hanc rem illuſtrant. p.485.

22) *Noua methodus efficiendi puncturam veſicae* Auctore Cl. FLURANT. De variis methodis perforationem veſicae efficiendi primo diſſerit, et tandem acum triquetram cum cannula deſcribit et delineat, quae non nihil incurua eſt, et poſt factam vrinae euacuationem ita adaptari poteſt, vt deiectioni aluinae libertas ſit, et in vulnere relinquatur, donec egreſſus vrinae per vias conſuetas efficiatur. p.500.

23) *Deſcriptio lithotomi duplicis ad calculi ſectionem in foeminis adminiſtrandam* Auctore Cl. FLURANT. Nouum hoc inſtrumentum duplici acie ex vagina media vtrinque deductum triplici icone adumbrauit et deſcripſit Noſter, et ſequentia de vſu proponit, quod ſcilicet et ſpecilli et ſcalpelli vices gerat, vno motu duas inciſiones faciat, et, quod maximum eſt, ab interna parte extrorſum incidat. Modum applicandi porro tradit, et monita quaedam, quae applicationem huius inſtrumenti concernunt, addit. p.517.

XVI. Hy-

XVI.

Hydrops, Disputatio medica. Londini: apud R. Baldwin. 1756. 8 min. pag. 142.

Scopus, quem sibi proposuit Cl. Auctor, (THOMAS nimirum LAWRANCE, FRANCI NICHOLLS quondam discipulus, cuius et nomen praefationi suae praemisit), dum hanc dissertationem conscribere suscipiebat, is fuit, vt ostenderet, qua via in diiudicandis, explicandis, curandisque morbis procedere debeant medici. Id vero, cum non regulis, sed exemplis optime doceri posse, arbitraretur Cl. Auctor, vnicum morbum selegit et illum quoad causas, symptomata, et curationem disquisiuit, atque ad hanc normam praecepit, in cunctos inquirere morbos. Nos quidem in ipsa methodo nihil noui et, quod ab aliis non factum aut praeceptum fuisset iam diu, offendimus: nulli tamen affirmare dubitamus, non parum vtilitatis voluptatisque ex lectione huius libelli in lectores esse redundaturum, quod apto ordine, concinna breuitate et haud inelegante dicendi genere sit compositus; licet lectores moneamus, nolint credere, ab Auctore omne esse prolatum, quod in enodationem huius morbi dici possit oporteatque: rariores quippe morbi causas sicco Cl. Auctor saepe transit pede, Quare et nos breuiter tantummodo non nullas opiniones, quas Auctor ipse solus fouere nobis videtur, attingamus. Tractatui vero huic colloquii formam induit et confabulantes fingit celebres tres superioris seculi medicos, ENTIUM, HAMAEUM atque HARVAEUM, quos tamen vltra sua secula variis in rebus medicis sapere videmus; quo quidem opus erat vt morbi huius doctrina nostrorum temporum genio accommodaretur.

In

In praefatione Cl. Auctor, fautor et Stahlianarum opinionum ſtrenuus aſſecla, multum negotii, in conſeruatione ſani et perſanatione aegroti corporis, humanae tribuit animae, quam cum mechanici, qui dicuntur, ex eius mente non vbique attendant, eiusque opera in multis morbis nulla eſſe perhibeant, ii principem medicinae partem ipſi negligere videntur: credit enim: *haud veriſimile eſſe, rebus tam variis et improuiſis generali quacunque lege mechanica apte a natura poſſe prouideri: ſed principium quoddam prudens hisce omnibus praeeſſe, quod res praeſentes recte aeſtimet, futuras praeuideat, omnibus conſulat.* Valdopere interim miramur, nos tota in hac diſputatione ne verbulum quidem de animae in hydrope officiis aut operibus reperiiſſe. p. 15.

Tres tantummodo hydropis ſpecies Cl. Auctor in hoc libello perſtringit, anaſarcam, aſcitem et tympanitem. De ſingulis pauca momenta repetamus. Perhibet Cl Auctor, anaſarcam cum febri eſſe coniunctam, in illaque parum deprehendi vrinae profluuium: quod vtrumque iudicio, noſtro, in genere non valet. Quis neſcit, omnem in anaſarca non raro abeſſe febrim, atque in ea morbi huius ſpecie, quae a refrigerio et tranſpiratione ſuppreſſa ortum duxit, vrinam fundi copia naturali? Studioſe quoque diſtinguit Auctor anaſarcam ab oedemate et characterem diſtinctiuum ponit in eo, quod, mutato corporis ſitu, oedema nec augeatur, nec minuatur; id vero in anaſarca obſeruetur; praeterea anaſarca alias habeat cauſſas ac oedema. Porro anaſarcam ſeparat a cachexia, affirmatque, in infantili aetate conſtitutos cachexiae, in adulta vero anaſarcae eſſe obnoxios: ſic puellas menſtruales anaſarca et nondum hunc fluxum expertas tantummodo cachexia laborare poſſe. In curatione anaſarcae praemittit lene medicamen aluum ſoluens, deinde vomitum ſua- p. 33. p. 37. p. 49.

ſuadet, vt compreſſione ac concuſſione hepatis reliquorumque inteſtinorum omne ſtagnans et obſtructum conteratur comminuaturque, ſanguis in curſum velociorem cieatur atque ex- ſecretionesque
p. 57. adiuuentur. Inciſionem cutis proxime talum, ad aquas educendas, profundam quidem, ſed minutam et vnicam fieri, praecipit, quo praeceps humoris effluxus, qui nocet, et ſphacelus praecaueatur.
p. 60. Balneis ſiccis antiquorum omnem abnegat vtilitatem.

p. 73. Symptomatibus aſcitis a plurimis annumeratur tuſſis, quam vero ſaepiſſime abeſſe, niſi ſcirrho affectum ſit hepar, obſeruauit. Infantes, pueros, puellasque, quae nondum in menſtruis ſunt, ab aſcite
p. 81. liberos praedicat. Inter cauſſas aſcitae refert ſanguinis profluuia qualiacunque retenta, febres et continuas et intermittentes ſuppreſſas, frigidum potum aeſtuanti corpori infuſum, exanthemata chronica
p. 83. repreſſa. In paracenteſi, quam non diu differre ſuadet, ne, longa inteſtinorum maceratione, illorum robur magis infringatur, repentinam mortem, quam obſeruatam fuiſſe ex obſeruationum collectionibus conſtat, diaphragmati, pondere hepatis annexi illico deorſum tracto, ſanguinique, in aortam a compreſſione nunc liberatam, nimia vehementia irruenti et caput tendenti adſcribit.

p. 120. In tympanite a febre ſuppreſſa, per cantharides externe applicatas illam reuocare materiaeque morboſae exitum parare ſtudet. Aerem in tympanite
p. 137. vt plurimum inteſtinis contineri, raro extra ea in peritoneo, ſectiones docuere. Ad rariores itaque pertinet caſus quod ſe vidiſſe memorat Auctor, cum, poſt febres acutas et poſt morbum a cute retropulſum, nonnulli aegroti aerem inter ipſas tunicas inteſtinorum habuerunt, ita, vt eae inflatae et a ſe inuicem

ſepa-

ſeparatae fuerint, exterioresque tunicae inteſtini recti, ab aere deorſum preſſae, burſam effecerint anique prolapſum retulerint. Frequenter quidem hi aegroti deponunt aluum, ſed praeter quam quod expanſi abdominis volumen imminueretur.

XVII.

GEORG HEUERMANN, *der Arzney Gelahrheit Doctors und der Anatomie Profectors bey der Akademie zu Coppenhagen, Phyſiologie. Erſter Theil, Coppenhagen und Leipzig, bey Friedr. Chriſt. Pelt*, 1751. 8. 1 *Alph.* 18 pl. tab. aen. 5. *Zweyter Theil, ebend.* 1752. 2 *Alph.* 20 pl. tab. aen. 10. *Dritter Theil, ebend.* 1753. 2 *Alph.* 10 pl. tab. aen. 4. *Vierter und letzter Theil, eb.* 1755. 1 *Alph.* 18 pl. tab. aen. 4.

h. e.

GEORGII HEUERMANNI, M. D. Phyſiologia. Pars I. II. III. IV.

Cum pro muneris ratione a Cl. huius libri Auctore, non ſolum fabrica partium corporis humani, ſed et earundem vſus explicandus eſſet, isque videret, librum, ex quo ſufficiens phyſiologiae cognitio hauriri poſſet, germanica lingua conſcriptum adhuc deſiderari; laudabili ſane conſilio hoc opus in ſe ita ſuſcepit, vt vſum partium non modo explicaret, ſed et figurae, ſitus et fabricae earum deſcriptionem anatomicam ſemper ſingulis phyſiologicae tractationibus praemitteret. Eo autem modo hac in re verſatus eſt, vt huncce laborem non ſo-

lum lectoribus, qui tantum libris vernacula lingua scriptis, vti possunt, sed et aliis haud plane ingratum fore, persuasum nobis sit. Ordine enim satis apto, quae Cl. HEVERMANNUS ex optimis scriptoribus collegit, ab eo recensentur, et hinc inde propriae obseruationes et cogitationes adduntur. Inuenies quidem in primis in prioribus huius operis voluminibus varia, quae aliqua forte reprehensione digna videri possent, cum et res quaedam minus recte propositae, et autorum nomina maxime saepe corrupta sint. Studuit tamen, de hisce et similibus erroribus monitus, Cl. Auctor in posterioribus voluminibus talia vitare et emendare, ita vt, quae restant, facile in noua quadam editione corrigi possint. Quae cum ita sint, silentio hosce errores praeterire melius esse duximus, quam, cum plurimi eorum facile in oculos incurrant, multi typographi culpa certe irrepserint, nimis studiose et acriter eosdem colligere et castigare. Continentur autem in primo huius operis volumine vitales; in altero animalium actionum nostri corporis maxima pars; in tertio reliqua pars harum actionum; cui in eodem volumine subiungitur doctrina de naturalibus functionibus, quae vero in quarto demum absoluitur et sexuales omnem tractationem finiunt. Agit itaque Noster volumine primo, introductione de physiologia et corpore humano in vniuersum praemissa de solidis fluidisque partibus et principiis corporis nostri, de vita et actionibus eiusdem in vniuersum, de arteriis et venis, circulatione sanguinis, corde et partibus, quae ad illud pertinent, motu sanguinis per cor, motu cordis, arteriarum et venarum, huiusque progressi motus effectu, de sanguinis natura, glandulis, secretione, pulmonibus, respiratione et vsu ex ea in vniuersum corpus redundante, decem et septem capitibus. In secundo de larynge, voce et loquela, actionibus cum respira-

ſpiratione coniunctis, vt riſu, tuſſi etc. de cerebro eiusque vſu, ſenſibus in vniuerſum, de tactu, integumentis corporis et perſpiratione, guſtu, odore, auditu et viſu a capite decimo octauo ad viceſimum ſextum exponitur. In tertio hiſtoria ſenſuum internorum, motus muſcularis, ſomni, famis et ſitis, manducationis, ſecretionis, ſaliuae, deglutitionis, actionis ventriculi, inteſtinorum, omenti, hepatis et bilis, pancreatis, vaſorum tandem lacteorum et ductus thoracici, ad caput vsque quadrageſimum primum traditur; tandem volumine quarto a capite quadrageſimo ſecundo, ad quadrageſimum octauum vsque, nutritionis, ſecretionis vrinae eiusque excretionis hiſtoria continetur; deinde doctrina, de generatione et organis genitalibus vtriusque ſexus, de conceptione, grauiditate, partu declaratur, vltimoque loco differentiae inter hominem natum et naſcendum indicantur. Quo vero noſtram de huius operis vtilitate ſuperius propoſitam ſententiam quodammodo firmiorem reddamus, liceat nobis ex vniuerſo opere quasdam obſeruationes et adnotationes colligere, quae praecipue noſtra attentione dignae in hoc perlegendo nobis viſae fuerunt; quamuis negare non poſſimus, nos de veritate nonnullarum ſententiarum a Cl. HEVERMANNO propoſitarum quodammodo adhuc dubitare.

HALLERI de celluloſa fabrica membranae ſententia propriis obſeruationibus hic confirmatur. A phlogiſto non ſolum color et odor partium corporis noſtri, ſed et ſapor, quem plerique a ſale oriri dicunt, prouenit. Quando enim ſudoris materia, aut vrina examinatur, horum humorum odor et ſapor, ſemper eo fortior eſſe deprehenditur, quo maior phlogiſti copia in iis continetur. Sal noſtri corporis nec acidum, nec alcalinum, fixum aut volatile dici poteſt, ſed terra eſt ſolubilis, quae, quia ſali accedit,

T. I. p. 43. p. 62. p. 66.

cedit, ſal dici poteſt. Hoc vero ſal nullum ſaporem habet, nec volatile eſt, ſed medium gradum inter fixam et volatilem naturam occupat, ſaporemque et volatilitatem reliquis principiis iunctum adquirit, quapropter inter corporis noſtri prin-
p. 56. cipia nullo modo referri poteſt. Inter illa vero aether numeratur, qui ex aere reſpirationis ope adeo ad vitam neceſſariae recipitur, cuiusque tanta praeſtantia eſt, vt forte hanc ob cauſſam animalia, viuorum animalium rapinis viuentia, tanto robore gaudeant, lacque ex vberibus acceptum magis quam
p. 73. in vas expreſſum nutriat. Oſſa calcinata oleo immiſſa indureſcunt iterum, non vero ab oleo; ſed a partibus terreis oleo immixtis et oſſium interſtitiis
p.202. applicatis. Subito oppreſſi pericardium hydatidibus obtectum erat, adeo acre ſerum continentibus, vt guttula oculo adſtantis illapſa maximos dolores effi-
p.210. ceret. Canis, corde exſciſſo, adhuc per aliquod tempus
p.219. ambulauit. Fibras cordis muſculoſas ex propriis obſeruationibus Cl. Auctor deſcribit. Neruis ad cor
p.300. ligatis animalia breui poſt moriuntur. Ramo enim vno paris vagi ligato palpitationes cordis oriebantur, vtroque ligato cordis motus ſupprimebatur quodammodo et animal intra tres dies peribat. Intercoſtali in collo diſciſſo, mors intra tres vel qua-
p.303. tuor horas ſecuta fuit. Aere in ductum thoracicum inflato, aut ſanguine ex caua vena in cor expreſſo, cor in cadauere hominis, ante quatuor vel quinque dies mortui, ad pulſus aliquos efficiendos irritabatur. Verum articulum mobilem Noſter inter mediam et ſuperiorem ſterni partem obſeruauit.
T. II. Duram matrem neruis carere et ſenſu deſtitui, pro-
p.201. priae obſeruationes et tentamina, non ſolum in ani-
p.212. malibus, ſed et in homine, in quo, aliqua oſſis frontis parte ablata, dura mater nudata erat, inſtituta, Cl.
p.206. HEUERMANNUM docuerunt. Canalis infundibuli nul-

nullum cauum obtinet, ſed ſolidus eſt et medullaris: pituitaria vero glandula ab aliarum glandularum natura recedit. Durae matris vaſa lymphatica in ſubmerſo apparuerunt Noſtro. Idem proceſſum quoque quendam ventriculorum cerebri ſuperiorum eo loco oriri vidit, quo cornu ſuperius cum inferiore et poſteriore coniungitur; protendebatur ad thalamos vsque neruorum opticorum. Lobus cerebri dexter ab abſceſſu exeſus a Noſtro deprehenſus fuit, in cadauere puellae, vehementiſſimis capitis doloribus et conuulſionibus vexatae. Corpus reticulare MALPIGHII in vola manus et planta pedis aethiopum flauum colorem obtinet. In maniaci cadauere ſinus falciformis oſſeſcens variaeque in eo excreſcentiae obſeruatae fuerunt. Muſculorum vaſa lymphatica in lingua, nec non ad latus ſartorii et recti antici Cl. Auctor vidit. Tendinum ſenſibilitatem nullam eſſe propria experimenta eum docuerunt. Conuulſiones iis laeſis ortae ab effuſo et ſtagnante humore, acriore reddito, et nerueas vicinas partes arrodente, proueniunt. Arteria ad muſculum tendente ligata, motum illius non ſtatim, ſed poſt aliquas horas, gangraena accedente, Noſter perire vidit. Gliſſonianum experimentum repetens, corpore in aquam immiſſo moto, aquam potius ſubſidere, quam adſcendere obſeruauit. Qui arſenicum ſumſerat, ſcrupulo vno opii ſumto ſeruatus fuit. Incubus non a ſtagnatione ſanguinis in pulmonibus oritur. Primo enim non probabile eſt, a ſola ſtaſi ſanguinis nos ad omnem motum exercendum plane ineptos fieri. Deinde, origine incubi ab obſtructione pulmonis deducta, ſequeretur, eos, qui inflammatione aut ſcirrho huius viſceris laborant, ſaepiſſime hoc malum pati. Credit itaque, oriri incubum a congeſtione humorum in cauum ventriculi quarti et vaſa medullae oblongatae, atque preſſione ner-

p. 460. T. III. p. 14. p. 69, p. 79. p. 98. p. 113. p. 211. p. 239.

uearum fibrarum inde orta. Staſin in pulmonibus et reſpirandi difficultatem ad ſymptomata huius morbi pertinere, non vero eiusdem cauſſa eſſe. Adnotat, ſe nunquam audiuiſſe, quendam ante puber-
p.340. tatis tempora hoc malo obnoxium fuiſſe. Saliua chemice examinata nullum ſalis veſtigium dat, au-ctiore vero ignis gradu aliqua portio, quae alcale-
p.455. ſcens eſt, obtinetur. In foetu ſemeſtri inuerſum ſitum viſcerum, et hepar in ſiniſtro, ventriculum et
p.579. lienem in dextro latere poſitum reperit. Vaſa
p.675. lactea in duodeno et colo transuerſo, in ſplene vero nulla lymphatica, ne in hydropicorum quidem cada-
p.709. ueribus vidit. Ex foetus mortui in lucem editi abdomine, hepar, ventriculus et coli pars propende-
p.735. bant. Venae portarum ſanguinem chemice diſquiſiuit, et in vnciis eius duodecim, e cane ſumtis, nouem aquae, olei empyreumatici vnciam ſemis, capitisque mortui vnciam vnam ſemis obtinuit, in quo vltimo drachma ſemis ſalis alcalini adhuc inueniebatur. Sanguis venae ſplenicae maiorem copiam aquae, minorem olei dabat. In duodecim vnciis ſanguinis venae cauae, vnciae decem et ſemis aquae, ſcrupulus vero ſemis olei empyreumatici continebatur. Sanguini arteriae aortae maxima
p.757. aquae copia ineſt. Veſiculae felleae fundus ad marginem hepatis vsque accedit, diſtat vero ab eo
p.776. in iunioribus aliquarum linearum ſpatio. Bilis vnciae quinque vel ſex in cane intra viginti quatuor
p.816. horas ſecretae fuerunt. Ductum pancreaticum per ar-
p.868. terias cera, ſed decolore facta, repleuit Auctor. In animalibus viuis apertis et calidis adhuc, liquores coloratos ex inteſtinis in vaſa lactea impellere potuit, motum
T. IV. periſtalticum quodammodo imitatus. Materia electri-
p. 14. ca ex aere in corpus noſtrum reſpiratione recipitur. In diſſectione foeminae, quae per triginta annos morbi vi lecto affigebatur, muſculos extremitatum inferiorum

rum inter se concretos, ossa vero valde fragilia, laminasque eorum tenuissimas inuenit. Minime extollit electricitatis in curatione morborum praestantiam, cum ne vnicus quidem aegris ex octuaginta sanatus fuerit. Renem dextrum in duos minores diuisum, quorum singulus propria vasa habebat, vidit Vretere rupto, magna vrinae copia in cauum abdominis effusa, subitae mortis caussa fuit. Hydropem renalem, morbum, vt Auctor putat, nondum descriptum, in cadauere viri quinquaginta annorum, vreteris in renem ingressu concreto et vrinosa materia in cellulas distenti renis effusa, obseruauit. Vermem vidit vrina eiectum, similem iis, qui in farina deprehenduntur. Mucus, quo vesica obducitur, licet vasis arcte adhaereat, non tamen in densam crustam abit. Varios vrethrae morbos describit, ea scilicet concreta, aut per scirrhosam prostratam compressa. Animalcula spermatica etiam in aqua, in qua musculosae partes aut cutis macerata fuerat, deprehendit. Generationem ex mixtione seminis virilis et foeminei explicat, semen enim in foeminis quoque existere assumit. Hermaphroditos duos vidit, vterque tamen eorum ad foemineum sexum, clitoride tantum elongata, pertinebat. Vterum vidit duplicem et vere quidem duplicem, non septo diuisum, vnica tamen tantum vagina, duo vero distincta orificia aderant. In sinistro eorum foetus, in dextro mola erat, singulus tamen vnum tantum ouarium, tubam et ligamentum teres habebat. Vngues non a periosteo oriri, probat ex duris illis particulis, quibus leonis lingua vestitur, vnguibus perfecte similibus, non tamen a periosteo ortis. Tabulae aeneae singulis voluminibus annexae fuerunt, quarum aliae variorum auctorum, aliae Nostri sunt. Quae in vltimo deprehenduntur volumine, reliquis elegantiores dici merentur. Exhibentur in iis omnibus

p. 42.
p. 50.
p. 114.
p. 115.
p. 118.
p. 163.
p. 216.
p. 276.
p. 296.
p. 424.
p. 514.

bus partim variae corporis partes, partim figurae ad phyſiologicas doctrinas explicandas accommodatae. In primo duorum monſtrorum cerebro deſtitutorum figurae inter reliquos memorabiles ſunt. Videtur tamen cerebri compagem in his potius morbo deſtructam eſſe, quam a prima formatione defeciſſe.

XVIII.

Hygiene dogmatico-practica, rationem conſeruandae ſanitatis corporis humani cum variis artis medicae ſupplementis ita exponens, vt lectoribus quibusuis vtiliter inſeruire queat. Francofurti et Lipſiae, 1757. 4. apud Io. Frid. Gaum. Alph. 2. pl. 11.

Ex tribus capitibus liber hicce componitur: primum, quod in ſeptem ſectiones diuiditur, de anima hominis et corpore agit; hinc primo de animae exiſtentia, origine et dotibus, poſthac de corpore, principiis eius, externis internisue partibus eiusdemque natura, demum de vita et morte, ſanitate et morbo Auctor Anonymus diſſerit. Secundum, quod non naturales res pertractat, caput ex tredecim ſectionibus conſtat. Multus hic in exponendis iſtis rebus eſt Auctor: ſic enim aeris qualitates, vſus et noxae exponuntur, inſimulque auxilia indicantur, quibus damna ex male conſtituto aere auerti corrigique poſſint. His expoſitis, cibi potusue qualitates examinantur, cibandi ordo, horae et tempus indicantur, ſalubritas eorum, quae ſit, explicatur inſimulque de diuerſa victus ratione, reſpectu temperamenti, virium roboris, vitae ſtatus et anni temporis diſſeritur. Cibum excipiunt potus genera, quae ſecundum ſalubritatem et inſalubritatem, differentiam variasque ſpecies ita conſiderantur,

tur, vt vtilitas inde et noxae hisque medentia auxilia pateſcant. Porro de motu et quiete agitur, vtpote ſaluberrimis ſanitatis praeſidiis, ſi recte et moderate vſurpentur, noxiis vero reputandis, ſi modum excedant. Eadem tandem ratione ſomnus et vigilia, excernenda et retinenda, denique animi pathemata explicantur. Vltimum caput prophylaxin medicam ſiſtit et de purgatione per emetica, purgantia et venaeſectionem agit, eorumque vtilitatem et noxam exponit. Poſtea aquarum Sedlizenſium et Selteranarum ſalubritas et vſus traduntur, inſimulque modus, his vtendi, et tempus debitumque diaetae regimen, durante fontis vſu, obſeruandum declaratur. His ſuccedit purgationis per balnea et thermas conſideratio; vbi de balneorum differentiis, balneandi horis et tempore, ac tum in balneis frigidis, tum calidis ſeu thermis, debito obſeruando regimine, morboſis ſymptomatibus et accidentibus, nonnunquam balneandi tempore ſuccedentibus remediisque, ea corrigentibus, agitur. Tandem de purgatione per nicotianam, de eius dotibus eiusque fumigationis et pulueris vſu, virtutibus atque damnis et incommodis ex eius abuſu diſſeritur. Cunctis his methodus ſubnectitur, quae docet, quomodo vita prolongari et ad extremum vſque ſenium produci poſſit. Tandem Auctor exponit, quomodo res non neceſſariae, per quas purgationem per vomitum, aluum, ſudorem, diureſin, venaeſectionem etc. intelligi cupit, rite vſurpandae ſint, vt tanquam valida vitae longae praeſidia aeſtimari queant Haec ſunt praecipua momenta, quae pertractanda ſibi ſumſit Noſter: ita autem rerum quarumcunque in hoc opere ſe habet explicatio, vt non ſolum veterum et recentiorum medicorum obſeruatis ceu fundamentis nitatur, ſed et, ſolidis principiis et rationibus firmata tradatur. Inprimis autem laudanda eſt

huius libri perſpicuitas aeque ac inſtruendi facultas, ita, vt Lectores quicunque, medicis minime exceptis, fructus decerpere poſſint. Sic enim ii, quibus hominis natura minus adhuc cognita eſt, breui facilique negotio ſufficientem partium humani corporis notitiam veramque earundem naturam et indolem et vſum ſibi adſciſcere valeant; neque iis adeo, quibus, hominem noſſe, officium eſt, vtilitas, ex hoc libro depromenda, defutura putetur. Sic enim breuibus in memoriam reuocare poſſunt, quae diu ante cognita ſibi reddiderunt, quid? quod et res forte occurrent, quae nouae quidem plane non ſunt, quae aliis tamen cogitationibus aliisque artem amplificandi modis anſam ſuppeditare valebunt. Vt autem Lectores noſtri de methodo, qua in exponendis rebus diaeteticis Noſter vſus eſt, certiores fiant, ſpeciminis loco eorum tantum ſummam, quae de vinis Noſter habet, communicare licebit.

p. 191. Vinorum principia in ſpiritu inflammabili, phlegmate, ſale acido tartareo, ſulphure et ſubſtantia quadam plus minus dulci et oleoſa paulo viſcida conſiſtunt. Ab horum principiorum diuerſa mixtione vel ab huius alteriusue principii eminentia ortum ducit vinorum differentia, imo et vini bonitas bonitati principiorum debitaeque eorum miſtioni adſcribenda eſt. Quando itaque vnum principiorum excedit, vini mixtio et temperies tollitur, minus temperatum autem noxium fere reputandum eſt. Sic vinum, ſpiritu ſeu elemento inflammabili turgens, ſi frequentius vſurpetur, ſanguinis humorumue motus praeternaturales concitat, corpus calefacit, exſiccat, in genere omnes actiones totumque corpus turbat, haemorrhagias, febres acutas, morbosque ſpaſmodico-conuulſiuos inducit. Si phlegmate et elemento acido tartareo excedat, ſangui-

guinem et humores inſpiſſat eorumque motus et circuitus arcet, inde febribus intermittentibus, malo hypochondriaco, calculo, hydropi etc. originem praebet. Si ſulphure abundent, vti ſic dicta vina ſulphurata eſſe ſolent, talia neruos in primis male afficiunt, humoribus acrimoniam inducunt, motusque vitales ſufflaminant, corporisue functiones deprauant, hinc capitis dolores, arthritidem, convulſiones, colicam, apoplexiam etc. producunt. Sin vero vinum dulci et oleoſa ſubſtantia locuples eſt, iſtud, ſane, moderate potum, valetudini et oeconomiae animali mirum in modum prodeſt.

In definiendis vini ſalubrioris notis ad ſolum primo attendendum eſſe, Noſter cupit, hincque praealtum, ſublime et montanum, ſaxeum et arenoſum, ex ſciſſili lapide conſtans, cui ſol ſuis fauet radiis, infra vero et in pede viniferi montis flumina praeterfluunt, quorum rore vites irrorantur, ad producenda vina aptum natum eſſe, autumat atque vina inde producta odoris fragrantia, ſaporis penetratione, cryſtallina claritate et aureo vel purpureo colore ſeſe manifeſtare, hisque ſignis bonitatem cognoſci, aſſerit. p. 195.

Generali vinorum conſideratione exhibita, vina in ſpecie pertractat, et inprimis ad Hiſpanica, Gallica, Hungarica et ſelectiora Germaniae reſpicit. Sic inter Hiſpanica ea, quae Granata, Andaluſia et Valentia proferunt, ob principium inflammabile ſpirituoſum et ſubſtantiam oleoſam laudat eaque imbecillibus, ſenibus, melancholicis, hypochondriacis, literatis et ſtomacho languentibus conducere, dicit. Eandem ſententiam de vinis Canarienſibus fert. Inter Italica vina id, quod lachryma Chriſti ſeu vinum virgineum nuncupatur, ob ſaporis gratiam et odoris penetrationem reliquis palmam praeripere atque ob ſpiritum et ſubtile ſulphur cum blando p. 197.

acore

acore temperatum ſe commendans, humores viſcidos, lentos, tenaces reſoluere et fluxiles reddere ac partium ſolidarum et fluidarum motus adiuuare, fibras et neruos firmare, oſtendit. Ob easdem dotes ſimili elogio donat Surrentinum, atque Apiana tanta dulcedine mulcere perhibet, vt non vnus ſed innumeri vini potatores, iis delectati, immerſi et ſuffocati fuerint. Albanica vero benigniora eſſe, mira leuitate excellere et ob ſpirituoſum principium, cum ſubtiliore tartaro temperatum, et ſalubrem potum et medicamentum largiri, idque inprimis calefacere, confortare, caput, ventriculum et vires recreare, aſſerit. Vinum, quod Roma alit, quodque de monte Balſano nomen habet, paria elogia mereri, huicque Vernacenſe, Marceminum et Proſecenſe proxime accedere et fluida, inprimis ſpiſſiora et viſcida, reſoluere, corporis ſolida roborare, vires reſtaurare, digeſtionem adiuuare et oeconomiae animalis actiones tueri affirmat. Inter Gallica vina vinum Campainae, Burgundicum, Frontiniacum et Muſcatinum, ob eminens principum ſpirituoſum inflammabile, excellere, eaque ob vim calefacientem, humores ſpiſſiores attenuantem, ſpiritus et vires augentem, tonumque ſolidorum promouentem ſeſe commendare, autumat. Inter omnia tamen, quae e remotis terris aduehuntur vina, Hungarica et in primis Tockauienſe principitatum tenere et imbecilles et ventriculo languentes, valetudinarios, ſenes, melancholicos, hypochondriacos, literatos, arthriticos, podagricos, paralyticos et ex morbis reſurgentes egregie adiuuare, notat.

Ab his ad Germaniae vina tranſit et primo loco Auſtriaca conſiderat, eaque ſpiritu, ſulphure et ſubſtantia tartarea plus minus acida conſtare, hinc ventriculo ſubuenire, digeſtioni opitulari, partes corporis blande ſtimulando roborare, cautius tamen

cum

cum eiusmodi vino literatis, hypochondriacis, calculosis et podagricis mercandum esse, innuit. His proxime quidem accedere Tyrolensia, minime tamen viribus eorum donata esse et, cum solito plus sulphurata sint, sanguinem et humores acres reddere, hinc hypochondriacos, podagricos, vitam sedentariam viuentes etc. offendere posse, asserit. Vinis Rhenanis spiritum et principium plus minus sulphureum, cum acido tartareo mixtum, inesse, hinc ea, moderate inprimis hausta, aut aquis saturata, digestioni et chylificationi succurrere, humores viscidos et tenaces resoluere, partes solidas roborare, atque cruda et excrementitia digerere, digesta autem per aluum et vrinam euacuare, eaque, quo vetustiora sint, eo salubriora esse, vitam sedentariam tamen agentibus, hypochondriacis et quos alui lacessit segnities, minus conuenire, docet; hisque ob analogiam Alsatiae vina adnumerari posse, eaque renum praecipue et vesicae morbis succurrere, autumat. Mosellana minus sulphureae et acido-tartareae substantiae in sinu fouere saleque copiosiore tartareo-nitroso donata, prae rhenanis maiore temperie instructa esse, hinc corpus calefacere, humores viscidos resoluere et fluxiles reddere et per aluum et vrinam e corpore eliminare atque languentibus, hypochondriacis, senibus, conualescentibus, podagricis et minuto vrinae fluxu et calculo laborantibus conducere, asserit. His Necarina similia esse, saporis tamen gratia et suauitate antecellere magisque temperata omnibus quibuscunque fere naturis, imo et ad ipsam phthisin inclinantibus et inprimis calculosis conuenire, notat. Acroniana tandem, licet plerumque floccipendantur, plures tamen annos consecuta, ob principium spirituosum cum elemento tartareo-nitroso aliis Germaniae vinis nequaquam cedere, iisque merito

merito aequiparanda et debilibus, hypochondriacis, literatis et calculosis commendanda esse, Noster persuasum habet.

p. 209. Vinorum contemplatione ad finem perducta, de vsu eorum rectoque vsurpandi modo disserit, merumque vinum medicamentum, nec alimentum, esse, hinc in potum quotidianum et ordinarium admitti non posse, ostendit. Merum enim vinum naturalem appetitum deiicere, difficillime a ventriculo coqui, hinc a vino ventriculum eiusque concoquendi vim laedi, chyli distributionem prohiberi merumque vinum literatis inprimis officere, neque senibus salutare esse, neque lac senum salutari mereri, longaeuitati vitae limites ponere, temulentiam et ebrietatem inducere et non corpori solum innumeras, sed et animae, aegritudines afferre, hinc vina, quotidie vsurpanda, aquis diluenda sicque diluta inter fortiora et validiora tuendae sanitatis praesidia locum promereri, ratione non solum, sed et auctoritate et experientia aliorum sustulcire, Noster allaborauit.

XIX.

IOANNIS MICHAELIS GALLO, Siculi Authicensis, Philosophiae ac Medicinae Doctoris, Equitisque Aurati, ac Comitis Palatini opuscula medico - practica sub auspiciis Illustr. Viri, IO. BAPTISTAE MORGAGNI, Medicinae ac Philosophiae Doctoris, Anatomicaeque Facultatis in Patauina Vniuersitate Professoris Eximii. Romae: typis Ioannis Zempel. 1752. 4. plag. $4\frac{1}{2}$.

Ex numero neglectorum a nobis in his Commentariis librorum in praesenti depromimus libellum

lum hunc, non quidem ob eius praeſtantiam et vſum, ſed ob lectores, ne ii, quod nobis contigit, ſpecioſo hoc libelli indice decepti, plus, ac in eo ſint reperturi, ſibi promittant. Complectuntur etenim haec opuſcula tres tantummodo caſus medicos, attentione quidem non indignos, tanti tamen haud aeſtimandos, vt ſuperbiente opuſculorum inſcriptione orbi offerantur medico. Quod vt eo luculentius appareat et ne nos male de hoc libello atque iniuſte ſentire videamur, ſuccinctam harum obſeruationum ſummam reddamus.

In prima obſeruatione immanis affectio hyſterica narratur. Foemina 40 annorum, temperamenti phlegmatici, ſterilis, ex longo tempore de ſomnolentia, cephalalgia, ciborum faſtidio eorumque peruerſo ſapore atque animi torpore fuerat conqueſta. Accedebat deinde dolor abdominis ac tenſio, praecordiorum angor difficilisque reſpiratio. Haec ſymptomata denique poſt duos et viginti menſes augebantur ſudoribus nocturnis et ſenſu formicationis ſub cute, acerbo dolore cultri quaſi ſecantis in renibus, dolore coxarum arcus ad inſtar tenſarum. Pedes quoque oedemate tumebant. In medelam huius mali varii medici exhibuerant aquam nucum viridium, hyſtericam QUERCET: oleum amygdalarum dulcium, laudanum liquidum SYDENHAMI, pillulas de cynogloſſa, ſed omnia haec ſiniſtro effectu. Applicabantur poſtea veſicatoria, et cum haec quoque nullum afferrent leuamen, lac aſininum ſuadebatur. Tandem vero Cl. Auctori, quod qualibet veſpera ſymptomata animaduerteret aucta, ſuboriebatur ſuſpicio occultae forte luis venereae, et, licet aegra cognatique rem negarent vel neſcirent, ipſi tamen octo mercurii dulcis grana, eaque tam felici quidem euentu propinabantur, vt poſt vnicam hanc doſin aegra ad quatuor dies p. 7.

ingens

ingens perciperet leuamen. Hanc dosin deinde pharmacopola quidam, audax et rudis rerum medicarum, auxerat ad duas circiter drachmas. Quo facto parum abfuerat, quin aegrotam miserrima trucidasset morte; suboriebatur enim tam repentina et tanta saliuatio, vt tumefactis omnibus colli fauciumque glandulis, certo strangulata fuisset aegra, nisi Auctor ex artis lege cito succurrisset. His interim ex inscitia pharmacopolae accedentibus malis sublatis, aegrota et a pristino liberata fuit malo.

p. 22. Altero casu de morte puellae, vt falso putatur, ab herba mercuriali exponitur. Ad alui segnitiem virgo, 21 annorum, consilio aniculae, fasciculum herbae mercurialis illotae in sartagine cum addita olei sacchariique magna copia frixum vespere comederat, deinde cubitum iuerat atque per quinque horas tranquille dormiuerat, postea vero expergefacta, praegresso per breue tempus ventriculi dolore, omnia in eo contenta vomitu reddiderat, quorum sapor amarus, color luteus. Ingesta medicamina nihil in solamen agrotae valebant; stranguria quippe, sudor frigidus, frequens pulsus absentia et liuor faciei appropinquantem praenuntiabant mortem, quae protinus accedebat. In superstite alio herbae fasciculo multas latuisse cantharides detectum fuit.

p. 28. In tertia obseruatione, qua affectio asthmatico-conuulsiuo hysterica depingitur, symptomata huic morbo solemnia methodusque ei medendi adhibita recensentur. Causam huius morbi ponit angulosam et acutam elementorum sanguinem componentium figuram, ex qua dolor et spasmus.

XX.

Methodus foliorum seu plantae florae Monspelienſis iuxta foliorum ordinem, ad iuuandam ſpecierum cognitionem, digeſtae. Auctore F. B. DE SAUVAGES, Reg. Conſiliar. ac. Medic. in Vniuerſitate Monspelienſi Medicin. Profeſſ. Reg. Societ. Reg. Scient. Londinenſis, Monspelienſis, Vpſalienſis et Academ. Suecicae Socio, a la Haye, 1751. 8. pag. 343. absque praefatione tab. aen. 1.

Quum ab eo, quo vegetabilium facta eſt perſcrutatio, tempore, multae et vix ſuperandae difficultates enaſcerentur, ex characterum defectu, quibus plantae inter ſe diſtinguantur, hoc, quo viuimus, ſeculo plurium verſata eſt ſolertia, in eruendis talibus, quae naturales ſint et ad methodi conformationem pertineant. In eo conueniunt autem botanici fere omnes, floris fructusque partes notas ſuggerere optimas et maxime diſtinctas. Cl. Auctor vero eadem tentauit in characteribus, ex foliis deſumtis, ſed, quod eos ad genera conſtituenda vix ſufficere perſpiciebat, ad ſpecies diſtinguendas tamen apte adplicari poſſe vidit, quo hac potiſſimum methodo ad ſua genera referri queant. Etiamſi haec iam cognita ſit principibus in hac arte viris, nos tamen eius mentionem, etſi ſerius, faciendam eſſe credidimus, quod Cl. Auctoris librum non vbique, vt decet, cognitum eſſe obſeruauerimus. Inſcribitur illi magno LINNAEO, qui foliorum hiſtoriam longe reddidit anteceſſoribus ſui perfectiorem, ſuaeque methodi, gallico idiomate explicationem adiunxit Cl Auctor. Reducuntur autem plantae ad claſſes vndecim, foliorumque figurae ſingulari tabula aenea proponuntur.

Claſſis itaque *prima* continet *Aphyllas*, ſeu quae folia non habent. Ex his aliae plane foliis deſtituuntur, aliae ſquamas obtinent, aliquando coloratas, aliae ſucculentae articulos carnoſos oſtendunt, aliae folia caulibus ſimillima habent, aliae ex filamentis conſtant. Hae conditiones formandis ordinibus inſeruiunt, quorum itaque quinque recenſentur. Nempe, 1) *aphyllae fungoſae iisque affines.* 2) *ſquamis veſtitae floriferae;* 3) *aizoideae articulis vel foliis craſſis carnoſis;* 4) *iunceae et filiformes vel teretifoliae;* 5) *anomalae filiformes et lithophyta.*

Poſt *ſecunda claſſis* ſiſtit *ceſpititias* ſeu *aphyllocaules foliis radicalibus*, in quibus folia ſemper ſimplicia ſunt vel diſſecta, nunquam compoſita, eaque radici adhaerent. Huius claſſis decem ordines recenſentur: 1) *foliis oblongis apice anguſtiori rotundato vel obtuſo;* 2) *foliis ſpatulatis ſeu apice dilatatis et obtuſis;* 3) *foliis vtrinque acutis ſeu lanceolatis;* 4) *foliis enſiformibus non vaginantibus.* Haec ſunt vel *plana*, vel *diſticha plana*, vel *linearia ſubulata non teretia*, vel *carinata;* 5) *foliis enſiformibus vaginantibus, a radice decurrentibus.* Haec denuo in carinata; planifolia, foliis caulem vaginantibus; et graminifolia ſecedunt: 6) *ceſpititiae anomalae anguſtifoliae*, quarum folia vel linearia vel baſi inciſa ſunt; 7) *latifoliae foliis ouatis aut breuiter lanceolatis, vtrinque anguſtis;* 8) *latifoliae foliis cordatis, vel ſagittatis;* 9) *rotundifoliae*, quae inſtruuntur aut foliis peltatis aut baſi bifidis, aut reniformi-cordatis, aut ſcapo ſquamoſo; 10) *diſſectae*, quae lichenes et algas complectuntur.

p. 32. In *tertiam claſſem* reponuntur *plantae anguſtifoliae.* Notae ſunt, quod folia habeant ſparſa ſine ordine, eaque ſimplicia, nec diſſecta, quorum latitudo maxima tertia eſt longitudinis pars. Subdiuiduntur ex foliorum forma, ex cotyledonum numero

et

et florum natura, ſequenti modo in quinque ordines: 1) *anguſtifoliae, muſcoſae, minimae, cryptogamae;* 2) *gramineae,* quarum aliae ſunt digyna ſimplicia, aliae compoſita, aliae diclina ſeu monica; 3) *enſifoliae caulibus foliaſis nodoſis monocotyledones.* In his iterum folia ſunt aut plana, erecta, longa, aut oblonga, lanceolato-oualia, aut carinata vel anguloſa. Attamen et hic euitari anomaliae non poſſunt, quare Cl. Auctor ſimul, quae ex antecedentibus claſſibus huc referri debeant plantae, ſimul monet; 4) *dicotyledones foliis linearibus ſeu linea geometrica non latioribus.* Tunc obſeruantur folia faſciculata, anguſtiſſima, vel imbricata, ſeu denſiſſima non faſciculata fruticoſis in plantis, vel plantae ſunt herbaceae linariae folio; 5) *dicotyledones, linifoliae ſeu foliis ligulatis acutis caule proprio vel linea geometrica latioribus.* Subdiſtinguuntur huc pertinentes plantae in herbaceas, fruticoſas et ſubfruticoſas, foliis ſublanceolatis, et herbaceas foliis ſublanceolatis, floribus monopetalis, porro in herbaceas foliis oblongis floribus apetalis, in anguſtifolias cruciformes ſeu floribus tetrapetalis, tetradynamiis fructibus ſiliculoſis, deinde fructibus ſiliquoſis, nec non in anguſtifolias foliis oblongis floribus roſaceis polypetalis, et in eas floribus tetrapetalis cruciformibus, foliis amplexicaulibus vel ſagittatis, quae vulgo *Graſtifoliae* audiunt: in anguſtifolias floribus compoſitis floſculoſis, foliis latiuſculis, floribus compoſitis ſemifloſculoſis, et floribus compoſiis radiatis.

Quartam itaque *claſſem* his oppoſitae occupant p. 89.
plantae latifoliae, foliis ſimplicibus ſparſis ſine ordine. Diſcrepant a prioribus in eo, quod longitudo diſcifolii non excedat triplum latitudini maximae Ampla admodum earum familia iterum quinque diuerſos ordines facit: 1) *plantae latifoliae muſcoſae, foliis figura variis, minimis;* 2) *latifoliae ſublanceolatis vel*

apice et baſi anguſtioribus foliis. In his folia parua ſunt, vel mediocria; 3) *latifoliae foliis ouatis, ſubtriangularibus*, et quidem folia inciſa vel crenata, non inciſa, aut ima ouato lanceolata, ſumma anguſta, mediocria in herbaceis, neruoſa glabra, non neruoſa raro glabra, inueniuntur; 4) *latifoliae foliis ſubcordatis vel cordato-ſubrotundis.* Plantae huc referendae ſunt fruticoſae, herbaceae, foliis cordato-ſubrotundis et anguloſis. Latifoliae foliis obuerſe ouatis vel breuibus ſpatulatis, fruticoſae foliis cordatis; herbaceae, foliis cordatis ſaepe ſeſſilibus; 5) *latifoliae foliis haſtatis vel ſagittatis, quae ad baſim anguloſa ſunt, non ſubrotunda, vnde a cordatis diſcrepant.*

p. 122. Ab his in *quinta claſſe* ad *plantas aduerſifolias* accedit Noſter, quarum folia ſimplicia ſibi opponuntur, alii coniugata vocant, pinnata tamen hic excluduntur. Ordines a floribus deſumuntur, qui vel completi vel incompleti ſunt; imperfectio autem ab inuolucris eorundemque defectu deſumitur: ſunt numero ſeptem: 1) *aduerſifoliae floribus incompletis, ſaepius apetalis*, harum folia anguſta vel lata ſunt; 2) *floribus monopetalis regularibus*, itidem vel anguſtis vel latis foliis et ex his quaedam fruticoſae; 3) *flore monopetalo anomalo angioſpermae;* 4) *monopetalae labiatae ſeu gymnotetraſpermae.* A prioribus diſtinguuntur, ſeminibus quatuor nudis, in fundo calycis reconditis. Folia anguſta, minus anguſta et lata differentias pariunt; 5) *polypetalae regulares*; 6) *polypetalae anomalae*, 7) *diſcoideae ſeu floribus compoſitis*, iisdemque vel floſculoſis, vel radiatis.

Sequuntur in *claſſe ſexta verticillatae*, aliis ſtellatae vel radiatae, quarum folia in vna zona caulem ambiunt, eademque vel ſimplicia, vel compoſita. Ordines quinque iterum ex floribus depromuntur: 1) *floribus incompletis*, herbaceae foliis vel ſimplicibus

bus vel compoſitis; 2) *floribus monopetalis regularibus, foliis ſimplicibus, caulibus herbaceis;* 3) *herbaceae floribus monopetalis anomalis*, 4) *herbaceae polypetalae*; 5) *fruticoſae.*

Has excipiunt in *ſeptima claſſe plantae digitatae,* p. 171. in quibus folia ex pluribus componuntur, ſed ſic, vt eadem in eodem plano conſtituantur. Numerus foliolorum differentias facit et floris indoles, quare ſex inde ordines conſtituuntur. 1) *Digitatae flore incompleto*, quae foliola habent, vel ſimplicia plurima, vel terna, vel compoſita ſeu ſubdiuiſa, 2) *flore monopetalo regulari*, in quibus foliola ternata ſeu trifolia, vel ternata ac quinata et multipartita, vel bis trifoliata occurrunt; 3) *flore monopetalo anomalo*, foliolis triphyllis, polyphyllis; 4) *flore polypetalo regulari*, et quidem bifoliae, ſeu foliis binis, foliis quinatis pluribuſue, foliolis pluribus compoſitis ſeu ſubdiuiſis; 5) *flore polypetalo anomalo*, inter has aliae trifoliae leguminoſae, cum ſtipulis, ſine ſtipulis, aliae digitatae bifoliae, leguminoſae, aliae trifoliatae foliolis ſubdiuiſis, floribus polypetalis anomalis ſunt; 6) *floribus compoſitis*, iisque vel floſculoſis vel radiatis.

In *claſſe octaua* exponuntur *palmatae plantae:* diſcrepant autem hae a digitatis in eo, quod ſegmenta foliorum proprio careant petiolo, nerui autem ex petiolo radiatim in diſcum lobatum dimittantur. Ordines ſex ſecundum corollae naturam diſponuntur. Complectitur 1) *apetalas*, easque herbaceas vel fruticoſas: 2) *floribus monopetalis regularibus*, quae iterum ſunt, aut herbaceae cucurbitaceae, aut maluaceae corollis monopetalis quinque partitis, aut palmatae variae; 3) *flore monopetalo anomalo;* 4) *floribus polypetalis regularibus*, tum herbaceae tum fruticoſae; 5) *floribus polypetalis anomalis*, foliolis vel ſubdiuiſis, vel

integris, fructibus leguminosis; 6) *floribus compositis flosculosis.*

p.216. In *classe nona* habentur *plantae pinnatae,* quarum folia communem rachin vel costam habent, cui hinc inde foliola petiolata in eodem plano posita adhaerent, quare facile possunt ab oppositis in plantis repentibus discerni, quod costae deciduae adhaerent. Pinnatorum autem foliorum varia genera sunt. Huc pertinentes plantae in octo ordines reponuntur quorum 1) *muscos pinnatos;* 2) *filices* 3) *apetalas* 4) *monopetalas regulares;* 5) *monopetalas anomalas* 6) *polypetalas regulares, rosaceas, cruciformes, tetradynameas,* 7) *polypetalas difformes,* vmbelliferas, non vmbelliferas nec papilionaceas, et papilionaceas; 8) *compositas* flosculosas, radiatas et aggregatas comprehendit.

p.243. Ab his discrepant in *classe decima decompositae plantae,* in quibus scilicet folia conflantur ex foliolis vel ramosis vel petiolo bis vel quater diuiso insidentibus. *Alata* vocare mauult Cl. Auctor haec folia, quod alae auium in modum conformentur. Sunt autem, si petioli bis ramosi existunt aut costae in eodem plano oppositae adhaerent, *bipinnata* si ter vel quater ramosi sunt, *tri-quadripinnata,* priora LINNAEUS duplicato-pinnata, posteriora supradecomposita nominat. Ordines vt in prioribus ex floribus desumuntur: sunt eorum octo: 1) *filices,* 2) *apetalae,* 3) *floribus monopetalis regularibus,* 4. 5) *floribus monopetalis anomalis,* 6) *polypetalis vniformibus,* rosaceis vel cruciformibus; 7) *difformibus vmbelliferis,* foeniculaceis, vel foliolis maioribus angustis floribus vmbelliferis, vel foliolis latescentibus angustis, vel foliolis vltimis latis, lobatis saepius incisis, vel floribus difformibus polypetalis; 8) *floribus compositis foliolis angustis,* et quidem floribus capitatis et corymbosis.

Vltima

Vltima tandem *vndecima classis* exhibet *plantas laciniatas.* Ad quam referuntur, quarum folia vt plurimum integra sunt, sed a latere ad neruum medium saepe incisa et quasi lacerata apparent. Segmenta eorum petiolos non habent, sed lata basi adhaerent, *pinnatifida* tunc dicuntur, si vero segmentum superius sit reliquis amplius, folium lyrae, clauiculis ad manubrium ornatae, figuram refert, *lyratum*, vel si apex cum segmentis lateralibus hastae vel sagittae formam sistit, *hastato vel sagittato pinnatifidum* appellatur: si laciniae prominentes lineis curuis terminantur, *folium sinuatum* faciunt. Permultas huc pertinentes plantae *octo* complectuntur ordines, 1) *plantae cryptogamae seu algae et filices*, 2) *apetalae laciniatae;* 3) *monopetalae regulares*, 4) *monopetalae non circinnatae, circinnatae*, angiospermae, gymnospermae foliis compositis; 5) *polypetalae regulares*, tetrapetalae cruciformes, polypetalae variae, 6) *compositae flosculosae;* 7) *semiflosculosae;* 8) *radiatae*, ad quas tamen Carlinae, radiis veris carentes, referri nequeunt. p. 269.

In appendice omissae quaedam plantae adiiciuntur, in vniversum eae, quae Monspeliis occurrunt, puncto quodam appositio distinguuntur. Dolendum autem praeter adnotatos, ad finem libri errores typographicos, copiosioribus, quibusdam etiam protinus non distinguendis, librum defoedari.

Ex nunc proposita delineatione autem apparebit, has distinctiones foliorum, vtut studiose sibi subordinatas, ad generum discrimina facienda non sufficere, quare Cl. Auctor hunc in finem systemate naturae Ill. LINNAEI vtendum esse praecipit, siquidem vnius generis plures species frequentissime foliorum figura discrepant. Quare euenit, vt vna quandoque planta in diuersis iterum classibus occurrat.

currat. Vocabula, botanicis vsitata, definiuntur, ne tyrones ab iis deterreantur. Speramus etiam, denuo recoctam hanc dispositionem in posterum quoque difficilia specierum discrimina facilitare posse, quum hinc inde aliquas iam animaduersiones fuisse additas laetemur.

XXI.

De ossibus mandibularum puerorum septennium Diss. prior. Auctore IOA. GODOFR. IANCKE. A. M Med. Baccal. et in Theatro Anat. Lipsi. Prosect. Respondente ERN. SAM. WEHLE, Budiss. Lipsiens. 1751. pl. 5½. Dissertatio posterior inaug. eod. Auctore, ibid. eod. pl. 5. tab. aen. 1.

Quamquam nulla anatomiae pars, tam accurate, quam quae de ossibus agit, exposita est; tamen omnino adfirmare licet, et in hac quoque plurima supereſſe, quae paulo plenius subtiliusque exponi possent. Inprimis videntur iuniorum tum natorum, tum nascendorum osseae partes, et quae in iis successu temporis fiunt mutationes, nondum adeo examinatae et descriptae esse, quin aliqua iis addi pleniusque declarari queant. Quo igitur ad amplificandam ossium humanorum cognitionem, suam quoque symbolam conferret Cl. Auctor, duabus hisce dissertationibus ossa mandibularum puerorum septennium, quam accuratissime descripta et illustrata de-
p. 10. dit. Praemisit tractationem de generatione ossium in vniuersum, qua praecipuis auctorum de ea sententiis indicatis, suam quoque addidit. Osteogeniae autem vocabulo, non modo fluidarum corporis humani partium in osseas mutationem, sed et ossium incre-

incrementum eorundemque per omnem vitae curſum nutritionem comprehendit. Quae vero de modo, quo oſſa fiunt, Noſtro potiſſimum arridet ſententia, et quam a beat. GÜNTZIO praeceptore ſuo ſe accepiſſe fatetur, haec eſt: Partes, quae olim oſſa p. 17. futurae ſunt, in foetu neque cartilagines neque membranas referunt, ſed totum, quod olim oſſeum fit, ab initio celluloſum eſt opus. Hoc in latis fiſtuloſisque oſſibus duabus membranis, in aliis, quae tota ſpongioſa ſunt, vnica tantum membrana ambitur. Hae vero membranae perioſtea ſunt, per quae vaſa ita proferuntur, vt in latis oſſibus ex vtraque membrana ad centrum fabricae huius celluloſae, in caeteris ab externa membrana ad interiora tendant. Fiunt vero oſſa ex ſucco, quem arteriolae per perioſteum aduenientes in has cellulas deponunt, qui vel protenus oſſeam naturam induit, vel paullatim in os, quiete, et aquoſioribus particulis reſorptis, mutatur. Prout vero, vel ex pluribus ad eum locum pertinentibus vaſculis, vel certo ordine diſpoſitis, hic gelatinoſus ſuccus exſudat, modo puncta oſſea efformat, modo filamenta retis in modum ducta deſcribit. Cur vero gelatina talis ad vaſa perioſtei tantum adfluat, non ad alia viſcera, nondum patet. Hac autem ſententia propoſita adſumta potiora oſteogeniae phaenomena commode explicari poſſe Cl. Auctor oſtendit. Cur ſcilicet diuerſa oſſa, aut diuer- p. 19. ſae, vnius eiusdemque oſſis, partes, diuerſam habeant duritiem? Cur oſſis cuiusdam oſſificatio, in aliquot, iisque certis et determinatis locis, incipiat? cur alia oſſa craſſiora, alia contra tenuiora ſint? et cur os hinc inde tantum, et ſenſim ſenſimque craſſius fiat? vnde oſſium diploë proficiſcatur? Cur oſſa exterius ſolidiora, interius rara ſint? et cur interior contra oſſium caluariae lamina, exteriore denſior, magisque compacta? Cur os eo anguſtius

tenuius et denſius, quo propius carnes fortiſſimorum muſculorum adiacent? contra vero alia oſſa craſſa et rara ſint? Probat porro hanc de oſſificationis modo ſententiam, ex calli geneſi, in qua ſuccus non ex oſſe tantum, ſed ex arteriolis perioſtei aut durae matris exſudat, nec non ex praeternaturali oſſificatione arteriarum quae non in membranis ſuis oſſeſcunt, ſed in quarum cellulas effundi ſuccum oſſeum videmus.

p. 24. At cum Cl. Auctori obiici poſſit, propoſitam ſententiam tantum de latis oſſibus valere, non omnia autem oſſa lata eſſe, ita reſpondet, vt doceat, vel vnicam membranam, tantum liquidi ſecernere poſſe, quantum requiritur. Attamen non negari poteſt, oſſa, quae duplici membrana inueſtiuntur, firmiora eſſe iis, quae vnicam tantum tunicam habent, ſpongioſioresque ideo oſſium longorum extremitates eſſe tumidioresque, mediis eorum partibus, quae internum quoque perioſteum habent. Aſſerit quidem BASTERVS, deficere in abortibus cauitates cylindraceorum oſſium, adeo in adultis manifeſtas. At, ſi hae quoque deficerent, adeſſet tamen interius membrana, in qua vaſa ducuntur. Porro oſſium, quae aliis oſſibus iungitur, ſuperficies membrana inueſtitur, perioſteo tenuiore, quae, quamuis tenuiſſima ſit, concretionem tamen oſſium impedire poteſt. Nec deeſt perioſteum, vt WINSLOVIUS vult, vbi ligamenta adhaerent, ſed deeſſe tantum videtur, cum oſſium poros ſubeat, et tam paruum planum habent, vt membranam nullo modo referre

p. 26. queat. His praemiſſis, ad dentium originem ſe conuertit Noſter, veterumque de ea ſententias colligit. Non omnes molares in vtero formantur, cum trium poſteriorum molarium ne veſtigium quidem in vtero adſit. Eodem vero modo, quo reliqua oſſa corporis noſtri, et dentes fiunt. Ambit enim naſcentis dentis materiam, membrana vaſculoſa, qualis circa reliqua oſſa

eſt,

eſt in qua formaturi dentis fons, non vero in germine ipſo, vt FAUCHARDUS vult, quaerenda eſt. Nam non a centro formari dens incipit, ſed marmorea pars et corona primo ita oritur, vt in medio cauitas, germine ſeu gelatinoſo ſucco, repleta maneat, quae ſenſim ſenſimque minuitur. Neque folliculus cum pulpa interiore in dentem mutatur, ſed perioſteum dentis fit. Quae p. 30.
vero a Cl. Auctore de differentiis vtriusque maxillae, in iunioribus et adultis exponuntur, ea omnia repetere nimis longum foret, quapropter quaedam adducere tantum ſufficiat. Vtriusque maxillae oſſa in vniuerſum magis leuia, turgida, et intus laxiora et rariora, ſuturaeque aliter comparatae ſunt in iunioribus, quam in adultis. Diuiſio maxillae inferioris in ſeptennium puerorum maxillis, nunquam adhuc euidens eſt, ſed praeter anguſtiſſimam aliquam lineam, ne veſtigium quidem huius diuiſionis apparet, cum ea concretio iam ante tertium aetatis annum fiat. Fiſſurae in oſſibus palati exiſtentes, a Noſtro aliter ac ab ALBINO deſcribuntur, notaturque ab eo, ſe nunquam in ſeptennibus has fiſſuras mutatas vidiſſe, quod in puerulis iam contingere, ALBINUS ſcripſerit.

In diſſertatione poſteriore Noſter, de dentibus, qui circa ſeptimum aetatis annum, in mandibulis conſpiciuntur, in vniuerſum, et de quouis eorum ordine, ſcilicet de primo et ſecundo qui ſub priore, aut ſuper eum pro maxillae diuerſitate latet, agit. Deinde alueolos in vtraque maxilla conſpicuos deſcribit, et de eorum diuerſitate diſputat. Tunc de canalibus oſſeis et viis vaſorum ad dentes exponit, tandemque vſum practicum theoriae mandibularum atque dentium indicat. Cum vero rerum et adnotationum ſubtiliter explicatarum ſumma copia ſit, liceat nobis ex vniuerſa hac tractatione, quaedam tantum ſpeciminis loco adducere. Ipſam enim rerum ſubtilium deſcriptio-

ptionem nimis contrahentes, obſcuritatis notam vix
p. 8. effugere poſſemus. Quo plures ex dentibus, qui in maxillis puerorum inferioribus latent, in conſpectum venirent' ea Cl. Auctori placuit ſectio, qua, in anteriore maxillae inferioris parte, inter arcum alueolarem et baſin maxillae, media pars ab vno proceſſu coronoideo, ad alterum vsque, bis ſerra diſſecatur, et intermedia pars cultro aut ſcalpro caute effringitur. Sunt vero in quauis puerorum maxilla viginti quatuor dentes, ex quibus quatuordecim in maxilla reconditi adhuc latent. Molarium dentium primi ordinis coronae obteguntur membrana, vt videtur cartilaginea, aut ſaltem duriuscula et quaſi calloſa. Ea vero non differt ab ea ſubſtantia, quae in recens natis omnes alueolos claudit, et ad gingiuas refertur,
p. 11. in qua, ex parte tantum, cauſſa difficilis dentitionis ſita eſſe videtur. Secundi ordinis dentes ſinguli, quadam liuida membranoſa ſubſtantia ſuperinducuntur. Non omnes radice deſtituuntur, cum in quatuor maxillae inferioris inciſoribus tales iam, etſi minus longae, ap-
p. 13. pareant. Si dentes, qui in maxilla ſuperiore latent, noſcere et inſpicere volumus, ſimilis ſectio, ac in inferiore maxilla, a ſpina narium vsque ad tuber oſſis maxillaris, vel a parte inferiore apophyſeos palatinae,
p. 15. ſecundum arcum alueolarem facienda eſt. Quo magis autem mirum videatur, dentes tantae magnitudinis in maxillis latere, et ita quidem latere, vt deformitatem nullam faciei pariant, eo maiorem adhibuit Cl. Auctor in ſitu horum deſcribendo et diſquirendo diligentiam. Oſtendit enim, a ſummo rerum omnium Opifice, horum ſitum ita ordinatum eſſe, vt maxima ſapientia in eo eligendo adhibita clare exinde pateat.
p. 31. Canalis per inferiorem maxillam decurrens, in iuniorum oſſibus non ſimpliciter per os ducitur, ſed ſolida quadam lamina oſſea, foraminulis hinc inde pertuſa, concluſus, facile a ſubſtantia celluloſa diſtinguitur.

Cauſſa

Cauſſa, quae facit, vt priores dentes circa ſeptimum annum cadant, in nutritionis defectu poſita eſt. Cum enim priorum dentium vaſcula ſanguinea, per alueolos ſequentium procedant, iis compreſſis et obliteratis priorem dentem mori et lente quidem oportet. Cum vero hoc maxime circa radices fiat, clarum eſt, cur dentes, qui ſponte cadunt, nullam vel deſtructam radicem, qui euelluntur, magis integram habeant. Hoc, de molaribus magis, quam de ceteris valet, ſiquidem molarium radices, quae recta ſecundis dentibus innituntur, magis quam caninorum et inciſorum comprimuntur, porro ex his patet, cur alueoli, qui ſecundos dentes continent, ampliores ſint ipſis dentibus, ſi enim arcte comprehenderent dentem, longe citius caderent, dentium primi ordinis vaſis compreſſis, quam, cum ampliores ſunt alueoli, cadunt. Cauſſa vero, cur circa ſeptimum aetatis annum dentes priores cadant, partim in anguſtatis alueolis, elongatis ſcilicet maxillae inferioris laminis ab actione vicinorum muſculorum poſita eſt. Non vtile videtur, priores dentes p. 36. prius euellere, quam ſecundi ſuccedant, cum vaſculis nondum compreſſis, effuſus ſtagnansque liquor, ſecundum corrumpere poſſit. Si molares priores non opportuno tempore remouentur, et ab inferiore latiore parte coronae dentis poſterioris, aut alueolo anguſtato, vaſa prioris dentis comprimuntur, ſtaſis humorum in ſecundo oritur, et abſceſſus in ſuperiore maxilla maxime metuendus: cum et antri HIGHMORI parietes facile exedi poſſint, et in ipſo antro inflammatio et difficillimae curationis abſceſſus, circuitu ſanguinis intercepto et ſtagnantibus humoribus, oriri poſſit. Gingiuarum ſectio in difficili dentitione inſti- p. 37. tuenda non eſt, niſi, vbi ſola tenacitas membranae cartilagineae, quae alueolos claudit, dentem erupturum retinet. Aliter enim citiusque ſecta, calloſa fit et magis adhuc eruptionem dentis difficiliorem reddit.

XXII.

XXII.

La Medecine d' Armee, contenant des moyens aisés de préserver de maladies, sur terre et sur mer dans toutes sortes de Païs et d' en guérir, sans beaucoup de remedes ni de dépenses, les Gens de Guerre et autres de quelque condition qu' ils soient. Par M. DE MEYSEREY, Medecin ordinaire du Roi, Ancien Medecin des Armees de Sa Majesté en Italie et en Allemagne et Correspondant de l' Academie Royale des sciences de Paris. Tome premier. A Paris, chez la Veuve Cavalier et Fils, 1754. 12. Alph. 1 pl. 22. Tome second Alph. 1. pl. 19 Tome troisieme pl. 16.

h. e.

Medicina castrensis, continens auxilia, morbos et terrae et mari, in omnibus quibuscunque regionibus praeuertendi, et absque multis remediis, nec impensis milites aliosque cuiuscunque conditionis curandi Auctore Cl. MEYSEREY. Tomus I. II. III. etc.

E duabus partibus hic liber componitur: in priori auxilia exponuntur, quae homines aduersus morbos, aliquando futuros, defendunt; in posteriori vero, quam secundus et tertius tomus constituunt, methodus communicatur, quae praesentes iam morbos auferre docet. Sub finem nonnullae subnectuntur formulae, quae ostendunt, quomodo varia, non adeo magni sed vilioris pretii, componi possint remedia. Si ipsam medendi methodum contemplemur, curationem quidem morborum atque omne

omne id, quod ſecundum anni tempora, regiones et temperamenta proſit vel noceat, indigitatum deprehendimus, cauſſas vero morborum, ſymptomata et euentum hinc inde leuiter et paucis tantum Cl. Auctorem tetegiſſe, conſpicimus. Caeterum omnia, quae hic exponuntur, ita comparata ſunt, vt artis quidem peritis minus notae non ſint, iis tamen, qui hoſpites in medicina ſunt, vel eam e longinquo ſalutant, inſeruire et vtilitati eſſe poſſint. Ita namque in primo tomo regulae, militibus inprimis obſeruandae, praeſcribuntur, quae eos inſtruant, quomodo ſanitas conſeruari morbique imminentes auerti queant; inſimul etiam auxilia indicantur, quae variis affectionibus, corpus externum infeſtantibus, mederi ſolent: in ſecundo autem tomo febres et inflammatorii morbi, inque tertio tomo particulares morbi et paucá de vulneribus eorumque curatione explicantur. Qui vero anno praecedente evulgatus fuit libellus *), maximam partem, tum quoad ipſa verba, tum quoad primaria momenta hic recuſus reperitur. Cum itaque nihil nobis excerpere licuerit, paucis his, quae de libro iſto in genere indicare potuimus, ſuperſedere placebit.

*) Methode aiſée et peu couteuſe, de traiter avec ſuccès pluſieurs malaladies épidémiques, comme la ſuette, la fiévre miliaire, les fievres pourprées, putrides, vermineuſes et malignes, ſuivie dans differens endroits du Royaume et des Pays etrangers, avec les moyens de s' en preſerver. Par M. DE MEYSEREY. Seconde Edition, revue et augmentée. A Paris chez la Veuve Cavalier et fils, 1753. 8. pl. 5.

Contenta in hac parte.

1. LUCAS, Eſſay on Waters p. 7
2. MALOUIN, Chimie medicinale p. 35
3. MACQUER, Elemens de chymie theorique p. 45
4. ERHART, *Oekonomiſche Pflanzenhiſtorie, XII Bände* p. 54
5. MENDES DA COSTA, Natural Hiſtory of Foſſils p. 66
6. HALLERI Diſputationes ad morborum hiſtoriam et curationem facientes. Tom VII. Pars I et II. p. 78
7. CARTHEUSERI Elementa Chimiae dogmatico experimentalis p. 82
8. HILLARY, the Nature, properties and laws of Motion of fire cet. p. 85
9. LINNAEI Amoenitates Academicae Volumina V p. 90
10. GOULARD, Traité ſur les effets des preparations de Plomb et principalement de l'extract de Saturne cet. p. 113
11. *Eiusdem*, Remarques et obſervations pratiques ſur les maladies Veneriennes p. 117
12. GELLERT *Anfangsgründe zur metallurgiſchen Chymie* p. 121
13. *Eiusdem*, *Anfangsgründe zur Probierkunſt* p. 121
14. BRISSON, Regnum animale in claſſes IX diſtributum cet. p. 129
15. POUTEAU, Melanges de Chirurgie p. 140
16. Hydrops. Diſputatio medica p. 158
17. HEUERMANNS *Phyſiologie, vier Theile* p. 161
18. Hygiene dogmatico-practica cet. p. 168
19. GALLO, opuſcula medico-practica p. 174
20. DE SAUVAGES, Methodus foliorum p. 177
21. IANCKE, de Oſſibus mandibularum puerorum ſeptennium Diſſ. I. et II. p. 184
22. DE MEYSEREY La Medecine d'Armee Tom. III p. 190

COMMENTARII
DE REBVS
IN
SCIENTIA NATVRALI
ET
MEDICINA
GESTIS.

PRIMAE DECADIS SVPPLEMENTVM II.

LIPSIAE MDCCLXIV.
APVD IOH. FRIDERICVM GLEDITSCH.
Venduntur etiam
Amstelodami apud I. Schreuder et P. Mortier iun. Parisiis apud Briasson, Patauii apud I. Manfré, Holmiae apud L. Saluium.

Jos: Banks



I.

A Treatiſe on the Theory and Practice of Midwifery; by W. SMELLIE M. D. Vol. I. the third Edition corrected. London 1756. printed for D. Wilſon and T. Durham. 8 mai. 1 Alph. 6 pl. *).

*) Prodiit prima huius libri editio iam anno 1752, cum vero ſatis cito exempla deficerent, alteram editionem 1754 curauit b. Auctor, in qua varia, quae contra eum monuerant quidam, Cl. BURTON prae aliis, attendens, multa vlterius definiuit, multa correxit; cui tandem haec tertia, quam nos adduximus, ſucceſſit. Ob ſummam vero ſui vtilitatem in gallicam aeque ac in teutonicam linguam translatum fuit totum hoc opus. Priorem verſionem confecit PREVILLE, qui priorem tomum Pariſiis 1754, alterum tertiumque 1756 typis excudi curauit, addiditque priori Volumini deſcriptionem vectis Roonhuiſiani; tabularum anatomicarum vero formam in minorem, octauam quam vocant, contraxit. In germanicam linguam priora Volumina Cl. KOENIGSDOERFERUS M. D. tranſtulit, quae Altenburgi prodiere; tertius autem tomus, qui tabulas aeneas continet, Noribergae excuſus, eadem omnino tabularum et magnitudinis et operae, quam SELIGMANNUS ſuſceperat, ſuperbit praeſtantia, qua anglica editio ſeſe commendat; tabularum vero explicationem et latine et teutonice conſcriptam addidit Cl. b. HUTHIUS.

II.

A collection of cases and observations in Midwifery; by WILLIAM SMELLIE M. D. to illustrate his former treatise or first volume on that Subject. Vol. II. London 1754. printed for D. Wilson and T. Durham, 8 mai. 1 Alph. 10 pl.

III.

A set of anatomical tables with explanations and an abridgment of the practice of Midwifery: with a view to illustrate a treatise on that Subject, and collection of cases; by WILLIAM SMELLIE. London printed in the Year 1754. fol. reg. tabb. aen. 30.

h. e.

Tractatus de theoria ac praxi artis obstetriciae

Collectio casuum et observationum in arte obstetricia; ad illustrandum priorem libellum super hoc argumentum conscriptum.

Fasciculus tabularum anatomicarum cum explicationibus; quibus accedit epitome regularum in exercenda hac arte observandarum, Auctore GUILELMO SMELLIE M. D.

Quo maioris momenti esse videtur, vitae hominum prospicere, eo plus laudis esse tribuendum iis, qui artem obstetriciam ad summum perspicuitatis gradum euehunt, nem dub

dubitabit. Inter hos, a cel. LEVRETO si discesseris, facile princeps est b. Auctor, qui, cum maximam aetatis suae partem in isthoc negotio exercendo transegisset, illius, quam tanto studio excoluerat, doctrinae expositionem vberiorem publicae luci committere secum constituebat. Eo igitur animo imprimi curabat tres a nobis nominatos libellos, in quibus ea, quae per longaeuam suam praxin obseruauerat, ita expromit, vt probe inde intelligi possit, quid in subleuandis parturientium molestiis suscipiendum sit, praesertim cum tanto omnino in scribendo vsus sit candore, vt aperte indicaret errores, quos in facienda arte commisit interdum, vel aliorum auctoritati nimium confidens, vel sui ipsius ingenii imbecillitati nimium tribuens. Seruauit in argumento tractando eum ordinem, vt praemitteret, introductionis loco, breuem auctorum enumerationem, qui de arte hac bene meriti tam in antiquioribus quam recentioribus temporibus scriptis, factis inuentisque inclaruerunt. Qui quidem catalogus quanquam, si dicendum quod res est, nec locupletissimus nec omni cum cura confectus sit, omni tamen laude ac vtilitate carere nullo modo videtur.

Ipsius insequentis tractationis primus liber ea continet, quae obstetricantibus ex anatomes et physiologiae capitibus cognitu necessaria ducit, et sine quarum vera cognitione cum fructu exercere artem hanc nemo potest. Exponit igitur primo capite *structuram atque formam peluis osseae* aeque ac variis suis integumentis vestitae. Ossium peluis semotionem in partu naturali fieri negat, licet eam in praeternaturali casu interdum contigisse largiatur; motum tamen quendam obscurum se sub partus doloribus animaduertisse ait, qui tam inter ossis sacri cum p. 75.

ossibus ileum, quam inter ossium pubis synchondrosin fiat. Altera huius capitis sectio *peluis osseae aperturas* vtrasque et superiorem, quae vel triangularis vel elliptica esse solet, et inferiorem describit: axin peluis in femina paululum reclinata ab vmbilico ad perpendiculum descendere, in grauida vero eam inter vmbilicum atque scrobiculum cadere monet. Tertia sectio disquirit *mensuram peluis* cauitatisque suae dimensiones. Aperturae superioris diametrum quinque pollices cum semisse, coniugatam vero quatuor cum semisse exaequare contendit; inferioris vero aperturae inuersam esse rationem asserit, cum arcus ossium pubis a coccygis apice quinque cum semisse, vnum vero ischium ab altero quatuor cum semisse pollices distet. Profunditas peluis in posteriori loco, a prima ossis sacri vertebra ad coccygis apicem vsque, quinque pollices, in lateribus quatuor, in anteriori parte vero, vbi ossium pubis synchondrosis est, vix duos pollices alta deprehenditur. Ipsa quoque interior peluis cauitas rite attendi meretur, quam fuse describit ostenditque ossis sacri curuaturam, in qua, vt super planum inclinatum, descendere in partu caput infantis potest, multum ad partum promouendum conferre. Has tamen dimensiones ac figurae descriptiones, quanquam vt plurimum in bene formata pelui adsint, vix tamen ad certas posse determinare regulas affirmat. Recedit vero peluis ab hac sua iusta figura saepissime, et haud raro magna inde pariendi enascitur difficultas. Varia de causa oritur eiusmodi peluis difformitas, vel enim neglectus in gestatione aliaue externa illata vis ossa comprimere et capacitatem siue in diametro siue in coniugata angustare, vel rhachitica aliaue, aut scorbutica, aut venerea humorum corruptio, mollitiem ossium efficere et hinc peluim compressam reddere potest. Haec *peluis vitia* indeque oriunda incom-

commoda quarta ſectio exponit, ſubſequens autem quinta *differentiam peluis femineae a maſculina*, variamque capitis infantilis dimenſionem et diametrum, indeque natam partus facilitatem vel moleſtiam accurate explicat.

Alterum caput externas internasque, generationi ac partui efficiendo deſtinatas, feminarum partes molles delineat ita, vt prima ſectio *genitalia externa* atque *vaginam*, altera *vterum*, tertia tandem *ouaria cum tubis* FALLOPII *vterique ligamentis* deſcribat. RUYSCHII orbicularem muſculum negat, nec in ipſa vteri ſubſtantia fibras muſculares adeſſe putat, iis exceptis, quae arterias componere iuuant; glanduloſam potius eam eſſe aſſerit, mammarum corporibus ſimilem, quin adhuc ſpongioſiorem ac molliorem, id quod omnino nobis mirum videtur. Ipſam vteri craſſitiem ſub grauiditate nec augeri, contra DEVENTERUM, nec imminui, contra MAURISAEUM affirmat, ſed eam ob vaſorum aequabilem diſtenſionem eandem manere perhibet. p. 92. p. 98.

Tertium caput in prima ſectione de *feminarum non grauidarum menſtruis* et *fluore albo* agit. Varias phyſiologorum hypotheſes, aliasque huc referendas obſeruationes adfert, vtrorumque breuem et pathologiam et therapiam adnectit. Altera ſectione de *conceptione* diſſerit, et licet ipſe concedat hoc phyſiologiae caput non proxime ſpectare obſtetricantes, non tamen omni vſu carere ſibi perſuadet, tradere auctorum opiniones, quod et breuiſſime peregit. *Augmentum incrementumque vteri*, quod impraegnatum et in vterum deuolutum ouulum, matricem diſtendendo, efficit, tertia ſectio conſiderat; atque cauſas incipientis contractionis vteri ad partum a nimia eius expanſione, cui ſuperandae tolerandaeque vlterius par eſſe nequit, enaſci demonſtrat. Quarta ſectio *pondera foetuum* variaque nomina, p. 105. p. 118.

mina, quibus pro ſua aetate affici ſolent, enumerat. Ouulum ex ouario in vterum prolabens feminis papaueris magnitudinem habere fingitur. Decem poſt conceptionem dies granum ſemis; poſt trigeſimum diem grana viginti duo; tertio menſe elapſo, vbi oui gallinacei magnitudinem aſſecutum eſt, duas tresue vncias; nono tandem menſe a decem ad duodecim libras pendere auctores aſſerunt, vagas tamen atque incertas eſſe has tam magnitudinis quam ponderis rationes, non ſolum ob matris, ſed et ob foetus habitum, recte Noſter contendit. Embryonis nomine inſigniendum cenſet in vtero contentum homunculum a primo ad tertium vsque menſem, quo vero peracto, vbi nunc omnes artus formati ſint, foetum
p. 123. nominandum eſſe eum ſuadet. Quinta ſectio de *gemellis* agit. Quiuis gemellorum ſua propria integumenta ſuamque placentam habet. Vidit tamen Noſter in vnum corpus coalitas gemellorum placen-
p. 124. tas ita, vt vnius vaſa in alteram penetrauerint. Sexta ſectio de *ſuperfoetatione*, quam fieri Noſter negat, ſeptima de *abortu* exponit. Diſtinguere ſolent ratione temporis, quo poſt conceptionem rurſus eliminatur id, quod in vterum delatum erat, ſequentes ſpecies, *effluxionem*, *expulſionem* atque *abortum*, quam tamen diſtinctionem vix tanti eſſe, Noſter iure optimo monet. Nouem ſolares menſes ad foetum perfectum requiruntur, et, quanquam rariſſime contingat, vt per longius temporis ſpatium foetus in vtero retineatur, ſatius tamen iudicat, plurium, quamuis culpandarum, famam ſaluare, quam vnius innocen-
p. 128. tis famam conſpurcare. *Mola* non, vt veteres exiſtimabant, inde oritur, quod partes foetus ab iis placentae, quibuscum in ſemine maſculo femineoue confuſas eſſe putabant, rite ſeparatae ſint; nec, vt recentiorum quibusdam viſum eſt, a placenta vel integra vel ex parte in vtero poſt partum relicta;

ſed

ſed inde, quod foetus in impraegnato vteroque iam agglutinato ouulo emoriatur, atque tunc placenta in maſſam carneam increſcat; aliam quoque addit ortus molarum rationem, quod nimirum ex glandula quadam vteri, obſtructa ac turgida facta, atque magis magisque intumeſcente formentur; ſed negare non poſſumus, hanc glandularum intumeſcentiam polyporum quidem non vero molarum originem ſuppeditare nobis videri. Expoſitis his omnibus in octaua ſectione, nunc nona, quae eſt huius capitis vltima, *placentam* conſiderat. Figuram, partes p. 133.
conſtituentes, ſtructuram, adhaeſionem, aliasque, quae ſcire obſtetricans debet, placentae qualitates exponit. Funiculum diſciſſum in partu et verſus vterum non ligatum plus fundere negat cruoris, quam quantum in eo momento, quo diſcindebatur, in vaſis eius continebatur; hinc nullum haemorrhagiae nimiae periculum inde metuendum. Liquorem amnii non, vt quidam putant, foetus perſpirationi, ſed vaſis lymphaticis in chorio amnioque decurrentibus tribuit: nec iis aſſenſum praebet, qui rubrum ſanguinem, a matre ad foetum delatum, eius nutritionem praeſtare negant, eamque a lympha, per chorii vaſcula lymphatica ad foetum deducta, fieri ſibi fingunt.

Liber ſecundus in primo capite recenſet varia p. 143.
morborum genera, quibus grauidae obnoxiae eſſe ſolent, et quorum effectus, niſi iis medeatur obſtetricans, vel matri vel foetui, quin immo vtrique noxii ac lethales eſſe poſſunt. Prima ſectio tractat *nauſeam et vomitum.* Huius ſymptomatis, quod, niſi fuerit vehementiſſimum, vix medici cura indiget, haud raro cauſam eſſe plethoram veram oſtendit. In quo quidem caſu venaeſectionem, victum leuem, motumque corporis optima remedia cenſet. *Vri-*
nae retentionem, alui obſtipationem, haemorrhoides, p. 145.
pedum vel labiorum pudendi tumorem oedematoſum, re-

ſpirationis difficultatem altera ſectio tractat, quorum omnium cauſas a cauſis mechanicis, compreſſione vt plurimum vaſorum aut neruorum, ab extenſo vtero praeſtita, deducit, eosque vel phlebotomia vel clyſmatibus datis aut tolli, aut certe imminui aſſerit.

Pergit in altero capite huius libri quaedam tradere de iis morborum generibus, quae, quanquam non ab ipſa grauiditate dependeant, grauidis tamen, ſi acciderent, multum moleſtiae vel in geſtatione vel in partus negotio faceſſunt. Huius commatis ſunt renum calculus ſiue et qui in veſica vrinaria deliteſcit; herniae; hydrops; incontinentia et ſuppreſſio vrinae; fluor albus; gonorrhea et lues venerea; quibus omnibus mederi vel therapia medicaminum vel chirurgia manuum ope docet. Herniarum genus adfert parturientibus maxime funeſtum illud, vbi inteſtini pars in ſpatium inter vaginam et rectum inteſtinum deſcenderit illudque repleat.

p. 167. Tertio capite diſſerit Noſter *de abortu*. Tres potiſſimum cauſas abortuum ſtatuit, infantis mortem; placentae ab vtero ſpontaneam ſeparationem; orificii interni nimiam diſtenſionem. Quacunque de cauſa foetus moriatur, mortuus nullum amplius in ſe ſanguinem recipit, hinc circulus ſanguinis inter matrem et foetum ceſſat, ceſſat inde oui reſiſtentia, quam vtero ad ſui contractionem prono opponit, hinc ab eo excluditur. Placentae ab vtero ſeparatio vel ab interna quadam vel ab externa cauſa producitur. Vtraque abortum efficit tollendo circulum ſanguinis e matre in tenellum infantis corpusculum; ſi tantillum placentae ſolutum fuerit, fit interea, vt rurſum coaleſcat, ſi vena ſecta ac quiete concella femina reficitur, atque ideo abortus impeditur. Si talis haemorrhagia, quae a placentae oritur ſeparatione, in vltimis geſtationis menſibus accidit, facile obſtetricans auxilium ferre poteſt, tunc enim et orificium diſtendere

dere et foetum extrahere licet, quod vero in primis menſibus perficere vix poterit. Recenſet adhuc inter cauſas, quae abortum efficere ſoleant, omnia ea, quae vterum ſtimulando irritant, v. c. tuſſes, conuulſiones, purgantia draſtica, picam grauidarum, tenesmum cet. quibus cunctis quomodo mederi debeat medicus, breuiter tradit.

Tertius liber nunc veras artis obſtetriciae regulas continet. In prima prioris capitis ſectione ſitum foetus in vtero delineat. Iis adſenſum praebet, qui a primo conceptionis tempore ad partum vsque caput foetus ad orificium vteri reclinatum pendere aſferunt; verſionemque iſtam, quam veteres circa octaui menſis finem fieri putabant, merito inter figmenta numerat. Cuius quidem opinionis robur variis argumentis ſtabilire ſtudet, quae vel a capitis mole ac pondere inſigni; vel ab aquarum ſenſim facta diminutione; vel ab exploratione grauidarum; vel denique a foetubus abortiuis capite fere ſemper prodeuntibus deſumſit. Sed obſtant quoque varia, eaque haud leuioris momenti phaenomena huic hypotheſi, illa prae aliis difficilis partus genera, in quibus non capite, ſed alia quadam parte praeuia, infans in lucem prodit.

Altera ſectio *explorationem grauidae* deſcribit. p. 184.
Modum, quo grauida, rationesque, cur ſit exploranda, apte tradit, quanquam iure aſſerat, ante quartum grauiditatis menſem certi quid intelligi non poſſe. Exponit tunc orificii vterini ſucceſſiuas mutationes, quas et pro eius mollitie, et craſſitie et altitudine attendere obſtetricans debet, ſi de grauiditatis tempore rite iudicare voluerit.

Sectione tertia *ſigna conceptionis* eaque, quae gra- p. 189.
uiditati et menſium ſuppreſſioni communia ſunt, perpendit. Sola exploratione haec rite a ſe inuicem diſtingui poſſunt; ipſa vero grauiditatis ſtadia ab

vteri

vteri ſenſim ſenſimque aucta expanſione, abdominisque inde enata intumeſcentia, in cenſum ſimul ducto interni orificii habitu, facile determinari poſſe ait, ſi quartus quintusue elapſus fuerit menſis, licet ante hanc periodum quaeuis ſigna dubia ſatis multisque fallaciis obnoxia ſint.

p.193. Quarta ſectio tradit *modum falſos ſ. ſpurios dolores a veris ad partum diſtinguendi*, ſubiungitque iis medendi media. Vnum ac certiſſimum verorum dolorum ſignum orificii vterini eſt dilatatio. Quod ſi vero orificium vteri, quamuis vehementibus doloribus parturiens excrucietur, arctiſſime clauſum manet, ſpurii hi dolores, qui haud raro colici deprehenduntur, et a flatibus aliisque inteſtinis inhaerentibus ſpurcitiis excitantur, vel venaeſectione, vel euacuantibus, vel narcoticis, pro varia cauſa compeſci ſolent.

Quinta ſectio *partus diuiſionem* ſuppeditat. Naturalem tantummodo a contranaturali partu diſtinguere ſolebant veteres, addiderunt tamen recentiores, qui ſufficere diuiſionem hanc non putabant, eam partus laborioſi ſpeciem. Quasuis tamen harum ſpecierum adlatas definitiones ſuis laborare vitiis cum Cl. Auctor ſibi perſuaſerit, eam ſibi regulam ſtatuit, vt naturalem partum dicat eum, cui perficiendo ſola naturae dolorumue actio ſufficit; eum vero laborioſum nominet, qui, aut genitalium artificiis quibusdam adhibitis dilatationem, aut inſtrumentorum variorum vſum poſtulat; contra naturalem autem iudicet eum, qui foetus verſione perficitur.

p.202. Caput ſecundum in prima ſectione *commodum parturientium* ad edendum partum *ſitum* deſcribit. Lectulum omnibus aliis, quae fuſe recenſet, ſituum generibus multis de cauſis praeferendum putat, traditque, quomodo componendus ſit talis lectulus, quaque ratione ſuper illum tam in naturali quam in con-

contranaturali partu collocanda ſit femina, declarat. Sectio ſecunda modum tradit parturientibus in naturali partu auxilium ferendi, quod quidem auxilium ad varias partus periodos, quas a capitis deſcenſu definit, inſtituendum eſſe monet, et encheireſes huic negotio perficiendo aptas addit. Tertia ſectio ab- p.215.
ſoluitur quinque articulis, quorum primus membranarum dilacerationem, ab obſtetrice interdum conſilio praeſtandam, deſcribit. Fit enim, vt haud raro nimis denſae ſint amnii choriique membranae, atque ideo partum retardent. Si tunc ſatis apertum ſit vteri orificium, diſrumpere eas ſuadet, quod eo citius fieri debet, ſi magna haemorrhagia aut ſumma parturientis debilitas vrget. Alter articulus eum caſum explicat, vbi aquis prorumpentibus ita caput praeuium viam praecludit, vt vel exigua tantum quantitas, vel et prorſus nihil liquoris effluere poſſit; tertius enarrat encheireſes, quae adhibendae ſint in ea partus periodo, in qua caput peluis cauitatem ingreſſum fuit; quartus, quaenam rigiditas partium partus efficere ſoleat diſcrimina exponit, et quintus tandem addit, quae circa partum obſeruanda ſint, qui vel a chordae vmbilicalis nimia breuitate, vel ab humeris ab anguſta pelui retentis retardatur: in priori caſu ſuadet immittere digitum in ani orificium, ſicque caput exprimere, aut, ſi irrita haec fuerit opera, chordam diſſecare; in altero vnci obtuſi ad axillas applicationem commendat, cui tamen vnius vtriusue brachii ſolutionem praeſtare, nos exiſtimamus. Quarta ſectio in tribus articulis agit de iis, quibus ſuccurrendum eſt neonatis, quos, ſi fuerint ob partus tarditatem nimium defatigati, reficiendos ſuadet eo, quod ex vmbilico quidpiam ſanguinis extrahatur: addit quoque eam methodum, qua deligari debeat funiculus. Quinta ſe- p.234.
ctio recenſet ea, quae circa placentae ſolutionem ſcitu neceſſaria iudicat: hanc ſolutionem neutiquam praecipi-

cipitandam esse in iis potissimum, in quibus haemorrhagia metuenda non est, monet, nec versus matrem funiculum esse deligandum censet, cum tantum absit, vt nimium sanguinis inde effluat, vt potius placentae volumen hoc effluxu minuatur, et ab vtero sese contrahente citius protrudi possit. Nec tamen eam componere audet Noster litem, quam mouerunt varii, qua alii nihil prius esse agendum operatori post foetus exclusionem, quam vt citissime placenta extrahatur, alii vero absque periculo eam relinqui in vtero posse, sibi persuadeant: media via ingrediendum esse putat, et pro circumstantiarum ratione id agendum, quod sana ratio dictitat; quanquam enim vt plurimum naturam ipsam sufficere contendat huic negotio ita, vt exiguo post partum temporis spatio placenta sponte secedat, fieri tamen quoque posse affirmat, vt nimis diu relicta placenta, in medici obstetricantis haud leue opprobrium, inflammationis vterinae, nisi efficiens, certe occasionalis causa existat.

p. 242. Tertium caput explicat difficiles siue laborioſos partus: cuius sectio prima *difficiliorum partus ſpecierum* causas disquirit. Absque accurata instrumentorum cognitione eorumque iusta applicatione neminem posse artem obstetriciam laudabiliter exercere, merito asserit; licet simul quemlibet admoneat, ne, vel arrogantia quadam aut proteruia commotus, iis vtatur sine eo, quod absoluta necessitas vrgeat, inque iis casibus, vbi alia adhuc supersunt artis auxilia, quae parturientes minus terrent. Septem potissimum causas numerat partuum difficiliorum: *parturientis nimiam debilitatem* vel a crebriori vomitu, vel a diarrhoea, vel a sanguinis profluuio cet. enatam; *ſubitaneam quandam ſub ipſis iam doloribus excitatam animi perturbationem*, molesta sit grataue, quae haud raro dolores veros non solum infringit, sed prorsus quo-

que

que ſupprimit adeo, vt partus absque artis auxilio ad finem perduci nequeat; *partium genitalium nimiam rigiditatem* vel ab aetate prouectiori, vel a praecedente quodam genitalium morbo productam; *retentionem corpuſculi foetus*, quam aut orificium vteri circa collum foetus arcte contractum, aut funiculus vmbilicalis vni alteriue membro circumuolutus ſiſtunt; *caput foetus inique poſitum; nimiam capitis infantilis molem*, quae vel ab oſſium cranii nimis cita coalitione, vel ab effuſis in internam cauitatem cranii aquis adeo augetur, vt vel aegerrime, vel prorſus non comprimi ac imminui queat; *difformitatem* tandem *peluis* compreſſae vel nimis anguſtae, qualem ſaepiſſime in iis, qui rhachitide alioue oſſium vitio laborarunt, deprehendimus. In quibusuis hisce partuum ſpeciebus id ſemper efficiendum eſſe ſuadet, vt, in pedes verſus, foetus eorum ope extrahatur; quam agendi methodum non ſolum tutiſſimam, verum et facillimam cenſet. Miramur tamen, ſibi perſuaſiſſe Noſtrum, poſſe interdum caput, quamuis in peluis cauitatem iam delapſum, ſurſum rurſus in vterum propelli. Incuneatum vero ac inclauatum ſi caput manui operatoris omnem praecludat viam, forcipis adplicatione opus eſſe affirmat; ſi autem nec manu verſionem, nec forcipe extractionem praeſtare operator poteſt, tandem ad perforatoria eſſe confugiendum concedit. Quaeuis haec artis auxilia nec temere nimis nec nimis timide adhiberi iubet; vtroque enim modo vel matri vel foetui vel et vtrique obeſſe poſſumus. In eo caſu, vbi metuendum eſt, ne, etiamſi verſio foetus perficiatur, caput tamen, ob nimiam ſuam ad peluis amplitudinem molem, corpuſculum ſolutum ſequi nequeat, forcipis applicatio, quin et cranii perforatio verſioni praeſtare affirmat.

Altera

p.248. Altera ſectio *laqueorum forcipumque breuem deſcriptionem* addit. Olim in more erat omnibus chirurgis, vt, ſi verſione partum finire non poterant, mox cranium perfodiendo, vncinosque demittendo, de matris vita ac ſanitate tantum cogitarent, et ne viuum quidem foetum ſaluare, integrumque educere ſolliciti eſſent. Hinc ille parturientium timor, quo ſuae proli timentes, putabant, medico obſtetricio accerſito nil amplius de vita foetus ſeruanda ſperari poſſe. Quantum igitur iis nunc debemus, qui ſummo ſtudio in id elaborarunt, vt inuenirent inſtrumentum quoddam, quo non ſolum matris ſed et foetus vitae conſuleretur? Et feliciſſimo cum ſucceſſu deſudarunt in tali machinamento effingendo, quod huic fini aptum artique quam maxime honorificum eſſe poteſt, ſi a gnaro ac perito apte ac appoſite adhibetur. Eſt tale inſtrumentorum genus iſta a CHAMBERLAIN inuenta, a CHAPMANNO primum deſcripta et poſtea a multis emendata atque correcta forceps, quam anglicanam dicere ſolent. Cum vero non ſolum Noſter, ſed alii quoque multi in huius forcipis ſtructura animaduerterent quaedam, quae genitalium dilacerationem vtplurimum eius applicationem inſequentem efficerent, multis modis eius fabricam immutarunt, et methodum eam applicandi vlterius perfecerunt. Nec vlli eorum, qui arti obſtetriciae faciundae ſeſe dicarunt, ignotum eſſe putamus, quantum laudis omnino meruerit Noſter in corrigenda et dimenſione et figura huius forcipis; quod vel ex eo apparere facile cuilibet exiſtimamus, quod noſtri aeui in arte hac exercenda princeps, LEVRETUM puta, has a Noſtro auctore factas correctiones retinuerit non ſolum, ſed ſummis quoque encomiis extulerit. Angulum nimirum forcipis inferiorem, quem ſupra iuncturam brachia formant ampliorem effecit ita, vt plus ſpatii intra

intra forcipis brachia habeat, caput comprimendum; ſimulque nouam iungendi brachia methodum inuenit, quae huc vsque conſuetas multum ſuperat, cum non ſolum facile ſibi inuicem iungi, ſed et ſatis apte firmari poſſint, licet non ad eandem altitudinem ſingulum brachium immitti queat. Eſt tamen adhuc recta haec *Smelliana* forceps, atque noua iſta, quam ingenioſiſſime addidit LEVRETUS curuatura, ad oſſis ſacri cauum accommodata, nondum perfectior reddita. Breuis quoque dici ſolet, ob brachiorum aeque ac manubriorum breuitatem, quam forſan iure meritoque optimo in quibusdam caſibus nimiam dixeris. Laqueos vario modo confectos multi adhibent, iisque caput, in anguſta via ſubſiſtens, ſoluere tentant. p. 253. Omnes tamen eo laborant vitio, vt non ſolummodo difficillime applicari, ſed et, quamuis accurate applicati fuerint, caput firmiter prehendere non poſſint, ſed vt plurimum ſub extractione labantur. Facilius quidem applicatur iſte a Noſtro inuentus, qui ſiſtit cavam quaſi ex corio factam vaginam, in cuius cauitate reconditur elaſticus ex balaena confectus ſtilus, cuius ope filum iſtud ſupra caput protrudi poteſt: nec tamen et hunc omnimodo ſcopo ſatisfacere ingenue fatetur; vſumque laqueorum admodum fallacem recte depraedicat. Tradit tunc varias in omni forcipis applicatione obſeruandas regulas, quae tertiam ſectionem huius capitis efficiunt; et tandem in quarta, quam in quinque articulos diſpeſcit, eas exponit leges, ad quas in omni caſu difficili forceps applicari debeat, quas tamen fuſius hic repetere nec lubet, nec ob limites, quibus arcemur, licet. Adeat ipſum Cl. Auctoris libellum, qui vti iis cupit, certiſſima ſpe fretus, fore, vt eas rite obſeruans, nec matri, nec foetui viuo iniuriam inferat. p. 261. Sexta ſectio tradit methodos varias, quibus veteres caput foetus ex vtero euellere conati p. 290.

fuerunt: in qua speculum vteri inepte satis a variis adhibitum esse monet; tunc forcipes, quarum mentionem ALBUCASIS fecit, et perforatoria recentiorum SIMPSONII, OULDII, BURTONIsque commemorat, tandemque in septima sectione veram vncinorum applicationem craniique perforationem fuse explicat. Iubet perfodi cranium forficis ope, cuius icon in tertio tomo addidit; vncos etiam ita correxit, vt columna vnci, quae recta antea fuit, nunc incuruata, in globosum caput firmius tutiusque iniici possit.

p.305. Capite IV eas partus species considerat, quae ipsi contra naturam fieri dicuntur, in quibus nimirum aliam quandam corporis partem, quam caput, in orificio vterino foetus offert. Tres harum classes constituit, quarum prima eos complectitur partus, in quibus pedes natesue primo loco prodeunt, capite ac reliquis partibus versus vteri fundum versis. Summa cura huius speciei phaenomena explicat, et quibusnam artificiis ea corrigenda sint, non solum diiudicat rite, sed aptas quoque encheireses indicat. Alteram contranaturalium partuum classem tertia sectio describit, quae tribus absoluitur casibus: vel enim, ruptae quamuis sint membranae, membrum tamen infantis praeuium, humerus sit aliudue, ita obturat os vteri internum, vt effluere liquor amnii, certe omnis, non possit, sed facilis inde versio foetus permittitur: vel ante membranarum disruptionem iam praesens obstetrix inique collocatum foetum exploratione cognoscit; vel tandem in vltimis grauiditatis mensibus haemorrhagia insignis grauidam corripit, quae ad membranas consilio disrumpendas partumque accelerandum obstetricem impellit: fieri in hoc vltimo casu potest, vt ruptis arte membranis aquisque effusis non solum ab vtero sese contrahente locus, vbi placenta soluta sanguinem fundit,

dit, comprimatur, ſed et ipſe vterus ad ſui contractionem atque foetus expulſionem ſtimuletur. Quod alii commendarunt, ad nimis arctum orificium vteri dilatandum, ſpeculum vteri, licet interdum vſum praeſtare poſſe haud neget, aſſerit tamen, ſe eo nunquam vſum fuiſſe, cum in omnibus, qui cum haemorrhagia fiunt, partubus ob vaſorum inanitionem orificium vterinum tantopere emollitum ſit, vt vix dilatationi reſiſtat. Ne vero ob nimis ſubitaneam vteri euacuationem eius inertia, ſipothymiae, conuulſiones, aliaque funeſta ſymptomata oriantur, ſumma cura opus eſt, efficere id, ut vterus ſenſim ſeſe contrahat, ad quod praeſtandum varias encheireſes commendat. Quarta ſectio tertiam claſſem par p. 334.
tuum contra naturam euenientium explicat: quae componitur ex iis, in quibus, effuſis aquis, inique poſitus foetus in pedes vertendus, iisque extrahendus eſt. Recenſet in ea omnia, quae in ſuſcipienda foetus verſione neceſſaria ſunt, parturientis ſitum, manus in vterum demiſſionem, aliasue ad foetum ſoluendum encheireſes. Deſcriptis his, paulo curatius omnes caſus adfert, qui verſionem iſtam foetus poſtulant, atque tam manuum, quam inſtrumentorum in his dictis caſibus applicationem ita explicat, vt commendata a variis auctoribus adminicula v. c. AMANDI reticulum, LEVRETI forcipem tribrachialem, MESNARDI vncos curuos, cet. diiudicet, eorumque vtilitatem demonſtret, vel minus aptam indolem declaret.

Caput V *de gemellorum partu* agit. Signa, p. 368.
quae plures foetus in vtero grauido praeſentes indicent, nulla aut certe maxime dubia eſſe affirmat, ſiue a nimia abdominis expanſione, ſiue a percepto motu foetus ea deſumere velis. In ipſo demum partu, vnus ſi iam excluſus eſt, alterius praeſentia cognoſcitur. Maximopere attendendum eſſe operatori mo-

net, ne, si prior foetus male collocatus versione extrahendus sit, membra alterius prehendat simul atque educat, neque placentam soluat, antequam vterque protractus sit. Asserit, quod tamen rarissime euenire solet, se vidisse gemellorum placentas tam arcte sibi agglutinatas, vt vere coalitae vna alterius
p. 372. vasa in se susciperet. *Monstrorum considerationem* instituit Noster in altera sectione. De quorum extractione cum vix regulae quaedam constitui possint, vniuscuiusque arbitrio relinquit, quid in hisce casibus pro anatomica partium structura agere ac moliri velit: et nisi alio modo vel bicorporeum, vel aliud monstrum ex vtero protrahi queat, discindere illud in particulas ope vncini curui acuti, vel, quod omnino tutius existimat, forficis cuiusdam suadet. Finem tertii huius libri facit capitis quinti tertia sectio, quae *operationem caesaream* considerat. Omnino eam instituendam esse concedit, si nulla alia ratione foetus a matre solui queat: tradit hinc omnia, quae et in suscipienda, et in efficienda hac operatione obstetricius medicus obseruare ac attendere debeat, eosque, qui plenarie absolutam huius argumenti explicationem legere cupiunt, ad ROUSSETUM, HEISTERUM cet. relegat. Vltimus tandem prioris huius Voluminis liber in primo capite tradit ea, quae circa
380. puerperas eorumque morbos, diaetam rel. monenda esse ac obseruanda putat. Prior sectio enarrat remedia externa, partium contusioni inflammationiue opponenda, vel doloribus dilacerationibusque curandis apta: altera, quo modo rebus non naturalibus vti puerpera debeat, exponit; tertia puerperarum haemorrhagias considerat; quarta dolores post partum; quinta lochiorum fluxum; sexta febrem lacteam; septima vaginae vteri et intestini recti prolapsum; octaua euacuationes, post puerperium finip. 421. tum necessarias, describit. Alterum caput infantum recen-

recenter natorum curam eorumque morbos recenſet. Prima ſectio continet methodum lauandi faſciisque apte inuoluendi infantem: ſecunda indicat, quid agendum ſit, ſi infantis vel anus, vel vagina praecluſa ſit, vel lingua frenulo firmetur: tertia capitis malae conformationi, contuſionibus et eroſionibus mederi docet; quarta aphtarum; quinta dentitionis ſymptomata enumerat. Tertium tandem caput eas qualitates conſiderat, quibus inſtructos eſſe eos oportet, qui vel medici obſtetricantes, vel mulierculae obſtetrices artem facere, vel nutricis officium ſuſcipere, vel puerperae durante puerperio auxiliatrices manus porrigere volunt.

Ad alterum accedimus Tomum, qui multas obſeruationes continet, quas vel in exercenda arte ipſe collegit Cl. Auctor, vel quae ab aliis artis peritis cum ipſo communicatae fuerunt, quasque putauit apprime vtiles ad ea illuſtranda, quae in priori tomo propoſuit. Infitias quidem ire non poſſumus, hanc obſeruationum collectionem in aptum ordinem vix eſſe diſpoſitam, multasque hinc inde eſſe inſperſas, quae dudum iam a MAURISAEO aliisque traditae fuere: neque tamen inde reprehendendum eſſe cenſemus Noſtrum, cum multum omnino vtilitatis ex iis probe penſitatis quilibet poſſit percipere. Triginta effecit ſectiones, quarum prima tres caſus adfert, quibus oſtendere annititur, fieri omnino in difficili partu poſſe, vt ſemoueantur ea, quae peluim componunt, oſſa; quippe cum viderit foeminam, cuius os ſacrum in ſiniſtro latere ab oſſe ileum ſub partus doloribus fuit ita diductum, vt per menſem fere nec ambulare, nec pedibus inniti potuerit: et in altera, quam ipſi transmiſit Cl. SMOLLET, obſeruatione mentio iniicitur foeminae, cui cum ſtrepitu pubis oſſa receſſerint in partu: ſic quoque D. LAURENCE vidit foeminam,

cuius ossium peluis quaeuis connexiones ad vnius digiti spatium a se inuicem hiabant. Coccygis veram anchylosin nimiamque intorsionem alia obseruatio describit, atque vltima huius sectionis obseruatio inter alia peluim adeo compressam commemorat, vt pubis ossa ab osse sacro duos tantum, et quod exp. 10. rurrit, pollices distarint. Sectio secunda sex casus continet, qui varios externarum partium genitalium morbos eorumque incommoda demonstrant: inter quos primus et secundus nympharum insignem magnitudinem, reliqui hymenem imperforatum, sub catameniorum instante fluxu interdum partum mentientem, describunt. Tertia sectio vteri grauidi variam crassitiem considerat. In variis grauidis demortuis vel et foeminis, statim post partum defunctis, substantiam vteri quartam tantum pollicis partem exaequare vidit; aliquot autem post partum diebus elapsis, eam inuenit vnum vel duos pollices crassam. Quarta sectio de menstruis suppressis, vel et nimis fluentibus, atque fluore albo obseruationes quasdam adfert, addita hisce morborum generibus medendi apta methodo. Quinta sectio eos partus recenset, in quibns per totam grauiditatem motum infantis grauida non percepit; iungitque foetuum extra vterum haerentium, vel in tubis, vel in ouariis incluſorum p. 81. exempla, ex aliis scriptoribus collecta. Sexta sectio tres continet, quae superfoetationis certitudinem videntur comprobare, obseruationes. Ipse enim vidit foeminam, quae sub quarto mense abortum perpessa, nono tandem mense maturum foetum excluſit; aliamque, quae sub sexto mense abortiens, octauo mense perfectum foetum edidit. Septima sectio habet duos casus partuum nimis serotinorum, in quorum primo per decem, in altero per vndecim menses foetus in vtero restitit. Octaua sectio molarum, conceptuumque spuriorum, et hydatidum hiſto-

hiſtorias quasdam enarrat. Nona agit de polypo, ſcirrho, carcinomate vteri aut vaginae. Decima p.103. de morbis, quibus grauidae ob vteri expanſionem obnoxiae eſſe ſolent, exponit, v. c. de incontinentia aut ſuppreſſione vrinae; de haemorrhoidibus; pedum aliarumque partium oedemate; doloribus rheumaticis colicisue; vomitu frequentiori; ſpirandique difficultate. Vndecima morbos foeminarum grauidarum accidentales, ab ipſa grauiditate non excitatos, explicat, exemplisque illuſtrat variis de hernioſis, calculoſis, aſcite lueue venerea laborantibus grauidis. Saliuationem in grauidis excitare periculoſum putat Cl. Auctor, cum experientia eum docuerit, eas vtplurimum in ſummo ſaliuationis ſtadio abortiri, quod eo certius fieri affirmat, ſi in primis grauiditatis menſibus ſaliuae fluxus cieatur. Duodecima ſectio partum, ante verum terminum euenientem, deſcribit, atque ſimul naeuorum maternorum hiſtoriolas quasdam addit; nec tamen ex his concludi poſſe affirmat, eſſe aliquam vim in mutando foetus corpuſculo imaginationi maternae tribuendam. Decima tertia ſectione foetus ſitum in vtero rite determinare allaborat. Caput infantis ver- p.213. ſus orificium vteri eſſe poſitum, non ſolum abortiui foetus, ſed et Cl. HUNTERI, CAMPERI, MONROI in demortuis grauidis inſtitutae diſſectiones comprobant, ſimulque OULDII ſententiam confirmant, qui caput ita in inferiori vteri ſegmento collocatum putat, vt auris vna ſurſum ad oſſa pubis, altera ad os ſacrum reſpiciat. In decima quarta ſectione phaenomena, quae in partu naturali euenire ſolent enumerat. Apte omnino agit illa obſtetrix, quae patienter naturae molimina in naturali partu expectans, nihil molitur, quo parturientem iuuare tentet. Sub ipſa membranarum diſruptione, indeque facta aquarum effuſione, remittere paululum dicit dolores, qui ta-

men mox denuo renouati nunc fortiores redeunt. Quinta sectio eorum partuum habet historias, qui variis de causis nimis longe durant, et vel ob membranarum nimiam densitatem, vel ob earum praematuram dilacerationem retardantur. Ea vero partus impedimenta, quae a capite infantis inique posito, vel ab humeris thoraceque praeuiis efficiuntur, in deci-
p. 287. ma sexta sectione considerat. Decima septima sectio enarrat partuum difficilium exempla, in quibus vel nimia vaginae orificiique rigiditas, vel peruerse ac oblique positus vterus causa difficultatis fuere. Facillime, nisi summa cura adhibeatur, in eiusmodi casibus perinaeum dilaceratur, id quod sua culpa aliquando foeminae cuidam contigisse, ingenue fatetur. Sectio decima octaua continet partus, qui a morbis variis internis v. c. febribus, conuulsionibus, haemorrhagiis, debilitate difficiles redditi fuerunt. In haemorrhagiis, dilatato satis orificio, membranas lacerari, atque ideo aquarum effluxum effici iubet, vt vterus sese contrahens sanguinis apertos riuulos claudat. Vidit ob placentae praeuiae dilacerationem tantam exortam haemorrhagiam, vt foetus inde mortuus fuerit. Cum conuulsiones eadem ratione in vterum agant, ac veri dolores, foetumque haud raro excludant; dilucide apparere putat, nunquam a parturientis arbitrio veros dolores pendere. Vtplurimum eam, quae in febris continuae statu fit, foetus exclusionem lethalem esse asserit; si vero sub decremento morbi eueniat, foetum quidem perire, matrem saepissime eluctari vidit. A foemina, quam in quinto mense grauiditatis correperant variolae, foetum nulla variolarum nota conspurcatum prodiisse, narrat.
p. 330. Decima nona sectio illustrat exemplis ea, quae de funiculi vmbilicalis circa membra varia circumuolutione, aut de vteri circa collum foetus contractione notari merentur. Laudat encheiresin ab OULDIO tradi-

traditam, qua duobus digitis in inteſtinum rectum immiſſis, et in dolorum interuallo ad inferiorem frontis partem appoſitis, caput, a nimis breui funiculo rurſus adſcendens, deprimitur; nec tamen eam, ante quam ſatis deſcenderit caput, applicare ſuadet. Funiculum ob nimiam ſuam longitudinem ita contortum ſaepe vidit, vt veros nodos plus minusue laxos formauerit. Orificii vterini circa collum contractionem, licet fieri eam poſſe haud neget, tanti tamen eſſe momenti vix putat, vt medici obſtetricantis auxilium poſtulet, niſi dolorum efficacia prorſus ceſſauerit. Vigeſima ſectio ſiſtit foetuum, ob nimiam corpuſculi magnitudinem, aut hydrocephalum, partu difficili excluſorum exempla. Recenſet in ſeptima huius ſectionis obſeruatione auxiliorum, quae ſub praxis ſuae initio adhibuerit, catalogum, quae tamen cum minus ſuffecerint, ad forcipis ſuae correctionem tandem cõmotus fuit, quam primo quidem ex ligno, tum vero ex chalybe conficiendam ſibi curauit. Vigeſima prima ſectio ea conſiderat p. 358.
partus impedimenta, quae a diſtorta ac male conformata pelui naſcuntur. Commemorat Cl. Auctor infantem magnae molis per peluim adeo anguſtam, vt eius amplitudo vix pollices tres exaequaret, ſanum, quamuis lentiſſimo partu, fuiſſe excluſum. Cataplaſmata, fomentationes, tumidarumque partium ſcarifationes in eiusmodi caſibus interdum inſignem vſum praeſtare perhibet. Vigeſima ſecunda ſectio varia exponit; de infantibus mortuis viſis, poſtquam ex vtero egreſſi fuerant; de capite infantis vario modo compreſſo; de funiculo aut male deligato, aut nimis breui, aut in iniquo loco diſciſſo. Vigeſima tertia enarrat caſus, in quibus difficile fuit placentam ſoluere: ſcirrhoſas placentae particulas, ſub eius ſolutione in vtero relictas, a natura absque vllo ſubſequente diſcrimine ſanitatis expulſas, ſaepe vidit. Noſter,

ſter. Placentae quoque, ab vtero ſe contrahente in ſaccum quaſi reconditae, caſum commemorat. Vi-
p. 404. geſima quarta omnesque, quae eam ſequuntur, ſectiones eos partus recenſent, in quibus forcipis applicatione opus fuit, quos cum fuſe hic repetere, nec loci, nec temporis ratio permittat, eas tantum adferamus encheireſes, quibus forcipes applicari, applicatas extrahi iubet. Immittit dextrae manus digitos inter os ſacrum et iſchium ſiniſtrum eo vsque, vt in ipſum orificium internum vteri penetrent: tunc altera manu vnum forcipis brachium, quod prior manus dirigit, ad auriculam infantis vsque protrudit: tunc dextram rurſus e vagina extrahit, et demiſſam hac dicta ratione forcipis partem circa caput in oppoſitum latus ducit, aut, ſi ob nimiam peluis anguſtiam huic encheireſi locus non conceditur, alterum brachium forcipis eodem modo applicat. Iungit tunc brachia inuicem, et hac ratione caput firmiter comprehenſum comprimit ſenſim, et ſub ipſa vteri contractione moderate trahit. Si caput hoc artificio eo protractum fuerit, vt dilatari incipiat externus ſinus, tunc forcipis manubria altius paulo tolli et ſurſum verſus pubis oſſa eleuari iubet, ſiniſtraque manu perinaeo proſpici: qua quidem forcipis, ſub ipſa tractione, eleuatione caput in ea directione trahitur, quae oſſis ſacri curuaturae accommodata, ideoque partui perficiendo apta eſſe videtur.

Promiſerat quidem hanc collectionem obſeruationum vlterius continuare b. SMELLIE, neſcimus vero quid ſit, quod eum impediuerit, quo minus huic, in praefamine ſecundi voluminis praeſtito, promiſſo ſatisfaciat. Cum autem e re eſſe intellexerit, iconibus illuſtrare varia momenta, in arte obſtetricia ſumme neceſſaria, quae caſuum enarrationes, quamvis bene elaboratas, legendo vix quiuis percipere poteſt;

poteſt; pretioſum illud opus, quod ſupra tertio loco nominauimus, conficere conſtituit. Triginta nouem tabulis magna cura vel a RYMSDYCKIO, vel a cel. CAMPERO, ſcientiae anatomicae gnariſſimo delineatis, et a CRIGNIONO, celebri ſatis artifici, aeri inciſis, iuſtam partium, quae ipſis a natura eſt, et magnitudinem et ſitum declarantibus, vniuerſa artis principia tradere allaborauit. Cum vero et ſuſpicaretur, fore, vt forſan haud pauci ſibi compararent hunc ſui operis tomum, qui priora volumina non poſſideant, in ipſa tabularum explicatione multas adſperſit notulas, quae artis obſtetriciae fundamenta ſummatim, vt aiunt, ſeu in compendio continent, partuum difficilium et cauſas, et eos perficiendi artificia explicantes.

Tab. I ſiſtit bene conformatam peluim, a parte anteriore conſpiciendam.

Tab. II monſtrat peluim oſſeam, ad axis directionem ita diſſectam, vt interna eius conformatio a latere compareat.

Tab. III male conformatae peluis eam ſpeciem exhibet, quae compreſſa dicitur.

Tab. IV externas delineat foeminae pudendas partes, diuaricatis femoribus conſpicuas.

Tab. V tres figuras offert: quarum prima monſtrat vterum, in ſitu naturali extra grauiditatem in vagina ſuſpenſum. Vt vero aptius diſtingui interiores partes poſſint, ablata ſunt pars anterior oſſium ilchium; pubes; perinaeum atque anus. In hac tamen figura vteri ceruix et nimis tenuis, et nimis longus nobis videtur. Altera figura apta ſatis diſſectione pars lateralis dextra peluis remota eſt, vt internae partes quaeuis in vero ſitu compareant. Tertia figura depingit vterum in primo grauiditatis menſe conſtitutum, cuius paries anterior ablatus eſt, vt per membranas embryonis rudimenta conſpiciantur.

Tab.

Tab VI. vterum in ſecundo tertioue grauiditatis menſe ſiſtit, vt appareat, ſub hoc tempore vix quandam eſſe nec in vagina, nec ſupra pubis oſſibus vteri mutationem percipiendam; ſub quarto quintoue autem menſe ob maiorem nunc incipiendam vteri extenſionem, vt in huius tabulae ſecunda figura depingitur, tam ceruix magis in vaginam deſcendit, quam corpus cum fundo abdominis infimam partem eleuat.

Tab. VII monſtrat abdomen foeminae ſexto ſeptimoue menſe grauiditatis apertum, in quo inteſtinorum, ab aſcendente vtero verſus diaphragmatis fornicem propulſorum, ſitus exhibetur.

Tab. VIII ſiſtit vterum grauidum in ſexto ſeptimoue grauiditatis menſe apertum, vt et contenta in eo conſpici, et ceruicis nunc incipiens dilatatio rite animaduerti queat.

Tab. IX oſtendit vterum octauo nonoue menſe grauidum, eadem ratione ac in praecedentibus tabulis diſſectum, vt et ſegmenti inferioris, et ipſius orificii vterini circa vltimam grauiditatis periodum habitus in conſpectum prodeat.

Tab. X monſtrat vterum gemellis repletum, ſub partus iamiam inſtantis periodo, vbi ſimul orificii vterini iam incipiens deterſio conſpicitur.

Tab. XI Ouum integrum, vterum ſub dolorum initio replens, depingit; cernitur ſimul vteri craſſities, placentae pars conuexa vtero contigua; foetus caput per pellucidam amnii membranam transparens, et, quod maximi momenti eſt, iſte orificii ad dimidium fere iam diducti habitus, qui certiſſimum ſignum vere nunc futuri partus ſiſtit.

Tab. XII monſtrat vterum grauidum, ſub ipſis ad partum doloribus ſeſe contrahentem.

Tab. XIII delineat naturalem capitis foetus ſitum, poſtquam illud, ore interno prorſus deterſo, in mediam peluim deſcendit: ruptas quidem iam-

iam

iam esse membranas in hac figura praesumit, quamquam ita caput vaginae impactum sit, vt, certe omnis, liquor amnii effluere nequeat.

Tab. XIV ostendit foetum, capite suo in peluis cauitatem nunc penitus protrusum; vterum, ob aquarum plenarium effluxum, foetus corpusculo exacte appressum; situm capitis eum, quem assumere sibi persuadet Auctor, cum per oram peluis superiorem transgressum est.

Tab. XV eam partus naturalis periodum depingit, in qua perinaeum, omnesque partes externae, a capite mox prodituro, in primiparis praesertim, mirum quantum et expanduntur, et in magnum tumorem eleuantur, quam periodum in vernacula nostra *das Einschneiden* appellare solent.

Tab. XVI, XVII, XVIII inclauati per paragomphosin capitis sub varia periodo ideam suppeditant, simulque forcipis rectae vsum in his casibus demonstrant ita, vt quomodo caput non solum per aperturam superiorem peluis in eius cauitatem, sed et ex hac tandem per sinum externum trahi debeat, probe inde intelligi possit.

Tab. XIX idem fere in adumbratione tantum sistit, monstratque illam encheiresin, qua caput forcipe prehensum ita duci debet, vt circulum fere dimidium, circa axin quasi ab ossium pubis synchondrosi effictam, describat, et ad curuam ossis sacri directionem protrahatur.

Tab. XX eum depingit situm foetus, in quo vertex curuaturam ossis sacri replet, sinciput vero cum facie ossa pubis spectat: in quo quidem casu, si modo rite conformata satisque ampla fuerit peluis, vix, nisi nimia forsan perinaei expansio aut disruptio, periculi quid metuendum erit. Si vero compressa sit peluis, forcipis vel breuioris rectae, vel et curuae applicatio requiritur, quam in subsequente Tab. XXI. deli-

delineat, quae ſimul veſicae vrinariae, ab vrinae ſuppreſſione, quam caput foetus, comprimendo vrethram, efficit, enatam nimiam repletionem ſiſtit.

Tab. XXII foetus caput ita collocatum oſtendit, vt corpuſculum in latus procumbat, atque, niſi in pedes verti queat iisque extrahi, forcipe opus ſit.

Tab. XXIII lateralem ſiſtit foetus facie prodeuntis imaginem; ita vero cauitatem peluis ingreſſus ille eſt, vt ipſius mentum ſub oſſibus pubis, vertex in cauo oſſis ſacri ponatur; quia vero aquae iam effluxerunt, vterus contractus ipſum foetum arctiſſime ambit. Dubitamus in hoc caſu verſionem foetus, quam Cl. Auctor commendat, vnquam inſtitui poſſe.

Tab. XXIV exhibet eundem ſitum foetus, oſtenditque ſimul forcipis in hoc caſu applicationem, tunc demum a Noſtro commendatam, cum caput ſurſum propelli, atque ideo verſio foetus fieri nullo modo poſſit.

Tab. XXV et XXVI iterum facie prodeuntem foetum delineant, ita tamen directum, vt vertex oſſibus pubis, mentum cum collo oſſi ſacro obuertatur: ſimul vtriusque forcipis applicationem illuſtrans.

Tab. XXVII habet peluim difformem, ſ. compreſſam, ad longitudinem diſſectam, in cuius ſuperiorem aperturam caput foetus, ſeptimeſtris tantum, inpactum haeret.

Tab. XXVIII eandem difficultatis ſpeciem oſtendit, ea tantum differentia, vt maturi foetus caput ita ſit incuneatum, vt bregmatis oſſa ſe inuicem lato margine tegant: quo quidem in caſu, cum vlterius comprimi cranium nequeat, nullam vtilitatem forceps praeſtabit, ſed vel caeſareus partus, vel cranii euacuatio ſuſcipienda erit.

Tab.

Tab. XXIX exhibet foetum natibus praeuiis emerſurum. Vmbilicalis funiculi nodos atque circa varia membra conuolutiones, quas interdum fieri affirmat, haec figura ſimul depingit.

Tab. XXX eundem ſitum delineat, ita tamen, vt foetus anterior ſuperficies ſurſum verſus matris abdomen directa ſit.

Tabb. XXXI, XXXII, XXXIII, XXXIV quatuor ſiſtunt ſpecies infantis inique poſiti, in quibus omnibus verſio foetus inſtitui, atque pedibus foetus educi debet; 1) habet foetum, manu vna pedeque vno ſimul prodeuntem; 2) foetum, prolapſo brachio os vteri obturantem; 3) foetum abdomine ſuo pone orificium ita collocatum, vt funiculus in vaginam prociderit; 4) caſum, ex iis, qui contra naturam fiunt, difficillimum oſtendit; vbi infans ſiniſtro humero, thorace atque collo prodit, caput vero, ad pubis oſſa haerens, reflexum dextro humero apprimitur.

Tabb. XXXV et XXXVI caput foetus in vtero relictum depingunt, ita, vt prior earum eum caſum ſiſtat, vbi poſt corporis extractionem caput in ſuperiori apertura ſubſiſtit, atque forcipe ſoluendum eſt: altera vero, vbi corpus infantis abruptum et caput in vtero relictum eſt; in quo caſu vncini ſui acuti incurui applicationem docet.

Vltimae tres tabulae XXXVII, XXXVIII, XXXIX variorum inſtrumentorum a Cl. Auctore vel inuentorum, vel correctorum, vel et tantum in vſu adhiberi ſolitorum, figuras tradunt. Habet earum prima forcipis breuioris rectae vna cum vncini obtuſi delineationes, ac iuſtam horum machinamentorum dimenſionem: altera exhibet laqueum cauum, balaenaria virga firmatum; peſſi vterini nouas formas; catheteres in foeminarum vrethram immittendos; quos tamen a conſuetis vix differre videmus:

demus: tertia tandem sistit vncos binos acutos incuruatos, eorumque vsum explicat, et simul forficem, qua vti solebat b. Auctor ad perfodiendum cranium, depingit.

IV.

10. ALBERTI EULERI Disquisitio de causa physica electricitatis, ab Academia Scientiarum Imperiali Petropolitana praemio coronata in publico Academiae conuentu, die VI Septembr. CIↃIↃCCLV. Vna cum aliis duabus Dissertationibus de eodem argumento. Petropoli, sumtibus Academiae Scientiarum. 4. pl. 18. tab. aen. 1.

Phaenomena electrica proficisci ab aliqua materia subtili, non est dubium. Eam vero aetherem esse, fluidum illud, cuius saltem nomen omnibus hodie philosophis notum est, quodque summa raritate ac paene incredibili elasticitate praeditum habetur, Cl. EULERUS contendit. Ex elastica vi aetheris sequitur, illum in loca quaeuis, ex quibus vtcunque vel prorsus, vel magna ex parte expulsus est, e vicinia irruere, donec aequilibrium restituatur. Posse autem aequilibrium inter aliquam partem aetheris et reliquam huius fluidi, per vniuersum mundum extensi, copiam tolli, propterea statuit, quia persuasus est, esse in omnibus corporibus quosdam poros tam exiguos, vt aetheri per eos transitus vel plane non, vel difficulter concedatur. Hanc sententiam ipsi persuaserunt phaenomena barometrorum lucentium, et hydrargyri in laguncula vitrea aeris vacua lucem spargentis, cum concutitur. Lumen enim esse statuit motum vibratorium aetheris, eumque

eumque motum in his phaenomenis non alia ratione effici poſſe, niſi quatenus, aethere per agitationem hydrargyri expulſo, non ſtatim per poros vitri aut ex illis, alius intrare, ad aequilibrium reſtituendum, queat, et propterea aether ex hydrargyro, velociſſimo quidem, attamen aliquatenus impedito motu, erumpat. Iam praeſtructo hoc theoriae ſuae fundamento, eam ſic proponit, vt dicat generatim, electricum reddi corpus, cum aether, quo pori corporis in ſtatu naturali repleti eſſe ſoleant, ex iis expellatur, vel in iis diminuatur; et, iactura illa per aetherem, e vicinis corporibus ſeſe expedientem, compenſata, ſeu aequilibrio in aetheris vi elaſtica ſic reſtituto, ceſſare electricitatem illius corporis. Deinde, ad particularia progreſſus, electricitatem primitiuam eis corporibus tribuit, quae aetherem, poris ſuis incluſum, difficulter dimittunt, vt vitrum, aer ſiccus, deriuatiuam autem his, quae poros patulos habent, in quibus aether continetur, veluti metalla, aqua, et corpora animantium; et quomodo hanc ob indolem illa frictu poſſint electrica reddi, haec autem minus, veriſimiliter explicat. Ex eadem pororum diuerſitate, et preſſione aeris, rationem reddere annititur, cur bracteolae ad tubum frictum vitreum accedant, et ab eo recedant per vices. Porro quod virga ferrea, tubo illi vel ſphaerae frictae vicina, valde electrica redditur, id fieri ait ob poros ferri, aetheris ſui maxima parte priuatos per vitrum. Et vt intelligatur, cur talis virga vtcunque longa in vtroque extremo ſimul electrica fiat, poros aetheri patentes per totum virgae corpus inter ſe communicare ſumit. Si corpus, poris patulis praeditum, et aethere plenum, ad corpus ſatis electricum admoueatur, etiam patentibus poris inſtructum, neceſſe eſſe cenſet, vt aether ex illo corpore maxima vi in hoc tranſeat, et, dum per aerem tanta

rapiditate ruit, particulae aereae concutiantur, ac propterea ſonum ſeu fragorem edunt; ac fieri poſſe, credit, vt vehementior aetheris eruptio cum lucem, tum adeo flammam, ſi materia combuſtibilis adſit, excitet; immo vt corpus animale hac ſubitanea aetheris eruptione totam ſuccuſſionem ſentiat, atque adeo eius motus vitales perturbentur, tenuioribus vaſis ob ingentem tremorem diſruptis. Tandem ad ortum fulminum ac tonitruum explicandum ſumit, in nubibus fulgure foetis aetherem ineſſe admodum rarefactum; id quod facile concedi poſſe cenſet, cum nihil aliud ad id requiratur, niſi vt aer, in nubibus contentus, repente vehementer dilatetur calore. Haec theoria ſimplicitate quadam placet, et per eam quoque iudicibus ſeſe commendauiſſe videtur, etſi omnibus numeris abſoluta dici nequeat, quod et ipſe doctiſſimus Auctor poſtea intellexit, quippe qui eam quibusdam in partibus emendare in Commentariis Academiae Sc. Berolinenſis allaborauit.

Cl. EULERI diſſertationi ill. Academia Sc. Petropolitana adiunxit duas alias, eodem de argumento ipſi oblatas, quarum prior eſt Cl. PAULLI FRISII, in Piſana vniuerſitate Ethicae et Methaphyſicae Profeſſoris. Is etiam in aethere phaenomenorum electricorum cauſas quaerit. Hunc autem animo concipit tanquam fluidum ſubtiliſſimum, in ſuis partibus agitatiſſimum, et vndequaque extenſum, vt ſuperiores eius partes cum inferioribus aequilibrium ſeruare poſſint. Ex hac aetheris notione phaenomena ignis ac lucis ſubtiliter explicat. Electricitatis autem phaenomena deducere conatur ex peculiari motu aetheris, quem translatitium vocat, et qui in aethere id eſt, quod in aere ventum dicimus. Electrica corpora, ex ipſius ſententia, non fiunt, niſi cum ex tremulo et vibratorio motu in eorum mini-

minimis partibus translatitius ille motus aetheris oritur, et aether ex illis erumpit iuxta lineas ad superficiem vibrantem perpendiculares. Aether ab eiusmodi corpore profectus si transeat in corpora, e quibus facile emergat, et effundatur libere (qualia sunt ligna non viridia, lateres, terra): vix sensibiles erunt electricitatis vires. Sin corpora subeat, in quorum intimis accumuletur, et quibus minori in copia disperdatur (qualia sunt metalla et semimetalla, animantia, vegetabilia, et liquores non pingues): collectione fit admodum fortis electricitas, nisi corporum primi generis vicinia obstet. Sin autem aether expulsus perueniat ad corpora primitus electrica, inter quae etiam est aer siccus, et quae aut nullo modo, aut minima tantum in copia penetrare potest: electricitatis progressus impeditur. Quae primitus electrica sunt, maiorem aetheris copiam in poris suis continent, eamque velut inclusam, quam alia, quae per communicationem electrica redduntur, et istorum pori minus communicantes inter se sunt, quam horum. Hinc haecce corpora a fluido electrico, seu aethere aliunde expulso, intime penetrantur, non per externam tantum superficiem ab eo afficiuntur; vitrum autem, vt FRANCLINI et BECCARIAE experimenta ostenderunt, illi impermeabile est; neque etiam ratio vlla suadet, vt vitri substantia in experimento MUSSCHENBROEKII ab aethere, qui e machina electrica aduenit, penetrari credatur, cum ille duntaxat in deficientis seu expulsi locum succedere debeat, nullus autem expellatur, nisi qui vibranti superficiei proximus est. NOLLETI ac WATSONI simultaneum effluxum et adfluxum fluidi electrici Auctor reiicit. Lucem electricam sic explicat: aether, electrificatum corpus permeans, minores eius et ad accensionem dispositas particulas soluit et secum fert, id quod ex odore electrico con-

iicitur; ſolutarum huiusmodi partium numerus maior eſſe debet, vbi affluxus aetheris eſt maior, nempe circa anguloſas et acutas corporis partes; vnde fit, vt iſtae iis in locis maiori copia collectae particulae, et motum aetheris perturbatiſſimum ſequentes, in aetherem ambientem ibi agant, et vibrationes illas tremulas et conciſas in gyrum excitent, ex quibus lucis ſenſus habetur; et quoniam eaedem particulae etiam de translatitio aetheris motu participant, quo is a globo ad acutas virgae vel catenae ferreae partes propellitur, ex his erumpentes conum lucidum exhibere debent; cuius radii inflectantur neceſſe eſt, vbi ipſis obiicitur corpus acutum, vel conuexae ſuperficiei, per communicationem electrificabile, quippe per quod aether liberius, quam per aerem, mouetur. Eadem fere ratione explicat *ſtellulas* electricas, quae oriuntur, ſi planae parti virgae ferreae, poſitiue electrificatae, corpus nondum electricum acutum, aut parti acutae, machinae, negatiue electricae, planum admouetur. Scintillam excitari cenſet, dum inter minimas ſolutas corporis electrificati particulas quaedam inflammabiles ſubito incendantur, et ſonum ſeu crepitum ſimul audiri, cum motum ſuum vibratorium aeri communicent; diuerſos autem talium ſcintillarum colores deberi diuerſae aeris conſtitutioni, per quam vnius alteriusue generis vibrationes heterochronae, quae in particulis aeris heterogeneis excitentur, magis aut minus impediantur. Porro attractionis electricae cauſam in ſola inaequali preſſione aetheris, ex corpore electrico expulſi, et corpuſculum attractum circumdantis, quaerit; nempe a parte antica hunc aetherem minus premere autumat, quam a poſtica, quoniam ibi rarefiat, ob aliquam eius copiam, inter poros corpuſculi receptam, hic autem, ſeu a parte poſtica condenſetur, cum non poſſit ab hac

parte

parte tam celeriter penetrare ad medium vsque corpuſculi, et idcirco refluat, et aduenientem ſucceſſiue alium aetherem retardet. Deinceps autem, inquit Auctor, ſi corpuſculum attractum cum alio, per communicationem electrificabili, non communicet, repletum aethere nullum amplius admittet, hinc de nouo ſemper accedentis, et inter corpuſculum ac corpus electricum accumulati aetheris vi ſuperabitur reactio eius, qui a parte poſtica corpuſculi refluit et recurrit; ſic habebitur repulſus. Percenſuimus praecipua electricitatis phaenomena, et quomodo ea a Cl. FRISIO explicentur, diximus. Omittimus autem alia haud pauca (veluti concuſſionem electricam, fulgura, aurores boreales, cet.), ad quae Auctor theoriam ſuam applicauit, tum breuitatis ſtudio, tum, quia ſatis multa attuliſſe nobis videmur, ad lectorem harum rerum ſtudioſum commonendum, vt hanc commentationem perlegat; id quod non ſine voluptate factum iri exiſtimamus, etiam ab his, qui ſubtilitatibus mathematicis, quas Auctor operi ſuo intexuit, intelligendis impares fuerint. Nam eae fere omnes ſine metu obſcuritatis praeteriri poſſunt. Ceterum perſuaſi ſumus, ſi ipſi Auctori, ingenio et doctrina praeſtanti, luberet, hanc theoriam ſuam in quibusdam capitibus, praeſertim iis, quae attractionem et repulſum electricum, lucemque attinent, limare, vlteriusque elaborare, rem eum facturum eſſe, in phyſicae incrementum ceſſuram.

Reſtat, vt de poſtrema commentatione, cuius Auctor eſt LAURENT. BERAUD, ex S. I. Lugduni in Gallia mathematum Profeſſor, ad lectores noſtros referamus. Aetherem pariter agnoſcit cauſam electricitatis: ſed eum mente concipit diuiſum in vertices tenuiſſimos et numero paene infinitos, quo-

rum partes minutiſſimae et duriſſimae ſint, atque ingenti vi centrifuga praeditae. Diſcrimen inter corpora per ſe electrica, et cetera, etiam ponit in minori anguſtia pororum, addit autem, illorum poros materiam aetheris continere puram, homogeneam, et ad motum diſtentionis paratiſſimam, horum vero mixtam cum aliis fluidis minus ſubtilibus, per quae verticuli aetherei impediantur, et ad motum expanſionis ſegniores reddantur; et illorum partes tenuiſſimas atque inſenſiles rigidiores, flexiliores, ad motum vibrationis promtiores eſſe, quam horum. Elaſticitatem enim, quae corpus quoddam electricitati aptum reddit, diſtinguit ab ea, qua ſonorum fit, eo, quod ſonus motu tremulo partium ſenſilium corporis, electricitas autem viuidis ac promtis vibrationibus inſenſilium particularum naſcatur, quae frictione excitentur, et calore, ſed ſicco, adiuuentur. In electricitate deriuata ſeu communicata agere ſtatuit materiam aetheream, miſtam particulis ſalinis ac ſulphureis, quas ab intimis corporis particulis abraſerit. Corpora per ſe electrica omnia poſſe etiam electricitatem deriuatiuam recipere, eo vsque vt attractionem ac repulſum exerceant, et vitrum fluido electrico permeabile eſſe affirmat. Corpus electrificatum atmoſphaera electrica cingi credit, cuius ortum ſic explicat, vt dicat, dum verticulorum ſeries, quaſi radii diuergentes foras emiſſi, fortiter repellant aetherem ambientem, hunc compreſſum, adiuuante tota aetheris exterioris maſſa, quae aequilibrium affectet, tandem reagere, et verticulos vibratos, ſuaque diſtentione debilitatos, verſus corpus relicere, et ſic continuatis effluuiis ac repulſibus aetheris ex corpore emiſſi, circa illud exaeſtuare materiam aetheream pulſam et repulſam, ſeu effluentem et affluentem; ex quo motu reciproco omnia phaenomena electrica naſci contendit, cum Cl NOLLETO fere

fere ſentiens. Quod bracteolam a tubo vitreo fricto repulſam attrahat reſina vel ſulphur, inde eſſe ait, quoniam effluuia electrica ex ſulphure minori cum impetu prodeant, quam e vitro. Cur ampulla vitrea aquae ſemiplena, ſemel electrificata, diu maneat electrica, licet imponatur corpori non electrico, neque vitrum fluido electrico imperuium ſit, rationem putat eſſe hanc, quod aetherei verticuli in tranſitu per metallum et aquam, ſibi iam admiſcuerint particulas craſſiores, ex poris metalli et aquae auulſas, et hinc impares redditi ſint vitro vaſis penetrando.

V.

Diſſertatio medica inauguralis de teſtibus et de ſemine in variis animalibus. Quam pro gradu doctoris eruditorum examini ſubiicit ALEXANDER MONRO, Scoto-Britannus. Edimburgi, apud G. Hamilton. 1755. 8. pagg. 88. tab. aen. V.

Cuius iam alio tempore in anatomen merita laudauimus, ALEX. MONRO *Iun.* inauguralem iam diſſertationem adducimus, eamque praeterire noluimus, quod illa controuerſiae, alio loco a nobis memoratae, cauſa extiterit *). Nos autem normam, ſecundum quam Cl. Auctor ſuum executus eſt opus, delineabimus, vt conſtet, quantum ab ipſo fuerit praeſtitum. Ad naturam vero teſticulorum intelligendam, praeter hominis, aliorum diuerſorumque animalium teſticulos diſquiſiuit ſedulo, quadrupedum ſcilicet viuiparorum, ouiparorum,

*) vid. Comment. Noſtr. Vol. XI. P. II. p. 282.

auium et piſcium, quo diſcrepantiae eo curatius pa-
p. 4. teſcant. Numerus teſtium in animalibus binarius, ſitus autem diuerſus eſt, homines et quadrupeda viuipara extus eos habent, quadrupeda ouipara, aues piſceſque intus gerunt. Latent tamen in foetu hominis atque quadrupedum pariter intra abdomen, ſenſimque demum deſcendunt; quod ex ſitu foetus deduci poſſe Cl. Auctor opinatur, deſcenſum autem a cremaſtere muſculo, aeque ac pondere proprio praeſtari: hernias quoque infantum a facile dilatandis annulis abdominalibus in iisdem fieri. Albuginea porro tunica omnium teſticulis propria eſt, cui laxior vaginalis additur. Haec in homine arcte teſticulum ambit, in animalibus aliis non aeque. Dependent autem a faſciculo ſpermatico, qui in ſuperiori loco, pone peritonaeum, tela cellulari ambitur. In quadrupedibus contra idem ſpermaticus faſciculus a peritonaei duplicatura, inteſtinorum more,
p. 8. comprehenditur. Quare in quadrupedibus herniae in tunica vaginali continentur, in homine autem peculiari a teſticulo ſacco includuntur, niſi peritonaeum ruptum ſit. Ex quo etiam conſequitur, vt in animalibus herniae per teſticuli exſectionem curentur, hominem vero a morbo redeunte non praecaueant, ſimulque eluceſcit, punctum aureum et ſuturam regiam his etiam magis ac homini apte conuenire. Arteriae teſticulorum ſeu ſpermaticae in plerisque animalibus ex aorta procedunt, anguſtiſſimae et longiſſimae, in homine ramificatae, ramis tamen editis parum decreſcunt. Immo in brutis, in quibus hae arteriae multum contorquentur, diameter trunci ſenſim augetur, ex quo coniicit Cl. Auctor, ſanguinis impetum in progreſſu imminui, magis adhuc, quod in porco mirum in modum arteria glomeratur. Locum itaque hic eſſe putat, in quo homogeneae humorum particulae ſe magis queant attrahere. Ex

variis,

variis, quae a Noſtro in animalibus adducuntur diuerſitatibus, vnicam illam notamus, arterias ſpermaticas in quadrupedibus viuiparis ſupra renales exoriri. Venae contra ſpermaticae in his et in homine arteriis ampliores copioſioresque exiſtunt, adrenum quoque altitudinem iterum adſcendunt, in ſorice ad iliacas, in erinaceo ad venam cauam, in halece ad auriculam cordis terminantur. Singulare tamen eſt, in hominibus virorum venas valuulis inſtrui, in feminis vero easdem deficere, quod partim earum venarum ſitui intra abdomen tribuit Cl. Auctor, partim menſtruorum cauſa ſic factum eſſe contendit. Inter has autem et arterias non eſt inſolita quaedam communicatio, ſed talis, quae in reliquis quoque corporis partibus obuenit. Senſum ob neruos teſticuli exquiſitum habent, cum inteſtinis dolorem ſimilem percipiunt, et inflammatione pulſum contractum reddunt. p. 18. Interna vero teſticulorum fabrica ex flexuoſis copioſiſſimisque ductulis conficitur, qui in faſciculos collecti, non quidem veris ſeptulis, membraneis tamen inuolucris a ſe inuicem diſtinguuntur, quibus faſciculorum intertextus non intercipiatur, et a parte ſuperiore teſtis deſcendant. Origo horum ductuum obſcura eſt, arteria hominis ſpermatica, ſupra teſticulum in ramos diuiſa, introit per albugineam tunicam ad interiora, ex qua ramuli quidam, per externum latus adſcendentes, in ſerpentinos ductus abſumuntur, venae eodem modo progrediuntur, nullo tamen tentamine potuit Cl. Auctor ſeminalium ductuum ortum detegere, nec feliciori vſus eſt fortuna, inſtitutis experimentis, quae longe recenſet, cum aliorum animalium teſticulis. Ductuum dein ſeminiferorum progreſſum graphice deſcripſit GRAAFIUS, melius vero HALLERUS, p. 25. qui epididymidem replens mercurio, inuenit vaſcula recta ex ſuperiore teſticulo egredientia, intra al-

bugineam tunicam anaſtomoſibus iuncta, et rete teſtis efficientia, ex quibus vaſa plura decem vel duodecim *vaſa efferentia* faciunt, ſimulque epididymidis caput conſtituunt. Eadem quoque cum felicitate in flexuoſos teſticuli ductus inquiſiuit Noſter, atque expreſſo prius ſemine, laxatis vero per tepidam aquam partibus, hydrargyrum per epididymida ad ductus illos rediiſſe vidit, vt horum etiam diametrum, numerum, longitudinem, flexuumque copiam dimetiri potuerit, eaque propter teſtem animo depingit,
p. 30. *quaſi ductuum* 300, *qui vaſis ſanguineis ornantur, congeries eſſet, quorum vnius cuiusque diameter* $\frac{1}{250}$ *pollicis ſit, et eius longitudo pedes circiter* 12, *flexus* 5760 *ab origine ad finem perficiens.* Mirando tamen modo omnia haec vaſcula in vnum canalem colliguntur, vas deferens ſcilicet, cuius diameter $\frac{1}{50}$ pollicis aequat, qui exigua inſtructus cauitate, cylindricus pergit, et ad finem demum ampliatur. Diuerſa quodammodo fabrica in aliis animalibus eſt, quam in quadrupedibus, auibus, piſcibusque perſcrutatus eſt, expoſuitque Cl. Auctor; ex qua tamen probabili
p. 42. ratione conſequitur, ductuum ſerpentinorum cylindricorum congeriem teſticulum facere, quorum apices ſint caeci, minimas autem, per eos diſperſas, arteriolas ſemen hic deponere, eo, quo ſolent arteriolae meſaraicae in cauum inteſtinorum lympham ſtillare, modo, in primis, quum haec etiam fabrica per inſecta confirmetur. De veſiculis ſeminalibus pauca proponuntur, quum eas excellentiſſime Ill. HALLERUS extricauerit, appendicum autem in iis numerus variat.

Reliqua huius diſſertationis capita ad phyſiologica momenta ſpectant: motus ſeminis in homine et nonnullis aliis animalibus a cremaſtere adiuuatur, in reliquis a vicinis partibus, muſculisque. Clarum autem eſt, ſeminis aliquas partes ſanguini reddi debere,

bere, quod ſemen teſtis tenuius ſit ſemine in vaſis deferentibus aut veſica ſpermatica contento. Sed haec quoque diſquiſitio admodum eſt difficilis. Detexit Ill. HALLERUS vaſculum rectum, ex media epididymide cum vaſis teſticuli adſcendens, finem non inuenit, ad reſorbentia pertinere credidit: idem docuerunt Noſtrum inſtituta tentamina; oritur a globi minoris epididymidis parte interna, ibidemque plicatum exiſtit, verſus funiculum ſpermaticum adſurgit, in eo tandem hydrargyrum immiſſum ſubſiſtit. Tandem vero in bienni puero idem vaſculum, diuiſum in progreſſu, denuoque coeuns, ad veſicam vrinariam cum vaſe deferente proceſſiſſe inuenit, hic loci, derelicto vaſe iam dicto deferente, ſurſum adſcendiſſe, forte in chyli receptaculum terminatum. Vt melius haec pateant, non omiſit in aliis animalibus ſimilia tentare Cl. Auctor, experimenta hinc cepit in mure, ariete, tauro, ſorice, erinaceo, equo, cane, auibus, ſalamandra, inque non nullis ductus etiam ad cor protenſos inuenit. Vaſa lymphatica vero ex contextu demum celluloſo enata animaduertit. In illo porro capite, in quo p. 56. feminis dotes et varia eius phaenomena diſquiruntur, ex aliis permultis notamus, ſperma in veſiculis tenue, a liquoribus adfuſis, potiſſimum proſtatae, ſpiſſeſcere, et in aere libero, magis a calore cito deliqueſcere. Inſtituit etiam experimenta cum ſalibus, oleis aliisque rebus, ex quibus patet, ſemen ad muci naturam quidem propius accedere, eſſe tamen ſui generis liquorem. His expoſitis, recenſentur BUFFONII nupera obſeruata, nec non Cl. Auctoris, qui in ſpermate ſe animalcula, gyrinis non abſimilia, detexiſſe adſerit. Talia tamen corpuſcula in aliis etiam liquoribus BUFFONII et NEEDHAMI exemplis denotat. Corollaria denique inde fluunt, quibus feminis ſecreti effectus quidam dignoſcuntur.

Sper-

Spermatis copiam ea, quae aliorum liquorum, augent, dein ſtimuli quicunque, etiam morboſi, ſecretio tamen ad certum tantum tempus fit, et animalia maiora paucos foetus generant, ouipara vero uiuiparis foecundiora ſunt. Ingenue interim fatendum eſt, rationem, qua ſperma in producenda prole agat, abſconditam vsque fore.

Additae elegantes icones teſticulos, eorumque partes, vaſa flexuoſa, epididymidem, vas deferens, tum ex homine, tum ex aliis animalibus ſiſtunt, ſimulque machinula, ad immittendum mercurium inuenta atque deſcripta, hic occurrit.

VI.

Diſſ. inaug. de primo pare neruorum medullae ſpinalis. Auctore GEO. THOM. ASCH. Petropol. Gotting. 1750. pl. 10. tab. aen. 3.

Inter praeſtantiſſima ſcripta, quibus noſtri aeui diſſectores obſcuram adhuc neruorum hiſtoriam felici ſtudio declararunt, omnino haecce referri meretur diſſertatio, diſcipuli magno HALLERO digni. Declaratur enim in ea egregie origo et decurſus nerui infra occipitalis WINSLOVII, quem veterum plurimi decimum capitis, recentiores vero primum ceruicis numerabant, ita, vt collectis, qui ante Cl. Auctorem de hocce neruo egerunt, ſcriptoribus, variisque eorum de origine ramisque eius ſententiis expoſitis, ſuas tandem hac de re obſeruationes ad-
p. 1. nectat. Rem autem a prima origine medicinae repetens, docet, GALENUM illum colli neruis adnumeraſſe, non vero exacte deſcripſiſſe. Qui GALENUM ſequuntur diſſectores, plerique verba eius
p. 7. tantum repetunt. VESALIUS GALENI deſcriptionem

nem enucleans, eandem perfectiorem exponit, primusque figuris nerui huius ortum et progressum expressit, non tamen plane eius historiam absoluit. Addiderunt huic descriptioni aliquas ex suis obseruationibus COLUMBUS et INGRASSIAS, reliqui enim omnes, ne FALLOPIO quidem excepto, Vesalianam tantum descriptionem exscripserunt. Primus vero anticam et posticam huius nerui e medulla spinali originem expressit EUSTACHIUS, quamquam Eustachianis tabulis nondum editis COITER aliique, iam quaedam de duplici huius nerui origine proposuerant. Nihil autem fere, in huius nerui p. 14. descriptione mutatum aut additum fuit, ad WILLISII vsque tempora, qui eum quidem, sed non satis exacte descripsit. Veterum enim scriptorum et inuentorum negligentior, discrimen neruorum ex cerebro et medulla spinali prodeuntium haud satis recte constituit, praeter necessitatem huncce neruum decimum par neruorum cerebri esse finxit, egressumque eius ex ossibus non bene perspexit, vt alia taceamus. VIEUSSENIUS Willisianam neruos numerandi methodum secutus, eandemque seruare cupiens, primum hoc ceruicale par in duas partes distinxit, et in varios quoque alios errores incidit. Multi huius vestigia pressérunt, et decimum par cerebri, primumque ceruicale a se inuicem separantes, nerui huius historiam magis adhuc confusam reddidernut. Restituerunt vero eum medullae spinali HEISTERUS, SANTORINUS aliique. p. 22. MORGAGNUS et WINSLOVIUS posticam huius nerui originem existere negarunt, contrarium SANTORINO affirmante: hi tamen omnes varia, non tamen sine erroribus, detexerunt. Ab HALLERO inter ceruicales numeratur, et quaedam ad eius historiam addita fuerunt. Hisce de inuentis circa hunc p. 30. neruum expositis, suas quoque de eo institutas obseruа-

seruationes Cl. Auctor proponit, medulla spinali,
p. 36. eiusque inuolucris, in vniuersum descriptis. Fila-
menta, quae radicem anteriorem constituunt, fila-
mentis posterioris radicis copiosiora, et aliquantum
p. 37. firmiora sunt. Spinales nerui differunt a cerebrali-
bus, originis loco, duplicata radice, ganglio, quod
a solis radicibus, absque alterius nerui interuentu
formatur, secessione in duos ramos, anticum et po-
sticum, quorum prior ad intercostalem neruum, po-
sterior ad musculos abit, et viae ratione. Haec enim
a binis ossibus ita formatur, vt vna foraminis pars
in superiore, altera in inferiore exsculpta sit. Cum
vero hae notae omnes in primi paris neruo quoque
adsint, nullum superesse videtur dubium, quin ad
reliquos medullae spinalis neruos eum referre opor-
teat. Liceat vero nobis breuiter ex ipso Auctore
nostro descriptionem huius nerui repetere.

p. 39. Antica eius radix quatuor ad septem vsque
filamentis, proxime super radicem paris secun-
di, ita oritur, vt aliqua ex prima radice ad secundam
filamenta descendant. Postica paucioribus filamen-
tis supra secundi radicem oritur, communicat saepe
cum neruo accessorio, et radice postica nerui se-
cundi paris. Hae duae radices duram matrem per-
forant, et antica quidem paululum descendit, postica
adscendit, confluentes vero paruum ganglion effi-
ciunt, ita situm, vt arteria vertebralis, quae basila-
rem constituit, inter os et ganglion media sit.
Egressus ex hoc ganglio neruus in duos ramos diui-
ditur, quorum anterior transuersim versus anteriora
prorepit, deorsumque, furculo ad musculum rectum
lateralem dato, inflexus, arcum anteriorem format,
ex quo ramus cum nono pare communicans, et bi-
partitus ramulus ad rectos anticos procedunt.
Deinde ramum cum ganglio intercostali cohaeren-
tem emittit, et nonnunquam cum octauo pare, et

ramo

ramo descendente noni cohaeret, tandemque cum secundo ceruicalium ansam facit. Posterior, in spatio triangulari, quod inter rectum posticum maiorem et duos obliquos est, versus posteriora paulum sursum adscendit. Ex eo oritur ramus descendens, qui bipartitus obliquum inferiorem perforat, atque in ipso hoc traiectu anastomosin cum posteriore ramo secundi nerui ceruicalium, siue posteriorem primi paris arcum efficit. Secundus ramus, qui ex eo procedit, in rectos posticos diuiditur, quorum tres ad obliquum superiorem, vltimus vero, eo musculo perforato, ad rectum lateralem abit. In fine methodus hunc neruum praeparandi subnectitur. In tabulis aeneis tribus, quae ad hanc tractationem pertinent, origo, decursusque huius nerui et aliae vicinae partes optime depinguntur, vt inter elegantissimas dissertationes neurologicas haecce omnino referri mereatur.

VII.

Splanchnologie raisonnée redigée en demonstrations, ou l'on traite de l'Anatomie et du Mechanisme des viscères du Corps Humain. Par M. FLURANT. Maitre ès arts, Chirurgien Maior de l'Hopital de la Charitè de Lyon, et Associè de l'Academie Royale de Chirurgie a Paris, chez Delaguette, 1752. in 12mo. Tom. I. pl. 18. Tom. II. Alph. 1.

i. e.

Doctrina viscerum definitis praelectionibus explicata, qua et Anatome et Mechanismus partium declaratur. Auctore Cl. FLURANT.

Conti-

Continentur hoc opere praelectiones a Cl. Auctore publice propositae, in quibus non modo fabrica, sed et physiologicus vsus viscerum corporis nostri ita exponitur, vt eum ordinem satis aptum adhibuisse, et perspicue ac eleganter disseruisse, negare nullo modo possimus. Paucas vero res aut obseruationes nouas in iis contineri, stilum nimis saepe copiosum et oratorium, nominaque Auctorum et latina partium ipsarum maxime saepe corrupta esse,
T. I. etiam fateri debemus. In prima praelectione de
p. 1. anatome corporis humani in genere agit, et praecipuorum inuentorum historiam satis mancam et incompletam, nec non physiologiam breuem tradit.
p. 54. In secunda de partibus externis, integumentis, tactus sensu, transpiratione, pilis, vnguibus, tela cellulosa et adipe disputat. In tertia tractatio de abdomine et musculis eius, musculis in vniuersum eorumque
p. 177. motu, peritonaeo et omento continetur De motu musculari sequentem hypothesin proponit. Credit in fibris muscularibus parua esse spatia, siue vesiculas, subtili aere per totum orbem diffuso repleta, aere scilicet simplici, puro, elastico, homogeneo. Hanc in vesiculis compressam materiam semper in expansionem niti, compressionem vero illam tum a vesiculis ipsis fieri, tum augeri musculorum insertione, qua vesiculae magis tensae longiores fiunt, et fluidum contentum magis vrgent. Aperiri vero in eas neruos, liquidi tamen eorum influxum in statu naturali et quiete musculi ab ipsa aerea, in vesiculis contenta materia impediri. Fluido autem nerueo maiori copia et impetu ad has vesiculas determinato, aeream vesiculas replentem materiam, magis adhuc a fluido nerueo irruente compressam, omnem vim suam in parietes vesicularum exserere, vesiculas dilatare, et ita totum musculum breuiorem reddere.
p. 206. Quarta praelectione de digestionis organis, canali alimen-

alimentorum, meſenterio, vaſis lacteis et ductu thoracico, digeſtioneque ipſa: quinta de organis ſecretoriis, pancreate, liene, hepate, bilis ſecretione, et de ſecretione in vniuerſum, de qua ſimilia fere quae HALLERUS habet, agit. Sexta de partibus genitalibus virorum, de organis vropoieticis, et ſecretione vrinae et generatione calculi exponit. Structuram vaſorum deferentium in equo examinauit, et inuenit, ea ſpongioſa ſubſtantia quidem intus repleri, in medio tamen eorum cauitatem ſupereſſe. p. 273. p. 337.

In ſecundo Tomo ſeptima praelectione de partibus foeminarum externis, internisque, fluxu menſtruo et generatione agit. Octaua de foetu, membranis eius, placenta, quam partem chorii craſſioris redditi, non peculiare corpus eſſe aſſumit, circulatione ſanguinis in foetu et nutritione eiusdem, et partu, in quo perficiendo actioni foetus multum tribuit, diſputat. Nona de organis circulationis ſanguinis, thorace, mammis, lacte, pleura, mediaſtino, pericardio, corde eiusque actione: decima de organis reſpirationis, thymo, quem adeſſe tantum credit, vt cauum thoracis in foetu ob collapſos pulmones vacui repleat: vndecima de cerebro, capite oſſeo, et membranis cerebri, cerebelli et medullae ſpinalis anatome, et neruis in vniuerſum exponit. Duodecima tandem lectione de organis ſenſoriis, ore, glandulis ſaliualibus, pharynge, lingua, naribus, oculo et aure, nec non de ſenſubus externis in vniuerſum, guſtu, odoratu, viſu et auditu diſſerit. T. II. p. 1. p. 84. p. 169. p. 254. p. 327. p. 417.

VIII.

Sendſchreiben an D. GEORG VLRICH SCHMID, *M. D. von einem merkwürdigen chirurgiſchen Caſu eines vermittelſt einer Suppen in die Luftröhre verſchluckten, durch die Operation der Tracheotomie aber glücklich herausgenommenen Beines, erlaſſen von* IOHANN MICHAEL ENGEL, *Chirurgo auf dem Pilgerhauſe. Augſp.* 1750. 4. 1½ *Bog.* Tab. aen. 1.

i. e.

Epiſtola 10. MICH. ENGELII ad D. GEORGIUM VLRICUM SCHMID, ſuper caſu chirurgico notatu digno oſſis cum iusculo deglutiti, in aſperam arteriam delati et per tracheotomiam extracti.

Vir viginti ſex annorum, iusculum nimis auide comedens, fruſtum oſſis deglutiebat, quo facto, reſpiratio ceſſabat ſummumque ſuffocationis periculum imminebat. Digito in fauces immiſſo vomitus excitabatur, quo aliquantulum ſubleuabatur miſer. Reſpiratio tamen difficilis manebat, fruſtumque in collo haerens nec iniectionibus nec aliis auxiliis remoueri potuit. Die vndecimo, cum aeger adhuc viribus ſatis validis et ſine febre eſſet, operatio tracheotomiae inſtituebatur. Cutis duorum pollicum latitudine ſub cartilagine thyroidea ad trium digitorum latitudinem incidebatur, muſculisque ſternothyroideis et tribus annulis cartilagineis iuxta longitudinem diſciſſis, fruſtum oſſis forcipe comprehenſum ex aſpera arteria extrahere conabatur Cl. Au-

Auctor; cum vero immobile illud esset, aliquot adhuc cartilagines inferius discindebantur, simulque digito cartilaginem cricoideam premente tussique excitata, frustulum ossis prosiliebat ita, vt commode extraheretur. Vulnus deinde rite consolidabatur, licet leuior febris vulneraria accederet. In fine huius epistolae icon additur, in qua partes in hac operatione discissae frustumque ossis extractum delineantur. Adduntur tandem annotationes quaedam super operatione tracheotomiae, de qua iam veteres Arabes et Graeci egerunt, eamque licet cum successu minus felici interdum instituerunt.

IX.

Flora orientalis siue recensio plantarum, quas Botanicorum Coryphaeus LEONHARDUS RAUWOLFFUS, Medicus Augustanus, annis 1573, 1574 et 1575 in Syria, Arabia, Mesopotamia, Babylonia, Assyria, Armenia et Iudaea crescentes obseruauit, et collegit, earundemque ducenta specimina, quae in Bibliotheca publica Lugduno-Bataua adseruantur, nitidissime exsiccata et chartae adglutinata in volumen retulit. Has methodo sexuali disposuit, Synonymis probatioribus illustrauit, Nominibus specificis insigniuit IOHAN. FREDERICUS GRONOVIUS. Lugd. Bat. typis Wilhelmi de Groot 1755. in 8uo pl. 12½.

Exhibet haec Flora plantas trecentas et triginta octo, in quarta Hodoeporici RAUWOLFFIANI parte descriptas, et in quarto volumine splendidissimi herbarii quoad maximam partem contentas

quod ipſe RAUWOLFFUS magna cura ſtudioque parauit. Non ſolum enim indefeſſus ille plantarum tum in Europaeis, tum et in Aſiaticis potiſſimum regionibus indagator, varias in iſtis regionibus creſcentes plantarum ſpecies, nec viſas, nec cognitas ante eum, inueſtigauit, ſed et earum ſpecimina venuſta arte exſiccauit glutineque chartae adfixit. Quinque huius RAUWOLFFIANI herbarii tomi in publica Ordinum Hollandiae Weſtfriſiaeque bibliotheca Lugdunenſi aſſeruantur, in quam cum vossii bibliotheca tranſierunt, qui eos ex Suecia ſecum apportauit, forte a Regina CHRISTINA acceptos. Praeſtantiſſimi huius herbarii mentionem iam coaeui nonnulli RAUWOLFFO Botanici, vt CAMERARIUS et BAUHINUS fecerunt, plurima enim plantarum ſpecimina arida cum illis, egregius RAUWOLFFUS communicauit. Anglici porro Botanici, vt MORISONUS, aliique vt BREYNIUS, quarto in primis hoc volumine, quod exoticas comprehendit, vſi ſunt, plurimaque inde in vſum ſuum conuerterunt. Tandem Cl. GRONOVIUS laudabili ſtudio plantas eleganter expanſas, quas quartum in primis volumen, cuius folia Atlantica ſunt, quoad maximam partem complectitur, et quae in Hodoeporico RAUWOLFFII deſcriptae fuerunt, ſexuali methodo ordinauit, ſynonymaque probatiſſimorum auctorum addidit. Reliquarum vero plantarum deſcriptionem, vna cum diſſertatione de plantis quibusdam biblicis, ſe alia occaſione in vſum prolaturum pollicetur.

Praemiſſa eſt vita RAUWOLFFI ex ADAMI vitis medicorum petita, ad quam ſuas Cl. editor adnotationes addidit, egregieque iisdem eandem illuſtrauit. Praemittitur porro Topographia plantarum, et quorundam ſimplicium, in Bazarris ſiue officinis orientalibus venum proſtantium, quae ex ipſo Hodoeporico deſumta eſt. Rauwolffiana nomina

mina vbique ſynonymis addita fuerunt, inter quae plurima ſunt triuialia incolarum, quae tamen magis ex ſono, quam recta ſcribendi ratione prolata videntur. Latinum pariter ac exoticorum illorum nominum indicem Cl. Editor addidit.

X.

De Tabe glandulari, ſiue de vſu aquae marinae in morbis glandularum, Diſſertatio. Auctore RICCARDO RUSSEL, M. D. E Theatro Sheldoniano, proſtant venales apud *Iacobum Fletcher*, Oxon. et *I.* et *I. Riuington*, 1750. 8. pl. 15. tabb. aen. 7.

Referentes Cl. Noſtri Auctoris *Oeconomiam naturae in morbis acutis et chronicis glandularum* *) carebamus adhuc ſupra memorato libello, hinc titulum eius tantummodo indicare potuimus. Quum vero nuper ad noſtras peruenit manus, recenſionem huius libelli vt ſupplementis addamus, e re eſſe iudicauimus. *Diſſertationem* enim *epiſtolarem* **) quam *ad Virum doctiſſimum* RICCARDUM FREWIN Noſter dedit, priorique libro adiecit, tanquam *ſequelam* et *illuſtrationem* noſtri *libelli* ipſe in *praefatione* conſiderat. Summa totius libelli in eo conſiſtit, vt remedio, eam ob virtutem hactenus nondum cognito, vſu ſcilicet aquae marinae glandulas induratas, fereque ſcirrhoſas, modo non exulceratas, totius noſtri corporis ſanare ſtudeat. In praefatione quatuor proprietates, quas characteres vocat, p. 7. aquae marinae adſignat. *Primus eſt ſapor ſalſus:*

*) vid. Commentar. Noſtr. Vol. V. Part. III. p. 463.
**) ibidem p. 477.

ſecundus amaritudo: tertius nitroſitas: quartus vnctuoſitas. Hos characteres non ſolum ſuis, aliorumque ſcriptorum argumentis probare conatur, ſed ex his quoque, praeſertim *ſalſedine*, vim medicatam deriuat. Quod ad *nitroſitatem* attinet, niſi de nitro, ſiue natro veterum hanc explicet, multi adhuc dubitabunt, num verum, hodiernum nempe nitrum, ex aqua marina ſiſtere queat, licet ad HALLESIUM prouocet. Minime enim id nitrum eſt, quod nitri formam et cryſtallos habet. Tabem nunc exponit, eamque *a diuinis fluxionibus in glandulas trachearum, pulmonis*, aliarumque partium internarum oriri autumat. Quod ſi huic morbo in initio aqua marina opponitur, certum auxilium aegrotis
p. 14. promittit Cl. Auctor. Sin vero vaſa iam rupta, ſeu eroſa, pusque iam motum ſit, ipſe fatetur ab illo remedio nil ſperandum eſſe. In eis enim, quos aqua marina non ſanare potuit, poſt mortem glandulas meſenterii et pulmonum ſuppuratas et apoſtematibus refertas inuenit, quorum exempla tabulis
p. 18. aeneis exhibet, figurisque illuſtrat. Cauſam huius morbi in prima infantia quaerit, et nutricum culpa futurae tabis fundamentum in ipſis iam cunabulis iaceri affirmat, dum puſillos infantes veſtimentis et culcitis plumeis obruunt, cubiculi calore debilitant, et lacte, pleruinque acri et minus ſano, infarciunt. Ad quod accedit, quod morbos, talem diaetam taleque regimen neceſſario ſubſequentes, non euacuantibus appoſitis, ſed opiatis ſopire ſatagant, anſamque futuris obſtructionibus et ſcirrhis glandularum praebeant.

p. 23. Quibus praemiſſis quatuor nunc diuerſi ſtatus glandularum morbidarum Cl. Auctori conſiderandi veniunt: primus eſt, *recens* in glandulam *fluxio;* ſecundus ſtatus *augmentationis;* tertius, *inflammatorius;* et quartus, *morbi terminatio*, quando ſcilicet tumor

vel

vel diſſipatur vel in pus, vel ſcirrhum, vel cancrum mutatur. Hac occaſione ſingularem obſeruationem adnectit: *glandulae* inquit, *ceruicis concatenatae, quae vno quaſi vinculo ab auribus clauiculas vsque continuantur, fere pro ratione longitudinis vaſorum colli dependent, quas vbi tumefactas cum tonſillis quoque plus aequo largis, videris, tam internas etiam meſenterii, pulmonisque glandulas recenti fluxione affectas eſſe ſuſpicandum eſt.* Quam ſuſpicionem fundatam eſſe ex eo concludimus, quod bis vel ter idem obſeruauimus.

In ſtatu igitur *fluxionis* et *augmentationis*, quamdiu nulla accedit febris, aquam marinam prodeſſe contendit: vſum autem praeſertim largum mercurii dulcis omniumque medicamentorum, quae cauſtici ſunt generis, ea propter, quod nimis ſtimulent, reiicit: mercurium tamen parua doſi ſumtum, et cum marina aqua coniunctim datum adprobat. Tranſit p. 26.
Cl. Auctor ad ſtatum inflammatorium. In hoc morbi ſtatu aquam marinam non prodeſſe fatetur, morbum enim inde nimis irritari ipſe dicit.

Venit denique ad *morbi terminationem* et quidem p. 31.
a diſſipatione, quae vnice tentanda eſt. Glandulae tunc ad priores terminos redeunt, officiisque ſuis funguntur, licet interdum molles, et aliquantulum tumidae maneant. In eo ſtatu vſus aquae marinae optimum edit effectum, praeſertim ſi medicamenta ex plantarum marinarum cineribus parata, ſale ammoniaco, aethiope minerali, antimonio etc. pro morbi conditione, admixtis ſimul adhibentur, et curatio balneo maris frigido finitur. Ne morbus autem recidat, poſtremum omnium corticem peruuianum addere ſolet Cl. Auctor.

Sequitur nunc *terminatio* in ſcirrhum, quae tertia ſpecies eſt, de ſecunda enim, quae a pure erat, in prioribus, ſaltem paucis, iam egit. Scirrhum *perfectum* nec aqua marina, nec alio vllo medica-

mento, nisi manu chirurgi curari posse, ipse asserit: leuiores autem scirrhositates, sit venia verbo, hac aqua se sanasse credit. Cancrum denique, quae quarta terminationis species est, in quem scirrhus facile abit, ne adire quidem aqua marina audet, quia ei nimis stimulare videtur aqua: quare etiam in atheromate, steatomate et meliceride, aliisque tumoribus tunicatis, vbi materia extrauasata est, ab huius vsu abstinet.

p. 36. Plus tamen commodi sibi promittit non solum in omnibus recentioribus glandularum totius fere corporis obstructionibus, sed etiam in obstructionibus hepatis et renum, si scilicet inflammatione memoratae partes carent, nec febris accessit. Certissimum autem effectum vidit Cl. Auctor in alui obstructione, ab induratis et scirrhosis glandulis, circa intestinum rectum sitis, orta, et in colica, alui constipationem saepius sequente. Lente enim et melius ceteris omnibus remediis soluit aqua marina aluum, eamque liberam seruat: quare etiam nauigantibus, qui alui constipationibus, et biliosis colicis saepius vexantur, aqua marina valde in vsu est.

p. 48. Veteres quoque huius aquae vsum in eiusmodi morbis iam suasisse ex CELSO, PLINIO, SERENO SAMMONICO Cl. Auctor probat, cum quibus re-

p. 53. centiorum opiniones coniungit. Perpauca adhuc monet de effectu aquae marinae in glandulas subcutaneas, quas externas vocat, quia oculis medici magis patent, et medicamenti effectus citius animaduerti potest. Huc refert ciliorum, palpebrarum, et ceruicis glandulas obstructas et tumefactas, quas aqua marina sanatas obseruauit, modo in scirrhos nondum versae fuerint.

Verum enim vero aquam marinam non solum adhibet Cl. Auctor, sed alia apposita medicamenta, pro morbi natura, aquae marinae vsui adiungit,

vti

vti ex *sectione secunda* videri potest. Praecipua re- p. 62.
media sunt millepedes, squilla, calces concharum
et plantarum marinarum. Huc pertinent Madre-
porae, Algae, Fuci et Quercus marina, cuius suc- p. 74.
cum, qui in eius vesiculis mense Iulio inuenitur, et
quem saponaceum nominat, in glandularum tumo-
ribus externis, si tumor hocce succo perfricatur,
multum extollit.

In fine huius sectionis etiam his respondet, p. 79.
qui scire cupiunt, qua ratione in aquae marinae com-
mendationem et cognitionem inciderit. Primam
occasionem illi dedere maris accolae, qui aquam
marinam saepe in auxilium vocant; deinde DIO-
SCORIDIS et PLINII aquae marinae laudes; post-
ea vsus salis GLAUBERI, quem multum cum aqua
marina conuenire putat; tandem anonymi cuiusdam
auctoris, sub titulo *Comitis Domestici* liber, qui
vsum aquae marinae multum commendat.

Sequuntur nunc Historiae triginta et nouem p. 83.
morborum, aqua marina sanatorum; inter quos,
praeter morbos glandularum praecipui sunt lepra
arida et humida, gonorrhoea, icterus, et eruptio-
nes quaedam cutaneae: vbi tamen notandum, Cl.
Auctorem alia apta medicamenta, vna cum aqua
marina adhibuisse, vt inde omnino dubium in non-
nullis casibus restet, num. aqua marina? an reliqua
adhibita remedia morbum sanarint? Historias exci- p. 135.
piunt quadraginta et nouem aphorismi, ex praece-
dentibus collecti, qui nihil autem continent, quod
non in prioribus iam adductum, et a nobis rela-
tum sit.

Aphorismis succedit Appendix de *quercu marina*, p. 151.
quae duplicis est speciei, vel *sine vesiculis*, vel *cum*
vesiculis, quarum vtriusque exhibet figuras. Ex hac
planta non solum confecit succum, quem sapona-
ceum credit, et perfricandis tumoribus, vt supra

iam monuimus, adhibuit; ſed ex planta calcinata quoque parauit medicamentum, quod ob colorem nigerrimum, quem accipit, *aethiopem vegetabilem* vocat. Hoc vice ſpongiae vſtae vtitur, quam tamen praeſtantia ſuperare cenſet. Adnectit quaedam experimenta ad inquirendum, quid praeſtet quercus marina *ante fermentationem*, vt ait, et *poſt fermentationem*, cum aqua marina inſtitutam. Hac occaſione meminit madreporae, aliorumque coralliorum marinorum, quorum figuras addit.

p.159. Finem huius opuſculi faciunt tres epiſtolae a tribus medicis, Cl. FREWIN, WILMOT, et LEWIS ad Cl. Auctorem datae, vna cum huius reſponſionibus, quae omnes circa vſum aquae marinae verſantur, nonnullasque morborum hiſtorias referunt, quos vſu aquae marinae, tam interno, quam externo ſanatos affirmant modo memorati Cl. Auctores, licet non negandum ſit, eos efficaciſſima aptiſſimaque remedia ſimul in vſum vocaſſe. In numero morborum nullum inuenimus, cuius non ſit facta
p.168. mentio in catalago hiſtoriarum, a Cl. RUSSEL memoratarum praeter reſolutionem neruorum, quam adoleſcens quidam expertus eſt, et quem Cl. FREWIN aquae marinae potatione et immerſione frigida feliciter priori reſtituit ſanitati. Ceteri morbi ad
p.192. morbos glandularum pertinent. In reſponſione Cl. RUSSEL ad Cl. WILMOT data, primariam virtutem aquae marinae in eius ſale quaerit, ope cuius tonus partium c. h. confirmetur, atque corroboretur: ſiquidem neque valetudinem, neque vaſorum noſtrorum robur ſine ſale conſeruari opinatur. Prouocat ad homines, qui parum vel nihil omnino ſalis cum cibo ſumunt, quos debiles tandem fieri, et tetrum putremque odorem exhalare contendit. Opinionem ſuam ex ouium paſtura probare conatur. Has non ſolum ſanas et integras ſeruari, ſi inter paſcen-

paſcendum ſale marino cum herbis veſcantur; ſed etiam a lue illa exitioſa a vermibus in iecinore, eiusque ductibus biliariis repertis orta, rurſus liberari, ſi illis locis paſcantur, quae *ſingulis maris aeſtubus proluuntur*, et falſa ſunt. p. 198.

Coronidem opuſculo imponit epiſtola a Cl. LEE ad Cl. Auctorem exarata, in qua in hiſtoriam vſus aquae marinae inquirit, omnesque ex veteribus et recentioribus ab HIPPOCRATE ad noſtra vsque tempora colligit locos, qui ad eius in medicina vſum pertinent, eumque illuſtrant. Ex fine epiſtolae patet, aquam marinam valde in vſu eſſe in Anglia, quia Cl. LEE ad millena prouocat exempla viuentium, qui aquam marinam quotidie bibant. Portio conſueta eſt libra vna, quae ad multum tempus continuatur. Refert enim exemplum aegrotae, quae libram vnam omni mane continua quadam ſerie bibit, donec congios viginti et quinque, quantitatem profecto immanem conſumſerat. Scrophula exinde, qua laborauerat, ſenſim euanuit, valetudo etiam melior et firmior facta eſt. p. 218.

XI.

XI.

Hans Maj:ts ADOLF FRIDERIKS v:ar allern:adigſte Konungs Naturalie Sammling innehållande ſälsynte och främmande Djur, ſom bevaras p:a Kongl. Luſt-Slottet Ulriksdahl; beſkrefne och afritade ſamt p:å n:adig befallning utgifne af CARL LINNAEUS.

h. e.

Muſeum S: ae R: ae Maj: tis ADOLPHI FRIDERICI Regis Suecorum, Gothorum, Vandalorumque cet. in quo Animalia rariora inprimis, et exotica: Quadrupedia, Aues, Amphibia, Piſces, Inſecta, Vermes deſcribuntur et determinantur, latine et ſuetice cum iconibus. Iuſſu Sac. Reg. Mai. a CAR. LINNAEO, Equ. Holmiae, e Typographia Regia. Direct. Pet. Momma. MDCCLIV. forma mai. pag. 135. tab. aen. 33.

Opus hoc ſplendidiſſimum continetur praefatione ſatis docta atque ipſa tractatione, qua animantia varii generis rariora, quae maximam partem in arce regia Vlrichsthal dicta, non adeo procul Holmia aſſeruantur, more LINNAEANO commode deſcribuntur. Praefationem quod attinet, animus eſt oſtendere, quid ſibi velint et quo tendant eiusmodi collectiones rerum naturalium. Operae pretium eſſe exiſtimamus ſummatim pauca tradere, vt ei, quibus acceſſus ad hunc librum non eſt, quodam modo docendi rationem intelligant. Primum, quod mortalis quisque in contemplandis rebus a ſapientiſſimo Numine conditis tenere debet, hoc eſt;

vt

vt ſe ipſe quoad fieri poteſt, cognoſcat, ſcilicet quo ortus ſit genere, vnde Domo, quaeque officii genera ſeruanda. In originem ſi inquiramus, animaduertimus, non ſua ſponte, neque caſu et fortuito, ſed conſilio omnia, ne homine quidem excepto, a natura aliqua longe ſapientiſſima eſſe effecta, atque animantia omnia, plantas cet. nihil niſi concatenatam eſſe ſeriem. Quod ſi porro adſpiciamus locum, quem incolamus, eſt ille globus terraqueus, quem velut muſeum ſummi creatoris artificiis inſtructiſſimum, in tria diſtributum conclauia, quorum primum regnum lapideum, alterum vegetabile, animale tertium complectitur, commode poſſumus p. 3. contemplari. In primo conclaui videre licet, quo modo argilla, arena, creta, humus atque ochra originem capiant; e quibus lapides omnes mira naturae lege oriantur, adeo vt ex arena cos, ex humo ſchiſtus, ex creta ſilex, ex oſtrocodermatibus et terra marmor, ex argilla denique talcum naſcatur. Admiratione etiam digna putantur metalla, varia ſaxorum ſtrata, innumera petrificata, immenſaque aliorum lapidum congeries. In altero conclaui regnum vegetabile ſe conſpicuum praebet, quo dici non poteſt, quanta ſit plantarum variatio et diſcrepantia, quam deprehendimus. Pauperes muſci ſuperant ſaepius artificio ſuperbas indorum palmas; gramina ferme vniuerſam telluris ſuperficiem inueſtiunt. Stupendum in herbis foliorum, florum et fructuum diſcrimen; inopinata odoris, ſaporis, coloris aliarumque proprietatum differentia; arborum vmbracula, florum amores cet. Sequitur tertium con- p. 5. claue, regnum animale puto; ibi vermium innumerabilia genera, quorum alia civitatem quandam conſtituunt, vt Corallia; alia ſolitariam vitam peragunt. Ibi egregia inſectorum agmina, tanta variatione et multitudine adſpectabilia, vt ſpecierum co-

pia

pia reliqua animantia omnia facile ſuperent. Ibi muti piſces, qui largam vermium dapem in aquarum fundo paratam inueniunt. Ibi aeriae volucres exquiſitis coloribus ſuperbientes, qui impediunt, ne inſectorum multitudo nimiam noxam aliis rebus creatis inferant; qui ſtato tempore maximam partem emigrant, atque redeunt, plantas piſceſque diſſeminant. Ibi denique animalia quadrupedia in campis exultantia, ceterasque res in ſuum vſum conuertentia. Sic omnia purgantur, omnia renouantur, aequilibriumque rerum naturalium ſeruatur ita, vt nulla ſpecies intereat neque noua oriatur. Quibus omnibus rite conſideratis, facile perſpicitur, hominem nulla alia lege, niſi intelligendorum admirandorumque operum optimi creatoris cauſa eſſe conditum. Eſt naturae perpetuus ordo. Pars telluris continens
p. 11. ſenſim paullatimque creſcit, aquae contra decreſcunt. In omnibus plantis, animantibus atque adeo ipſo homine in fine ſubſiſtendum eſt in vnico et primo pari. Ergo primus terrae continentis adſpectus conſiderandus eſt velut inſula ſeu viuum aliquod muſeum, plantis, et animalibus omnibus ita inſtructum, vt, quae noſtris temporibus tellus alit, eorum nihil ibi deſideratum fuerit. O grata illa primi hominis voluptas! Attamen ſupereſt ea ex parte noſtro aeuo. Ingrediamur muſea magni Ducis Hetruriae, Reginae Portugalliae, Regis Hiſpaniae, Regis Galliae, Imperatricis Vngariae, Regis Suecorum, aliorumque.
p. 15. Quod primum oculos noſtros iucunde afficit, color eſt, quo ſummus Creator permulta animalia inprimis volucres ornauit. Porro admiranda eſt tum maximorum, quam minimorum animalium magnitudo; admiranda ſunt eorum vires, velocitates, inſolitae facies, diuerſa vitae munimenta et arma cet.

Sequuntur contenta operis et ipſae animantium deſcriptiones. Claſſis I continet quadrupedia, vbi anthro-

anthropomorphorum VII, ferarum XI, agriarum I, glirium XII, iumentorum II, Pecorum VI deſcribuntur. Simia vulgaris, mas iracundus, femina mitior. Simia apella ſemper in motu, continue ſe ſcalpit, muſcas obuolitantes manu capit. Simia capucina tarda eſt, irata, vt catulus latrat, horrendo clamore hoſtem pellit. Simia ſciurina, huius ſpeciei nota ſingularis optime eruitur ab vnguibus, qui acuti ſunt in pedum poſticorum quatuor digitis. Lemur tardigradus auditu excellens, quo ob tarditatem greſſus hoſtem euitare ſolet. Lepus vulgaris, in eo folliculus magnus iuxta anum notabilis. In *ſecunda* Claſſe auium deſcriptiones obueniunt, accipitrum V, picarum VI, anſerum II, ſcolopacium III, Gallinarum I, paſſerum VI *Tertia* Claſſis amphibia complectitur, vbi primum ſerpentia nimirum Caeciliae II, amphisbaenae II, angues III, Colubri XLVII, Boades II, Crotali I deſcribuntur. Caecilia glutinoſa videtur viua glutine vt Petromyzon eſſe obducta. Anguis maculata facile paribus 45 macularum maiorum lutearum agnoſcitur. Anguis bipes ab omnibus ſerpentibus propter duos pedes diſtinguitur. Coluber atropos habitu craſſo conuenit cum Crotalophoro, ſed nullum ei crepitaculum, nulla ſcuta caudalia. Coluber Cobella, in hac ſpecie magna eſt ſcutorum et ſquamarum varietas. Coluber imyctericans, eius ſquamae molliſſimae naſusque productus. Coluber naias telis venenatiſſimis omnium in maxilla ſuperiori eſt inſtructus. Coluber corallinus ſerpens ipſiſſimus SEBAE, deglutit Lacertam coeruleam. Coluber pullatus albo aterrimoque colore maculato diſtinctus eſt. Coluber filiformis ob tenuitatem ſingularis. Boas conſtrictor in capras, oues cet. exſilit, quos conſtringendo necat integrosque deglutit. Crotalius horridus numero ſcutorum tam diuerſus, vt plures eius eſſe ſpecies ſtatuendum ſit. Reptilium ſpecies occurrunt Draco volans,

p. 13.
p. 19.
p. 40

volans, Lacertae XXI, Ranae IX, teſtudines II. Lacerta crocodilus, in muſeo regio occurrit, ſpecimen, ex ouo ſolo capite prodiens. Rana pipa femina pullos in tergo nidulantes ad puncta eleuata
p. 51. gerit. In *IV* Claſſe traduntur piſces plagiuri II, Chondropterygii VIII, Branchioſtegi XVI, Acanthopterygii XLI, Malacopterygii XXIV. Chimaera monſtroſa ſic dicta, quia quaſi ex variis animalculis mixta. Lepores pelagici a SEBA delineati ſine dubio ex gente zoophytorum ſunt. Sciaena lineata eius pinnae dorſi et ani non dilatatae, opercula ſquamoſa, non pinnae dorſi et ani. Blennius viuiparus, foetus viuos parit; in piſcibus quos ſecuit Cl. a LINNE inter 100 et 200 numerauit. Cottus capitatus in fundo nidum ſtruit, in quo oua ſua deponit. Gymnotus pinguis in molem valde inſignem excreſcit. Aſcita ventricoſa, huic mira naturae lege ouarium intumeſcit, rumpitur abdomen longitudinaliter, et dimidia ouarii pars extra abdomen protu-
p. 81. berat. Claſſis *VI.* continet. Inſecta coleoptera XVI,
p. 91. hemiptera I, aptera XXIV. In *vltima* Claſſe occurrunt Vermes, vbi deſcribuntur reptilia IV, zoophyta XIII, teſtacea IV, Lithophyta II.

Fini adiectus eſt duplex index, quorum alter generis nomina, alter nomina triuialia continet. Iam ſupereſt, vt, quae delineata ſunt animantia in hoc libro indicemus:

Animalia quadrupedia

Simia *apella*, Simia *capucina*,

Animalia amphibia

Boas *caninus*, Coluber *plicatilis*,
Caecilia *glutinoſa*, Anguis *ſcytale*,
Amphisbaena *alba*, Coluber *calamarius*,
Anguis *maculata, bipes*, Coluber *candidus*,
Caecilia *tentaculata*, Coluber *pallidus*,

Colu-

Coluber *ſeuerus*,
Coluber *ſaturninus*,
Coluber *ſcaber*,
Coluber *canus*,
Coluber *lineatus*,
Coluber *atropos*,
Coluber *mucoſus*,
Coluber *albus*,
Coluber *annulatus*,
Coluber *petolarius*,
Coluber *exoletus*,
Coluber *aeſculapii*,
Coluber *aulicus*,
Coluber *reginae*,
Coluber *lemniſcatus*,
Coluber *melanocephalus*,
Coluber *angulatus*,
Coluber *hippocrepis*,
Coluber *filiformis*,
Coluber *vittatus*,
Coluber *buccatus*,
Coluber *lineatus*,
Coluber *pullatus*,
Coluber *agilis*,
Coluber *ahaetulla*,
Coluber *cinereus*,
Coluber *nebulatus*.
Coluber *laticaudatus*,
Coluber *fuſcus*,
Coluber *lacteus*,
Coluber *aurora*,
Coluber *myſterizans*,
Coluber *caeruleſcens*,
Coluber *naia*,
Coluber *ſtolatus*,
Coluber *atrox*,
Coluber *mucoſus*,
Coluber *rhombeatus*.

Piſces.

Chimera *monſtroſa*,
Fiſtularia *tabacina*,
Acipenſer *ruthenicus*,
Acipenſer *europeus*,
Loricaria *dura*.
Aſcita *ventricoſa*,
Zeus *vomer*.
Sciaena *pallida*,
Sciaena *punctata*,
Sciaena *ſaxatilis*,
Blennius *viuiparus*,
Albula *maculata*,
Pungitius *puſillus*,
Chaetodon *acuminatus*,
Lepturus *argenteus*,
Cyclopterus *nudus*,
Chaetodon *ſaxatilis*,
Acipenſer *indicus*,
Scomber *pelagicus*,
Cyprinus *cylindricus*,
Zeus *ſpinoſus*,
Sciaena *rupeſtris*.
Sciaena *lineata*,
Sciaena *bimaculata*,
Cottus *quadricornis*,
Trachinus *trachyurus*,
Chaetodon *ciliaris*,
Chaetodon *roſtratus*,

Chaetodon *capiſtratus*, Chaetodon *pinnatus*,
Chaetodon *arcuatus*. Chaetodon *ſtriatus*,

Vermes

Polypus *mirabilis*, Hirudo *marina*.
Myxine *glutinoſa*.

XII.

CAIETANI TACCONI, Philoſophiae Medicinae et Anatomes Doctoris, in patria Bononienſi vniuerſitate Publici Lectoris, academiae inſtituti ſcientiarum ſocii, atque in archinoſocomio Sanctae Mariae de morte primarii chirurgiae Profeſſoris, de nonnullis cranii oſſiumque fracturis eorumque coniunctione, itemque de oſteocolla, de raris herniis quibusdam, de partu monſtroſo, naeuis et maculis, quae in foetibus imprimuntur, diſſertationes, quibus accedit alterius monſtri hiſtoria a Cl. MATTHAEO BAZZANI deſcripta. Bononiae MDCCLI. Typis Ferdinandi Piſarri, ſub ſigno S. Antonii. 4. pl. 9. tab. aen. 4.

p. 5. Ruſticus quidam ab aduerſario in ſiniſtra capitis parte, et quidem in oſſe bregmatis ſupra muſculum temporalem percutitur, vnde repente concidens, ſtupidus, ſemiſomnis, oculorum caligine, aphonia bilisque vomitu correptus iacet. Poſt ſemihoram fere praeterlapſam e ſomno quaſi excitatus de viribus totius lateris dextri conqueritur profligatis, dieque a morbo ſexta in noſocomium excipitur et facie foeda nigreſcenteque diſplicens, et calore febrili ſtipatus, qui die inſequente cum horrore et rigore mul-

multum inualuit. Consilio de trepánatione admi- p. 6.
nistranda sumpto, integumentisque cum periosteo
supra partem contusam diductis, cranium trium
transuersorum digitorum longitudine fissum appa-
ruit, quare terebratio, in parte cranii sinistra, di-
gito vno transuerso a futura coronali, duobus vero
digitis a processibus temporum ossis squamosis insti-
tuta fuit. Foramine vix facto, materia fluida grau-
eolens, colorisque instar stercoris foedi, duarum
circiter mole vnciarum effluxit, qua exeunte sensus
et motus lateris dextri ante hac sufflaminati illico
redierunt, febrisque decessit. Die a terebratione
quarta haemorrhagia a rupto vase sanguifero, duram
meningem perreptante, superuenit, ad quam com-
pescendam, ossis cranii pars subtus rimam, duo-
rum transuersorum digitorum longitudinis, latitu-
dinis vnius, ablata est. Hac remota arteria durae p. 7.
matri prospiciens, abrupta, paruumque vlcuscu-
lum referens comparuit. Purulenta materia se-
quentibus diebus non parua quantitate effluens, die
vicesima prima minori copia prodire coepit, eo-
demque ipso tempore, atque quidem eo in loco,
vbi arteria rupta fuit, rudimenta tendinosarum car-
nearumque fibrillarum propullularunt, quae sensim
elongatae internae cranii parti circa plagam ita se
adglutinarunt, vt eiusdem plagae hiatui atque figu-
rae exacte respondentes conspicerentur. Modum
hunc a natura in ossis restauratione adhibitum dili
gentius Noster examinans, parua filamenta a perio- p. 8.
steo duraque matre profecta, quotidie mole incre-
scentia et ad contactum labiorum vulneris in cartila-
gineam quasi substantiam versa nudis oculis detexit,
die vero nonagesimo, labia ossis cranii a molliori-
bus fibris muscularibus iam operta, sensim incre-
mentum sumere, atque locum vulneris ab inflicta
plaga relictum coarctare replereque vidit. La porro

labia cum fibrillis a dura meninge productis sic societatem inire visa sunt, vt in peculiarem substantiam pedetentim indurescentem, hiatus plagae, telae instar circumpositae vtique claudentem, tandemque in os mutatam concreuerint. Quae quidem Cl. Auctori argumento fuerunt, fibrillas hasce, telae in modum textas, periostei propagines fuisse, fibrillarum durae meningis consortio adiutas, ossificoque succo sensim perfusas, vt in tendineam primum, dein callosam, tandemque osseam naturam transirent.

Tres adhuc Cl. Auctor obseruationes non vulgares, lectuque omnino dignas, huic adiungit, ex quibus demonstrare vlteriusque confirmare potissimum adnititur, ossa periostei beneficio non tantum nutrimenta capere, sed fracta etiam ferruminantis eiusdem succi subsidio conglutinari et constabiliri.

p. 16. Quin etiam suspicatur, idem forte fieri a membranis, tendines, neruos, musculos aliasque partes inuestientibus, si quando eorum restauratio requiritur.

p. 21. De osteocolla monet, illam vt corpus alcalinum, neque ad vnionem, neque ossium fractorum curationem aliquid conferre posse, proindeque vt iners plane medicamentum vna cum reliquis, vt insculptam aliquam imaginem a superstitiosis amplissime collaudatis corporibus iure esse reiiciendam. De herniis quibusdam rarioribus minusquecognitis, sequentes obseruationes tradit:

p. 23. Vir triginta annorum, procerioris staturae, ab ictu vehementiore in inguine dextro, herniam inguinalem contraxit, quae sensim in scrotum delapsa, moleque in dies aucta, multa, eademque non minima incommoda induxit, neque parum etiam ad maturandum aegri interitum, a febri ardente inductum contulit, qui secundo anno, ex quo coeperat mor-

morbus, ſecutus eſt. Cadauere aperto, omentum a ventriculo plane diductum inueniebatur. Inteſtinum colon ſexdecim digitos pariſienſes in ſcrotum prouolutum, et muſculo peculiari, ſupra maiorem fere ſui partem extenſo opertum conſpiciebatur. Meſocolon, pariter in ſcrotum prolapſum, morboſam qualitatem et ſcirrhoſi tumoris quaſi naturam contraxerat, herniamque nouae quaſi ſpeciei formauerat, intra quam et peritonaeum, ſeroſa colluuies colore croceo reperiebatur, herniam aliam ſcilicet aquoſam, vt vocitant, veluti conſtituens. Herniae iconem vna cum ea muſculi ſuper colon extenſi in fine Cl. Auctor appoſuit. p. 26.

Virgo monialis quadraginta duos annos nata a bimatu hernia inteſtinali in inguine dextro laborauit, ſexdecim vero abhinc annis alteri herniae in inguine ſiniſtro obnoxia eſſe coepit quae ſenſim ita increuit, vt capitis ouilli magnitudinem aequaret. At enim vero, quum brachierio nimium aequo ſaepius eandem perſtringeret, integumenta et abdominis ſubiectae partes a continua preſſione, durae, calloſae ac ſcirrhoſae factae, dum aliquando e prandio femina ſurgeret, repente rupta ſunt, et inteſtinum ileon fere totum cum ipſo meſaraeo atque omento ad genua vsque prolapſum eſt; quibus iterum in abdomen per vulnus ampliatum retruſis, et integumentis, reliquisque partibus in marſupium quaſi extenſis reſciſſis, admotisque aptis remediis, et omnibus, cautelis in graui adeo malo neceſſariis obſeruatis, id effectum Cl. Auctor refert, vt non modo aegra conſeruata fuerit, ſed vero vel adhuc dum firmiore et integra valetudine gaudeat. Sequitur nunc deſcriptio monſtri humani Bononiae nati, quod, ne nimis confuſe pronunciata viderentur, in aere incidendum Noſter curauit. p. 34.

Mulier nempe, quae praegnans in taberna quadam, lucanica farcimina conſpexerat auidiusque appetierat, ob numi penuriam vero cupiditatem explere non potuerat, finitis grauiditatis menſibus filium peperit, in cuius ſuturae lambdoideae medio ingens tumor, exteriorem lucanici farciminis formam exacte referens, duodecim transuerſos digitos longus, quinque in exortu e cranio latus, in progreſſu quatuor, in fine tres, conſpiciebatur. Mortuo, quinquageſimo a natiuitatis die, infante, tumor reſectus, et ad libram expenſus viginti tres vncias pondere fuit. Extremam ipſius partem libra vna ſeroſae colluuiei, citrini coloris occupauit, qua educta totoque tumore per longum diſpertito, ſaccus membranaceus ibidem contentus, pellucidus, a durae meningis protractione genitus, ſeptem vnciarum ponderis, tres vncias aquae limpidiſſimae continens in conſpectum prodiit cuius diameter quinque transuerſos digitos cum dimidio, octo longitudo fuit. Praeter hos tumores in vicinia eiusdem cranii alter adhuc adfuit, ab internae durae matris lamella factus, duas vncias ſubſtantiae cerebri ab hemiſphaeriis mutuatae comprehendens, cuius latitudo itemque altitudo quatuor transuerſorum digitorum fuit. Prior itaque maiorque triplicis huius tumoris ex integumentis communibus cranii, ipſoque pericranio, alter ab externa, tertius vero ab interna durae meningis lamina conflatus eſt; loquitur tandem Cl. Auctor de naeuis et maculis in infantibus ſaepius reperiundis, ad quorum geneſin imaginationis vim multum poſſe adſerit, ſiquidem tanta matris vterum gerentis, ipſiusque foetus in hoc incluſi analogia eſt, vt vix non ſemper maculas naeuosque foetubus impreſſos, propter hanc, a ſola matris imaginatione deriuare conueniat.

Ex

Ex eadem Cl. MATTHAEUS BAZZANI natu- p. 57.
ram virginis monſtroſae, expertis brachiorum, dextroque pede, ob vitium inflexi cruris et genu paulo breuiore inſtructae, Bononiae natae aeque erudite ac eleganter interpretatur. Mater quippe vtero gerens, oculos ſaepius in ſimulacrum ad ſpeciem Diui ANTONII PATAVINI adumbrandam factum infixit, inſitamque in mente iſtius Diui informationem, qualis fuit in imagine, geſſit laeuo nimirum brachio prorſus carentem, dextri particulam ſaltem retinentem, pedibusque ſtantem, altero recta deorſum porrecto, altero parumper inflexo. Ex crebra hac fortique impreſſione celerrime in foetum pulſa factum Cl. BAZZANI exiſtimat, vt inter foetum poſt editum, ipſumque ſimulacrum perſimilis lineamentorum aequalitas intereſſet. Annum egit, vbi Cl. Auctor eam vidit, femina triceſimum tertium, ingenii, induſtriae, morum et quarumcunque virtutum opibus locupletata, omniaque vitae officia inops manuum ſic peragens artubus inferioribus, vt iisdem egere minime videretur. Perurbane nimirum comedit, ſcripſit, ſuta confecit, induſia concinnauit, veſtes ſarciuit, ignem ſuccendit, cibaria parauit, lectum calefecit, puellas in moribus, verborum enunciatione et ſutorum confectione inſtruxit, garrulasque harum pedibus impellens caſtigauit, et plura alia peregit, vt non tam turpitudinis inurendae cauſa, quin potius animi magnitudinis efferendae, monſtroſum corpus ipſi tribuiſſe, et inopiam ſuperiorum artuum, operoſis admodum inferiorum artibus natura reparaſſe videatur.

XIII.

Diſputatio inaugural. de nitro cubico: Praeſide RUD. AUG. VOGEL. M. D. et P. etc. Reſp. *Ioann. Gehrt.* 1760. Goetting. ex off. Schulziana, 4. plagul. 4½.

Quum nullus adhuc vel diſquiſitionem huiusmodi ſalis ſuſceperit, multo minus publice de ipſo aliquid dixerit, quin potius aliqui, tale ſal poſſe praeparari penitus negauerint, ceteri vero falſam parandi methodum docuerint, conſtitit Cl. Auctori cupiditas, conſilio Exc. Praeſidis obtemperare, modumque, quo confici illud poſſit, oſtendere. Eſt
p. 3. vero nitrum cubicum ſal quoddam medium fixum, quod affectiones generales, vtpote fuſionem atque detonationem cum vulgari nitro communes habet, in eo autem diſcrepat, vt ſingulari artificio ex acido nitri atque ſale communi componatur, aliamque figuram, cubicam nimirum oſtendat, cum illud pris-
p. 5. matica ſexangulari ſe ſiſtat. In elaboratione huius ſalis ita Noſter verſatus eſt, vt primum ſalis culinaris quatuor vncias, cum octo vnciis ſpiritus nitri in retortam coniiceret, et liquorem e balneo arenae abſtraheret, qui, cum fortiori igne ebulliret, vapores rubros monſtrabat, et colorem limpidum ipſe prae ſe ferebat, tentatus autem poſtea neutiquam ſpiritus nitri, ſed regis aquae effectus edebat. Re-
p. 6. ſiduum ſal priorem figuram retinebat, ſolutumque, filtratum et euaporatum nec figura nec ipſo ſapore a ſale communi recedebat, niſi quod deguſtatum paululum ſub finem amareſceret. Igni aperto in crucibulo expoſitum decrepitabat, fuſionemque reſpuebat. Superfuſo oleo vitrioli nebulae gryſeae expellebantur. Ex quibus phaenomenis Cl. Auctor concludit, duplam ſpiritus nitri portionem ad productionem

eius-

eiusmodi ſalis neutiquam ſufficere, contra Cl. POTT, id adſerentem, multaque magis contra Cel. MACQUER. qui tertiam ſpiritus nitri partem ſufficere affirmat. p. 10. Duodecim itaque vncias ſpiritus nitri cum quatuor vnciis ſalis fontani deſtillauit, atque quidem adeo lente, vt tres fere dies conſumerentur. Nullus interea rubrarum vaporum adſcenſus fuit. Liquor prolectus altum ſoluit. Sal reſiduum ſolutum et cryſtalliſatum ſubuirideſcens comparuit, magis tamen granulatum quam cubicum fuit, licet in granulis cubica quaedam figura conſpiceretur. Igni in crucibulo expoſitum parum decrepitauit, atque deinde vt nitrum vulgare cum leni ſtrepitu, tenerarumque particularum e ſuperficie in altum protruſione fluere cepit. Puluere carbonum inſperſo, ſub detonatione flammam concepit. Aquam fortem in regiam commutauit, quae tamen lentius, quam ſi ſal commune vel huius ſpiritus aquae forti nubuntur, aurum ſoluere viſum fuit. Cum acido aeque ac cum alcalino liquore nequaquam conſtrepuit, nec violarum ſyrupi colorem immutauit.

Quantumuis autem, ſi tripla ratione ſpiritus ni- p. 12. tri ſumitur, ex ſale fontano nitrum cubicum poſſit obtineri, cauendum tamen eſt, ne intenſo nimis igne deſtillatio acceleretur, cum ſi hoc factum fuerit, merum ſal commune prodire ſoleat. Perquam facile vero id etiam impetratur, ſi quatuor ſpritus nitri partes, ad vnam ſalis communis recipiuntur, vbi liquor prolectus aquam regis exhibet, ſal vero elegantiſſimam figuram cubicam, aut ſi mauis rhomboidalem oſtendit. At enim vero, quum ſalis gem- p. 17. mae cryſtallos nitidiores groſſioresque quam fontani Noſter videret, annon forte ex eo elegantius adhuc nitrum cubicum, quam ex hoc obtineri poſſit, cogitauit. Idcirco ſalis gemmae vnciis quatuor, ſpiritus nitri vncias ſedecim nupſit, et deſtillationem

ex retorta in balneo arenae peregit. Sal reſiduum aqua ſolutum, filtratrum et cryſtalliſatum. elegantiſſimos quidem cubos ſolitarios exhibuit, qui vero chemico examini ſubmiſſi nullas plane nitri, quin potius omnem ſalis communis notas ediderunt. Quod propter maiorem huius ſalis denſitatem ita factum fuiſſe Cl. Auctor exiſtimat, impedientem nimirum, quo minus ſpiritus nitri ingrediretur.

p. 19. Tribus etiam vnciis ſodae hiſpanicae, alcali minerale continentis, nouem vncias aquae fortis affudit, vnde ſal adeptus eſt, cum nitro cubico in omnibus fere conuenientem, figura tamen prorſus ab eo diuerſum, ſiquidem magis ad angularem et ſubrotun-
p. 24. dam accedebat. Porro Cl. Auctor tentauit, an ex alcali minerali, e ſale culinari parato, et cum aqua forti coniuncto nitrum cubicum prodiret. Alcali itaque huic, in aqua calida fontana ſoluto, paulatim ſufficientem aquae fortis copiam inſtillauit, donec efferueſcentia omnis ceſſauerit. Lixiuio euaporato, nitrum quidem cubicum apparuit, aſt cryſtallis exilioribus nec ita regularibus ac ſalis fontani conſpicuum. In medio reliquit Noſter, an vel in aliis laboribus, vbi acidum nitri cum ſale communi combinatur, v. c. in praeparatione mercurii ſubli-
p. 25. mati etc. nitrum cubicum ſe efferat hoc autem, quod fortius acidum nitroſum debilius ſalis communis ex toto expellat, prorſus neget, et ex aquae fortis, in aquam regis mediante nitro cubico commutatione comprobat, nitro cubico aliquid acidi ſalis ineſſe, ſine quo id efficere non poſſet.

p. 28. Affectiones huius ſalis a Noſtro in communes tam cum aliis ſalibus, quam cum nitro vulgari, ac in ſingulares diuiduntur. Communes cum aliis ſalibus ſunt; quod 1) aqua ſoluatur, 2) ſal medium fixum ſit. Communes vero cum nitro deprehenduntur: 1) ſapor nitroſus 2) fluxio in igne, 3) in flam-

mam

mam cum ſtrepitu eruptio, ſi carbonum puluis inſpergitur. Singulares proprietates iterum ſubdiuiduntur in tales, quae iam ab aliis animaduerſae, et in eas, quae a ſe primum perſpectae ſunt. Ad priorem claſſem pertinent 1) figura ſalis cubica 2) mercurius viuus ex aqua forti praecipitatus albo colore 3) ſal mirabile GLAUBERI enatum, ſi cum carbonibus calcinatum et cum oleo vitrioli combinatum fuerit, 4) aqua regia ab eius cum oleo vitrioli deſtillatione, producta, et ſal mirabile a deſtillatione remanens, 5) dimiſſio partis alcalinae terreae ſalis communis a ſale tartari eius ſolutioni infuſo, et reſidui in ordinarias nitri cryſtallos concretio.

Singulares et nouae a Cl. Auctore primum animaduerſae proprietates ſunt: 1) figura cubica non caua eſt, nec in altera ſuperficie pyramidalis vt in ſale communi 2) ſapor nitroſus eſt, neque tamen ita penetrans atque nitri vulgaris, 3) in aqua frigida ſat magna quantitate ſoluitur, 4) in ſpiritu vini etiam calefacto non ſoluitur, neque hoc affuſo ex aqua praecipitatur, 5) in omnibus ſpiritibus mineralibus acidis ſoluitur non tantum, verum etiam cum omnibus aquam regis conſtituit. Citiſſime tamen ſoluitur illud in aqua forti, lentius in ſpiritu ſalis, in ſpiritu vitrioli lentiſſime. Praeter ea aurum ſub ſolutione in ſpiritu ſalis, nitro cubico impraegnato, non nigreſcit, ſed colorem ſuum luteum retinet. 6) Soluitur quoque in aceto, ſpiritu tartari, et ſalis ammoniaci, 7) alumen ex aqua plane non praecipitat, 8) vitriolum viride ex aqua poſt plures demum horas exturbat, 9) cretam ſecum in fluorem rapit, parum vero eius ex aqua forti praecipitat, 10) progreſſu temporis humidum ex aere attrahit, minus tamen quam illud ex ſoda paratum, 11) in crucibulo candefacto ſemper cum aliquo ſtrepitu fluit, et p. 29.

hunc

hunc inter tenerrimas particulas explodit, quae in prunas incidendo, ſcintillationem excitant, ſub fluore ſenſim conſumitur, et per crucibulum totum ſe
p. 32. penetrat. Eſt itaque nitrum cubicum ſal medium fixum, ex duplici acido, nitri quippe ac ſalis communis et huius minerali alcali conflatum.

XIV.

Der monathl. herausgegebenen Inſecten Beluſtigung dritter Theil, worinnen auſſer verſchiedenen, zu dem in den beyden erſten Theilen enthaltenen Claſſen, gehörigen Inſecten, auch mancherley Arten von acht neuen Claſſen, nach ihren Urſprung, Verwandelung und andern wunderbaren Eigenſchaften, aus eigener Erfahrung beſchrieben, und in ſaubern illuminirten Kupfern, nach dem Leben abgebildet, vorgeſtellet worden von AUG. IOH. RÖSEL *von* ROSENHOF. *Nürnberg zu finden bey dem Verfaſſer,* 1755. 4. *Seiten* 244 *nebſt* 101 *Tafeln, nebſt* 2*en illuminirten Tittelblättern.*

i. e.

Deliciarum ex inſectorum contemplatione per menſes enatarum Pars tertia. Auctore A. I. ROESEL de ROSENHOF.

Quum alio iam tempore in Commentariis noſtris *) huius partis III mentio ſit iniecta, ſummaque eius, quantum tum fieri poterat, tradita; non poſſu-

*) vid. Comment. Vol. IV. Part. I. pag. 215.

poſſumus non, quin maximam partem res, quas continet, praetermittamus atque eas potius, quae ſuperſint, lectori indicemus. Pertinent huc egregiae, et laborioſae de polypis aliisque inſectis aquaticis diſputationes. Ob rei grauitatem Cl. Auctor eorum deſcriptiones ſic diſpoſuit, vt velut peculiaris libellus venalis eſſe poſſit hoc titulo viuis coloribus ornato:

Hiſtorie der Polypen und anderer kleiner Waſſerinſecten.

Hiſtoria polyporum aliorumque inſectorum aquaticorum.

Magnum hiſtoria naturalis augmentum ab eo tempore coepit, quo Cl. TREMBLEY. caſu quodam inſectorum genus, cui polyporum nomen impoſitum fuit, inuenit, quorum natura, ortus et propagatio omnes in admirationem laudemque ſummi artificis vehementer impellit: diſſecti enim hi polypi redintegrari videntur, et quae caute ſecando ſeparatae ſunt partes, in noua et perfecta animalcula mutari.

Hac incredibili polyporum oeconomia Cl. Auctor excitatus, omnem, quam poterat, operam nauauit, eorum naturam enucleare atque a Cl. TREMBLEIO aliisque inſtituta ſuper eos tentamina repetere. Diſtribuuntur vt conſtat, polypi in marinos et alios in aquis dulcibus habitantes. Cl. ROESELIUS modo de aquarum dulcium polypis exponit, eosque diuidit in polypos manibus plumoſis et cornuformibus inſtructos. Quorum tentacula plumulam referunt, duo deſcribit genera; cornuformium vero quatuor; huc pertinent, polypus pallide luteus, colore aurantiorum, obſcure fuſcus et elegans viridis. Sequuntur deinde aliae inſectorum aquaticorum deſcriptiones et delineationes v. c. de hydris, nereide lacuſtri, voluocibus cet.

p. 437.

p. 442.

Poly-

p.447. *Polypus plumoſus* vel ſecundum Cl. LINNAEUM tubipora repens (*der Federbuſch Polyp*), corpore ramoſo dichotomo, ſtellis filiformibus, radiatis. Menſibus Maii, Iunii, Iulii, Auguſti ſatis frequens in piſcinis, lacubus lenticulis aquaticis obtectis. Minimo aquae motu tentacula, quae iis manuum ſunt loco, contrahunt. Mors ſeniorum et propullulatio iuniorum plerumque contingit menſibus Iulii, Auguſti, quo tempore vnus ab altero ſe ſeiungere ſolet. Lenticularum ſeminibus delectantur eaque exedunt. Cultello ſeparatus ramulus plumula ornatus poſt duas hebdomades peculiare conſtituit animal nouos paullatim protrudens ramulos. Plumulam ſeu tentacula mirum in modum ita mouent, vt aqua ore expulſa, vortices efficiant, qui hoc ſingulari motus genere ſemina dicta ori admouerant. Sic polypi hi ſuam inopinata naturae lege vitam ſuſtentant.

p.465. *Polypi pallide lutei* iisdem, vt antecedentes in aquis reperiuntur. Si lente conuexa 2 vel 3 digit. inferiores lenticularum paginas perluſtres, facile eos magna copia detegere poteris. Corpus oblongum, tenue ſenſim poſteriore parte attenuatum, tentacula capiti infixa in orbem ſunt poſita, numero 4, 5 vel 6. Inſecta minima, in aquis degentia, praedantur. Contracto corpore vt frumenti ſemen conſpiciuntur. Propagandi ratio ſimilis eſt ei, quae in polypo plumoſo eſt animaduerſa. Locus, vbi noui ramuli excreſcunt, indefinitus eſt, raro ex vna matre tres ramuli propullulant.

Polypi aurantiorum colore incredibili menſe Auguſti numero in aquis ſupra dictis reperiuntur. Quum vita eorum longior, nec tantus ad eos conſeruandos labor requiratur, tentaminum inſtituendorum cauſa omnium optimi putantur. Corpus oblongum, ſenſim tenuius, extrema parte clauatum.

Mi-

Miranda eſt tentaculorum filiformium longitudo, quae ſaepe eſt ad corporis longitudinem, vt 3 vel 4 ad 1, tentacula fiſtuloſa, numerus eorum incertus. Plures, quam reliqui polypi, pullos protrudunt. Corporis forma innumerabili modo mutabilis. Mouentur de loco in alium non natando, ſed alia ratione, ſcil. primum hirudinum more, ſecundo dum capite alii corpori affixo, caudam ſurſum attollunt arcuatimque ſe cum cauda affigunt et ſic porro. Dum adſcendere conantur, tentaculis ſuis corpus quoddam adprehendunt, corporeque contracto adprehenſionem repetunt etc. Similiter contrario ordine profunda petunt. Praeter alia inſecta, quibus victitant, perſequi ſolent nereides lacuſtres (*Waſſerſchlänglein*). Quando adnatantem praedam capere p.480. annituntur aut eam omnibus tentaculis auide arripiunt; aut praeda, quam vno vel altero tentaculo celeriter tangunt, in eis tanquam materie aliqua viſcoſa adhaeret, quo facto eam ori citiſſime admouent. Hac ratione eiusmodi inſecta minima, pulices aquatici vulgo dicti, capere ſolent. Quodſi praeda, quam expectant, ſit nereis lacuſtris, tunc eam vno vel pluribus tentaculis ſerpentum more complectuntur. Conſumpto cibo quieſcunt, praeterlapſis circiter vna vel duabus horis excrementa per os iterum euomunt. Interdum plures polypi eiusmodi anguiculum arripiunt, quo caſu alter, qui pluribus gaudet viribus alterum vincit.

In ſecandis ad longitudinem polypis cauendum, p.486. ne ſpatio 1 2 horarum plus ſemel inſtituatur ſectio, alias partes, quae ſeparatae ſunt, denuo coaleſcunt. Porro ne ſectio prius fiat quam polypus tertiam, dum corpus extendit, eius partem obtinuerit. Diſſecto ad mediam vsque corporis partem capite polypus polycephalos euadit; poteſt quoque cauda ſimili ratione in partes diuidi. Hoc modo Cl. ROESELIVS polypum

lypum 8 capitibus 22 tentaculis et 2 caudis obtinuit. E ſeparatis vno vel pluribus tentaculis noua animalia proueniunt; idem contingit, ſi caput a re-
p.500. liquo corpore ſeiungas. Non eadem eſt, polyporum moriendi ratio, a latere quibusdam excreſcit tuber, ex quo tandem globulus proſilit, polypusque moritur. Quandoque laborant morbo pediculari, qui pediculi, ſic liceat hoc inſectorum genus tantiſper nominare, ita pertinaciter tentaculis totique polyporum corpori adhaerent, vt eos vix ac ne vix quidem diuellere queant.

p.505. *Polypus obſcure fuſcus* tentaculis omnium longiſſimis inſtructus. Corpus ſimile eſt eis, de quibus antea diximus. Tentacula extendere et contrahere mirum in modum valet. Pulli ea corporis parte, vbi anguſtius eſſe incipit, proueniunt, nec a matre prius ſeparantur, quam eandem matris magnitudi-
p.531. nem recuperarunt. *Polypi* virides non adeo frequentes vt reliqui. Totum corpus et tentacula colore viridi ſuperbiunt. Incertus tentaculorum numerus plerumque 9, 10, 12; eorum longitudo, cum expanſa ſint, vix corporis longitudinem attingit. Caput reliquumque corpus diuerſimode mutabile. Quandoque vnus alterum ingurgitat atque iterum euomit; quae res, cum mira ſit, tamen longe mirabilius aliud ſpectaculum, quod omnem ferme fidem ſuperat, quodque a ROESELIO primum obſeruatum fuit, nimirum diſſectus polypus alium, qui adhuc integer erat, vel alteram partem diſſecti, deglutiuit.

p.547 Quum magna ſit animantium ſentiendi variatio, quaeſtio extitit, quot ſenſus et quales polypis attribuendi? Eis tria ad minimum, affirmat Auctor, ſentiendi genera eſſe largienda, ſcil. viſio, guſtus, et olfactus. De oculis quidem nil definiri poteſt, opinatur tamen granula illa diaphana, quibus po-

lypo-

lyporum corpora et tentacula quasi adsperſa ſunt, forſitan oculorum eſſe loco.

Nereis lacuſtris linearis, lingua exſerta filiformi ſatis longa, vtrum, quod extenſum eſt filum lingua an potius antenna appellandum, paullo dubia adhuc res eſt; obſeruauit tamen ROESELIUS, hoc filum nunquam ab animalculo contrahi neque extendi. Interdum caudae vnius altera ore adhaeret. Nulli ei ſunt pedes, ſed rectius ſpinae filiformes, ergo falluntur, qui eos in millepedum numero habent. Infra caput ſtatim conſpicuum eſt inteſtinum, 40 ſegmentis conſtans, per vniuerſam corporis longitudinem exporrectum. *Tab.* 90 exhibet graptolithos nonnullos, polypos noſtros aquarum dulcium pictura aſſimulantes. p.483. p.551.

Sequuntur deſcriptiones trium anguiculorum aquaticorum, quorum magna eſt cum polypis conuenientia, diuiſi enim in duas pluresue partes non pereunt, quin potius ſeparatae partes vt noua animalcula viuunt, et creſcunt, quae iterum in alias diuidi poſſunt partes. p.567.

Hos anguiculos excipiunt pſeudopolyporum picturae et deſcriptiones (*Afterpolypen*), quorum ſatis magnus eſt numerus atque affinitas aliqua cum polypis proprie ſic dictis, maxime tamen in eo differunt, vt nullo modo, vt alii polypi in partes, noua animalcula conſtituentes, diuidi poſſint; a Cl. LINNAEO hydrae appellantur horumque ROESELIUS ſequentes deſcripſit: hydram digitalem tab. 98, berberinam tab. 99, vmbellariam tab 100, opercularíam tab. 98, pyrariam tab. 98, crataegariam tab. 98, conuallariam tab. 97, ſtentoriam tab. 97, ſocialem tab. 95. p.585.

Vltimo loco explicantur voluox globator et chaos, horum admirandorum animalium corpora gelatinoſa, artubus deſtituta, ſubrotunda. Voluendo p.617.

se mira celeritate mouent. Inprimis contemplatione dignus est alter chaos nominatus, cui nulla propria et constans forma, corpus enim perpetuo et citissime immutare solet. Quod in causa fuit, qua propter Cl. ROESELIUS eum proteum (*den kleinen Proteus*) appellauit; nam profecto mutabilior est Prometheo. Proles subrotundi intra animalculum conspicui, qui separati vt noua eiusdem generis animalcula obseruantur.

XV.

Der monathl. herausgegebenen Insecten Belustigung, vierter Theil, in welchem ausser verschiedenen in- und ausländischen Insecten, auch die hiesige grosse Kreuzspinne nach ihrem Ursprung, Wachsthum und andern wunderbaren Eigenschaften, aus eigener Erfahrung beschrieben und in 40 sauber illuminirten Kupfern nach dem Leben abgebildet und vorgestellt worden, von dem verstorbenen vortreflichen Mignaturmahler Herrn AUG. IOH. ROESEL *von* ROSENHOF, *der Altdorfischen deutschen Gesellschaft Ehren Mitglied, nebst einer zuverläßigen Nachricht von den Lebensumständen des Herrn Verfassers, beschrieben und herausgegeben von* C. F. C. KLEEMANN, *Mignaturmahler. Nürnberg, zu finden bey den Röselischen Erben.* 1761. 4 264 *Seiten,* 40 *Taf. mit dem Bildnisse des Herrn Rösels.*

i. e.

i. e.

Deliciarum, ex inſectorum contemplatione, per menſes euulgatarum pars quarta, in qua praeter alia inſecta aranea diadema quoad originem, aliasque proprietates deſcribuntur et figuris, coloribus pictis, viuum exemplar imitantibus, proponuntur auctore AUG. IOH. ROESELIO DE ROSENHOF pictore, opus poſthumum a C. F. C. KLEEMANN, pictore in lucem editum.

Si adgrediamur hic, Cl. Virum ROESELIUM meritis laudibus efferre, ſuperuacaneum laborem ſuſcipere videamur, cum nemo non eum laudarit, nec quisquam delineandi pingendique accurationem vituperare queat; non poſſumus tamen non laudare diligentiam et acumen in perſcrutandis rebus naturalibus, quibus tantam lucem adfudit, vt poſt REAUMURIUM aliosque maximos in hiſtoria naturali viros ferme omne punctum tulerit. Quod igitur magis dolendum, quam tanto ad naturam pictore carere, qui, ſi nunc in vitam poſſet reuocari, innumera alia naturae arcana reuelare conaturus eſſet. Sed prouida et admiranda natura hanc legem ſanxit, vt omni tempore explorandarum detegendarum rerum copia poſteris ſupereſſet. Ad opus quod attinet, cuius delineationem paucis cum lectore communicare decreuimus; poſt mortem laudati viri a KLEEMANNO, ROESELII cognato, in lucem proditum continet expreſſas varii generis inſectorum imagines, vna cum ipſa Cl. Auctoris imagine. Addita ſunt huic tomo praefatio, vita Roeſeliana et index. In praefatione de operis ratione aliisque, de quibus nnnc dicendum eſt, ex-

ponitur. In animum beatus ROESELIUS induxerat, cochleas, hirudines, lumbricos, araneos, pediculos etc. deſcribere atque ea, qua ſolebat, ſedulitate depingere, ſed praematura mors, quo minus tam laudabile decretum perficeret, eum impediuit. Attamen, quod omnium expectationem meretur, beatus Auctor quasdam de lacertis aquaticis nominatim, ſalamandris et chamaeleone exquiſitas imagines et deſcriptiones reliquit, quas omnes, ſi Deus volet, Cl. KLEEMANNUS publici iuris facere conſtituit. Atque propterea, hanc ſibi legem tulit, vt, ſi fieri poſſet, inſectorum deſcriptiones picturasque continuaret in opere quodam hoc titulo inſignito.

Beyträge zur allgemeinen Natur und Inſecten Geſchichte; 4to.

i. e. Supplementa ad inſectorum aliarumque rerum naturalium hiſtoriam pertinentia.

Quum de ROESELII memoria iam alio loco *) ea, quae commemoratione digna eſſe exiſtimauimus, tradita ſint, ſilentio eam praetermittimus, ac potius ad ipſas inſectorum deſcriptiones properamus.

Tab. I. fiſtit ſcarabaeum, cui nomen ſilpha veſpilio ſecundum LINNAEUM, vulgo *der Todtengräber:* Mirum animal, putrefacta cadauerum carne delectatur, plerumque ſuper terram curſitans, odore fragrante, corpore oblongo, clypeo marginato, elytris nigris, faſciis duabus transuerſis ferrugineis. Minora cadauera v. c. ſerpentum, bufonum, talparum cet. mira celeritate propagandi generis cauſa ſepeliunt, terram pedibus anterioribus effodiendo. Antequam ipſam cadaueris ſepulturam ſuſcipiunt, quaſi anxii plures indolem terrae ſubiacen-

*) vid. Comment. noſtr. Vol. VIII. Part. III. p. 563. ſeqq.

centis, longitudinem latitudinemque ſepeliendi cadaueris perluſtrant. Peracto labore coeunt, femella ouula ſua in ſepultum cadauer ponit; finitis ſic quinque vel ſeptem diebus in conſpectum veniunt, ſed oheu! tam immutata facie, vt alia apparere animalia crederes, ſcilicet vniuerſum tunc corpus obtectum eſt quodam inſectorum genere, quod vulgus pediculos appellat, rectius tamen acaros coleoptratorum dixeris; quorum deſcriptio et delineatio eadem tabula luculenter ob oculos ponitur. Laruae nominati ſcarabaei ſtatim poſt duas hebdomades ex ouulis egrediuntur, ſuaque alimenta in ſepulto cadauere magna auiditate ſuum more quaerunt. Per tres prope hebdomades velut chryſalides in terra latent, tandem vt ſcarabaei conſpiciuntur. Papilionum, ſphingum et phalaenarum ſatis multae obueniunt picturae v. c. tab. 2 et 3 papilio phaetuſae, pſidii, cupido, melpomene; tab. 5 ricini, polymnia; tab. 6 ſcarabaeus hercules, bombyx militaris; tab. 7 bombyx tau; tab. 8. ſphinx celeris; tab. 16 et 17 phalaena pauonia, multaque alia ad inſecta lepidaptera pertinentia. Quum vero omnium hoc loco, quae deſcribuntur inſecta, mentio fieri non poſſit, nec facile deſcriptiones excerptae ſine iconibus intelligantur, pauca quaedam de gryllo mante, ſcarabaeo fullone, araneoque diademate adiungamus. *Gryllus* mantis (*das wandelnde Blatt*) patriam non modo Indiam habet, ſed in Vngaria quoque aliisque Europae regionibus inuenitur. Aliis inſectis, dum adulti facti ſunt, inprimis culicibus, quos apprehenſos anterioribus pedibus tanquam manibus ori adplicant, omnium gratiſſimo cibo veſcuntur. Formicae hoc gryllorum genus maximerperſequuntur, vnde fit, vt inexplicabili lege naturae pulli ſtatim ex ouulis excluſi inſtinctu quodam formicas valde abhorreant. Vita eorum circiter an-

p. 15.

p. 20.

p. 89.

nua. Menſe ſeptembris pereunt, dum oculi, qui olim viridi colore ſplendebant, nunc palleſcentes imminentem mortem indicant.

p.203. Scarabaeus fallo (*Reisſprenklichte Iuliuskäfer*) inter maiores numerandus; a quibusdam propter conuenientiam, quae ei eſt cum ſcarabaeo melolontha (*Maykäfer*) pro varietate eius eſt habitus. Mari antennae foliaceae, oblongae, ſeptenis lamellis aequalibus; feminae vero ſubrotundae. Corpus obſcure fuſcum albis maculis irroratum. Eundem eſſe, quem PLINIUS fullonem albis guttis deſcribit, admodum veriſimile putatur. Folia hi ſcarabaei arborum in pomariis plantatarum, quercuum, graminum etc. non ſine damno incolarum conſumunt. Coeundi modum Cl. ROESELIUS nunquam obſeruare potuit, verum, opinatur, eum ſine omni dubitatione cum melolontharum coitu conuenire. Cum capiuntur vel digitis premuntur dicti ſcarabaei, crepitantem vocem emittunt, quam attollendo et deprimendo elytra vna cum toto abdomine, contrario tamen motu producunt.

p.241. De araneis primum recte monet beat. Auctor, ne cum quibusdam acoris aquaticis et phalangio confundantur, eosque in duo agmina diſtribuere conatus eſt, ſcilicet in eos, qui in aqua, atque alios, qui in aere viuunt. Araneorum terreſtrium quinque claſſes conſtituit; prima continet eos, qui retia orbiculata ad perpendiculum extendunt; ſecunda, quorum retiola ex filis transuerſim ductis conſiſtunt et in angulis parietum, aediumque plerumque inueniuntur; tertia eorum, qui fila ſine ordine diuerſimode extendunt; quarta ſaltatores complectitur; vltima, qui pedibus in parietibus, arboribus, plantis etc. quaſi affixis et exporrectis conſpiciuntur. Oculi immobiles ſunt, quod in cauſa fuit, cur ſapientiſſimus creator eos pluribus ornauerit, vt ſurſum, deorſum

ſum et a latere quaeque internoſcere queant. Vtrum plurimi aranei veneno quodam ſcateant vel ipſi incaute deuorati hominibus noceant? negat cum Cl. CAR. CLERK, remque exemplis fide dignis confirmat. Vir quidam prouectae aetatis per omnem ferme vitam ſuam araneos obuenientes quoque coepit, eosque auide commedit. Quandoque tot, quot inuenire poterat, ſine vllo ſpecierum diſcrimine, purgandi aluei cauſa, cum tabula panis eis ſuperillinita absque vllo periculo ſumſit. De tuberculis in extrema alui parte, vnde fila ad extendenda retia emittuntur, eſt eruditorum diſſenſio aliqua. Beat. ROESELIUS in araneo diademate, quem deſcripſit, cum LEUWENHOEKIO quinque obſeruauit. Admiranda eſt horum tuberculorum ſtructura omnesque partes internae, quae armatis oculis delineatis tab. 37. 38 contemplatorem quemque mirum in modum gaudio perfundet. Maribus duo ſunt membra genitalia, quouis brachio ſub oculis ante pedes oblique poſita; feminis contra brachia recta. Coeundi modum eundem eſſe, quem CLERKIUS aliique obſeruarunt, beat. Auctor aſſerit. Vehementer falluntur ei, qui ſibi perſuadent, araneos bufones pungendo occidere, repetitis enim ſaepe tentaminibus Cl. Auctor comperiit, inanem nullaque ratione firmatam eſſe hanc opinionem. Sic finitum eſt theatrum ſplendidiſſimum Roeſelianum, quod auctoris nomen mortale eſſe, nunquam permittet, ſed poſteros omnes de admiranda eius naturalium rerum pictura afficiet admiratione ſumma. p. 247. p. 253.

XVI.

The natural Hiſtory of Barbados. In ten Books. By the reverend Mr. GRIFFITH HUGHES, A. M. Rector of S. Lucy, Pariſh, in the ſaid Island, and F. R. S. London, Printed by Author 1750 fol. 3 Alph. 14 pl. tab. aen. 29.

h. e.

Hiſtoria naturalis inſulae Barbados, decem libris comprehenſa. Auctore GRIFFITH HUGHES.

In natura perſcrutanda multum adhuc reſtat operis, notante id PLINIO, multumque reſtabit, nec vlli nato poſt mille ſaecula praecluditur occaſio aliquid adiiciendi. Quare laudanda omnino eſt ſingularis Noſtri ſolertia, qui oblata ſibi occaſione, eam praetermittere noluit, quin circumſpiciendo, num addi noui quidquam poſſit, intelligeret. Factum inde eſt, vt ad finem praefationis, qua dignitatem ſtudii naturalis hiſtoriae, ad amplificandam diuinam ſapientiam, demonſtrare anniſus eſt, ſimul adſeueret, ſe de nulla retuliſſe re, quam vel ipſe non viderit, vel ab aliis fide dignis viris non acceperit. Praemittitur toti operi totius inſulae geographica delineatio, ipſum vero opus in decem libros diuiditur.

Primus ex his totius regionis conſiderationem ſuſcipiens, aeris, ſoli, climatis, ipſius populi natiuam indolem inueſtigat, cauſas, naturam curationemque morborum vero ſecundo libro reſeruat, nec non aquas, foſſilia et cryptas ſubterraneas diſquirit, quo facto tertio libro ad animalia, in terra viuentia, qua-

quadrupeda, volatilia, reptilia et insecta progreditur. Sequentes quinque libri vegetabilibus dicati sunt, a quarto scilicet ad octauum vsque, continent generalem botanico-physicam disquisitionem plantarum, in hac insula occurrentium, quarum numerus ad quadringentas accedit, diuiduntur hae in nuciferas, pomiferas, bacciferas, pruniferas, siliquosas et anomalas. Nonus deinde occurentes ibi conchas, et zoophyta complectitur, decimus vero, pisces marinos, aliaque producta marina, nondum satis descripta, explicat. De singulis in tanta rerum varietate aliqua, notatu vtpote digniora, proponemus.

Postquam multis probare annisus est Cl. Auctor argumentis, Indicas olim gentes possedisse atque inhabitasse insulam, de colore Aethiopum recte iudicat, eum a solis aestu non dependere, nec nisi ad cutem nigritiem illam pertingere, quippe quae, quacunque iniuria destructa, alba maneat, etiam resarcita. Ea vero soli, quod inhabitant, natura est, vt in profundioribus locis terra nigra, in elatioribus rubra, in vallis alba, calcarea aut margacea, in maritimis arenosa sit, hinc variis nutriendis plantis apta euadat, ipseque aer ad fertilitatem et incolarum longaeuitatem non parum confert. p. 14. p. 19.

A morbis interim non immunis est insula, quos secundo libro Noster considerat. Multi hic occurrunt, qui climati calido sunt proprii, id quod in canibus etiam rabiem excitauit, qua occasione refertur, vaccam, a cane rabido demorsam, a rabie liberatam fuisse, dum serui os violenter aperuerint et magna copia aquam ingurgitauerint. Frequentius occurrit colica, cum intolerabilibus ventris doloribus, vrinae effluxu pauco, respiratione foetida; dolores saepe ad artus feruntur, aliquando ad ventriculum, epileptici motus accedunt, cum paralysi artuum. p. 31. p. 34.

tuum. Curandi methodus, adhibita, per purgantia parum vtilis, noſtro ſeculo per anodyna, antihyſterica, vtique conducit. Nec non, praecipue inter pauperiores, diarrhoeae et dyſenteriae graſſantur, pluuioſo excitatae tempore, perſpiratione imminuta atque abuſu fructuum crudorum. Inter alia ipecacuanha, rhabarbarum, mucilaginoſa et lenia adſtringentia adhibentur commode. Porro malignae febres graſſantur, quandoque epidemicae, quas Marſiliis ad Martinicum translatas fuiſſe ferunt cum mercibus, anno huius ſeculi viceſimo primo, obſeruatae tamen fuerunt iam praecedente ſeculo in hac inſula.

Recenſet hic Cl. Auctor ſymptomata, quae aliis febribus malignis ſunt communia, niſi, quod luteus corporis color, in primis ſi in oculis appareat, funeſtus deprehendatur, vnde etiam febrem flauam, *Yellow fever*, nominant. Sanguis autem, ſi mittitur, coccineus apparet, nec coagulatur, et in de-
p. 30. mortuis putredinis ſigna apparent. Variolae fere in inſula perpetuae ſunt, ſed poſt inoculationem inſtitutam pauci pereunt, morbilli vero ſunt periodici, atque fere omni octauo anno recurrunt. Lepra intra ſexaginta demum annos vehementer propagata eſt, nec hereditariam eſſe Noſter autumat, niſi a parte maris, quod exemplo comprobat, quum vxor cum marito leproſo infantes genuerit leproſos, cum alio viro puros et ad priorem redeuns iterum leproſos procreauerit. Incipit morbus cum tumore auris externae, caſu pilorum ſeu ſupercilio-rum, facies fit vnctuoſa, exaſperata tuberculis, labia naſusque porro intumeſcunt, digiti manuum pedumque intorquentur et exulcerantur, infectio tandem ad omnes partes propagatur, difficulter autem perſanantur vlcera. Elephantiaſis, inter nigros non rara, incurabilis exiſtit, et per plures, aliquan-

quando viginti annos, durat, neque amputatio partis opem tulit, quum mala semper materia ad alias deuoluta sit. Singularis cutaneus morbus est *vermis Guineensis*. Generantur hi vermes in aquis stagnantibus et potu ingeruntur in corpus, vel balneis: sunt autem admodum tenues et longi, in conspectum demum veniunt, si aqua talis in vitro cum aqua pura recenti commiscetur, tunc enim post duos tresue dies pelluciditatem suam perdunt et opaci euadunt Reperti sunt ad vlnae longitudinem et per cutim transeuntes in membrana adiposa celeriter mouentur, alios sensim aliosque locos corporis occupantes. Destrui eosdem feliciter hoc remedio Noster adstruit, si nempe vncia vna allii, piperis nigri in puluerem redacti, et totidem florum sulphuris, cum mensura spiritus sacchari misceatur, huiusque infusi mane tribus quatuorque vicibus cyathus propinetur. Primum hi vermes pedes plerumque aggrediuntur et titillatione et pruritu, mox ingenti dolore sese manifestant, et nisi acu vel alio modo protinus remoueantur, mox per cutem ingrediuntur, oua ponunt et innumerabili ratione sese propagant, admodum voraces. Ab initio quoque destruuntur, si pars adfecta, vnguento, ex sapone Castiliano et oleo confecto, inungatur. Singulares etiam morbi sunt harum regionum *Body Yaws* et *Ranniky Yaws*. Prior omnes fere partes corporis occupat, tuberculaque sistit, posterior in articulis sedem figit, et saniem fundit. Videntur vlcera venerea esse, a parentibus ad infantes traducta. p. 41. p. 42.

Haec de morbis: sequitur fossilium historia, quae tribus capitibus absoluitur, vnum aquarum scrutinium continet, alterum fossilia in specie, tertium mineralia considerat. Recenset autem praecipuas aquarum scaturigines Cl. Auctor, eorun-

eorundemque aquarum grauitates ſpecificas, cum aquis nonnullis mineralibus comparatas ſingulari tabula exprimit. Inter quas aliqua, ex cauea Colei hauſta, ſtyptici ſaporis cutaneis morbis medetur.

p. 45. Puriſſima eſt, reliquis leuior, in OSBORNI puteo aqua, a calore enim aeſtuque ſolis leuiſſimas moleculas in vaporibus diſſipari credit Noſter, reliquas impuriores relinqui, has ea propter, vtpote profundius hauriendas, non mutari. Idem fons in nephriticis morbis vtilis eſt. Occurrunt etiam in hac inſula fontes minerales chalybeati, quippe qui cum puluere gallarum rubicundo vel purpureo tinguntur colore, ſed nondum ad vſum adhibiti. In vniuerſum tamen latera ſcaturiginum non nunquam viridi obducuntur cruſta, cui inſunt minora inſecta, admodum mobilia, quatuor pedibus in ſingulo latere inſtructa; occurrunt etiam cimices aquatici, quorum mutationes Noſter deſcribit. Notatu dignum eſt, tempore aeſtiuo, et ſicco, ſpumam viridem ſuper aquas natare, quae venenum eſt animalibus, ſimul cum aqua eam ingurgitantibus. Per microſcopium inuenit Cl. Auctor, in guttula plures contineri faſces, ad oras ſpiculis armatos, nec non annulos, quaſi catenae ſibi adnexos, num animalcula inſint, detegere non potuit.

p. 50. Inter foſſilia, quae proximo loco recenſentur, ſolum eſt bitumen. In hac inſula viride bitumen inuenitur, quod ſi effoditur terra eo loco, vbi exſudat illud, aqua profilit, cui ſupernatat illud bitumen, liquidum ab illa ſeparatum tantae inflammabilitatis eſt, vt olei ad inſtar lampadi indatur et flammam alat; paralyſin praeter ea neruorumque morbos efficaciter curat, et in exanthematibus prodeſt. Ob ſubtilitatem enim ſuam penetrat ſic, vt ſi equo datum ſit, illudque vehementer moueatur, olfactu ſui praeſentiam prodat. Humus eo, vbi exſudat, loco in-

foe-

foecundus redditur. Aliud etiam genus bituminis ſolidum alibi effoditur, quod cum bitumine, ex lacu aſphaltide proxime conuenit. Si caſu ignem capiat vena eiusmodi bitumine plena, incendium diu durat, ſine detrimento tamen vicinorum locorum. Quare hac occaſione Cl. Auctor in opinionem CLERICI fuſius inquirit, qui deſtructionem Sodomae et Gomorrae naturalem eſſe voluit, eamque refutat.

Sequuntur mineralia. Aurum rariſſimum eſt, p. 54. aliquando detectus eſt pyrites flauus. E mari eruuntur lapides, ferruginei coloris, ferri forte participes, odore fracti ſulphur olent. Selenites etiam et talcum occurrunt, nec non odorifera quaedam reſina. Conchylia terrae intermixta inueniuntur, accepit Cl. Auctor etiam echinitem. Cryptae ſubterraneae variae adſunt, ex quibus cryptam Coleanam deſcribit, quam cum magno periculo ingreſſus eſt Noſter, et multa ſtalactitide conſtantia, inuenit ibidem opera.

Properamus ad tertium librum, qui animalium p. 61. hiſtoriam tradit. Conciſa illa eſt, aliqua tantum adducemus: eſt aliquis malignus et peſtilentialis inter pecora morbus, quo ceterum bene valentia, ſubito mortua cadunt. Solent quidem ea comburi, ſi vero accidat, vt aliquis eiusmodi demortuo animali veſcatur, hepate praecipue aut inteſtinis, de vita periclitatur. Factum eſt, vt femina, capite geſtans eiusmodi cadaueris partem, a delabentibus in ſiniſtram mammam ſanioſi cruoris guttulis ita grauiter adficeretur, vt cancroſo quaſi vlcere depaſcerentur omnia ad oſſa vsque, et, quum nulla ſanationis ſpes ſupereſſet, applicato tamen vnguento, ex emollientibus et vulnerariis herbis, cum melle et axungia equina ſanaretur. Oues non lanam ferunt, ſed vt caprae piloſae ſunt. Pauca etiam venenata animalia

hic

recenſetur *Ficus Bengalenſis*, eſt ea, quam Indicam vocat Ill. LINNAEUS, cuius rami filamenta in terram dimittunt, nouas radices agentes: *Malpighia*, delineatur *Olea ſylueſtris*, *Mombin*, foliis inſtruitur pinnatis, fructu pulpoſo nucleum continente, deinde *Papaya*, mas et femina, *Bonana*, quae *Muſa* eſt, *the Tree Ieſſamin*, cuius corollae pentapetalae deſcribuntur, quae tamen in icone monopetalae eſſe videntur, et fructum ſeu capſulam longam ferunt; porro adducitur ſub nomine, *the Horſe-Nicker, or Chick-Stone Tree*, cuius genus itidem obſcurum, folia habet pinnata, foliolis ouatis, petiolis ſpinoſis, calyx triphyllus, deciduus, petala quinque, fructus capſula echinata, magna, ſeminibus rotundis foeta: *Cytiſus* etiam arboreſcens hic exhibetur et aere inciſa proſtat, nec non *Senna*, quam Coluteam appellat Noſter. Praeter has paucas, multas adhuc habet hic liber, eodem modo ex habitu externo tantum recenſitas.

p. 217. Anomalae autem plantae in *libro octauo* recenſentur, etſi vero deſcriptionem illarum non praemiſerit Cl. Auctor, videtur tamen huc retuliſſe omnes, qui prioribus non commode claſſibus adponi poterant. Icones ſunt: *Ananas*, et *Laurus marina*, cuius folia denticulata tantum adducuntur, ſingulis autem denticulis in aenea figura inſidet glandula. Appendicis loco accedunt capillares et para-

p. 235. ſiticae paucae, *agnus ſcythicus* deſcribitur tanquam planta capillaris, villoſis foliis inſtructa, ex cuius caule ſummo exeat folium cylindraceum, in auerſa parte maculis inſtructum depreſſis, quibus ſemina inhaerent. Ab his ad gramina et plantas gramineas progreditur Noſter, graminum leuis deſcriptio, nominibus vulgaribus expreſſa. Sequuntur haec vo-

p. 244. lubiles quaedam. Deinde de arundine ſaccharifera tractatur. Arundinis inſtar creſcit, calamos autem

autem non cauos, ſed medulla fartos, dulcique repletos ſucco producit, morbo autem corrumpitur rubiginoſo, *the yellow Blaſt*, quem ab inſectis deducit Noſter, quae vaſcula foliorum deſtruendo, mortem plantae inferunt. Videtur ea tempeſtate ſicciore flacceſcere, ſed pluuiis accedentibus, facile dignoſcitur, quippe quibus planta non iterum reuiuiſcit. Sin etiam aliqua iterum refocillata tota non pereat, peiorem tamen indolem ſaccharum acquirit. Nullo fere tolli poteſt morbus remedio, ſuadet tamen Cl. Auctor, vt fumo ex ſulphure et aloe canna fumigetur aliquoties per diem et inſectula ſuffocentur. Deſcribitur etiam ſacchari parandi methodus, aliunde iam nota. Inter gramineas plantas p. 250. appendicis loco additur deſcriptio Mays, Lacrymae Iobi, et Milii arundinacei ſeu Holci, qui etiam delineatur.

Nonus deinde liber iterum in varios ſecedit partes, de fucis marinis enim aliisque ſimilibus plantis p. 251. primo, breuiter admodum, diſſeritur: deinde de exſanguibus animalibus ſermo eſt. Inter haec referuntur limaces, ſanguiſugae; ſingulare prorſus corpus eſt, quod lapidibus adhaeret, digito transverſo non maius, exterius granulis obſitum, a lateribus flaccidum, medio loco cauum apparet, in quo os et multiplices antennae ſpirales continentur, quae, dum eſcam capit animal, in perpetuo verſantur motu, poſt iterum quieſcunt, immo, quod emiſſiles ſunt, in corpus etiam retrahuntur, et ſubito denuo exploduntur. Sequuntur cruſtacea, cancri vix non p. 261. omnes tuberculatam ſuperficiem habent, aliqui iconibus additis ſiſtuntur. Porro teſtacea, conchae variae, recenſentur, murex inprimis deſcribitur, et erudite veterum in purpuram inquiritur: haeret autem ſuccus ille, purpureo colore tingens, in canali aut vena, in dorſo reperiunda, prope caput, colo-

remque hunc mutat animalis mors et aliae cauſae. Numerus conchyliorum hic adlatorum non adeo magnus eſt, echinique etiam varii occurrunt.

p.287. Progreditur poſt haec Cl. Auctor ad plantas ſic dictas, ſubmarinas, corallia ſcilicet et ſimilia, tria earum conſtituit genera, aliae ſcilicet creſcunt virgatim, aliae frutices referunt, aliae ſunt corallia. Delineatur corallium digitatum, quod deguſtatum acri ſapore linguam adficit, hanc *Zingiber marinum* vocat Noſter. Tandem zoophytorum diſquiſitio inſtituitur, et eleganter depingitur polypus ſingularis, quem in antro ſtalactitis variis figuris picto, et cauea, aqua plena, detexit Cl. Auctor, florem radiatum pallide luteum referens, vel coloris ſtraminei leni tinctura viridi inſtructus.

p.299. Reliqua producta marina complectitur *liber decimus*, in primis varios piſces adductos inuenimus, de quibus adſerit Cl. Auctor, ſe eos tantum elegiſſe, qui aut minus accurate aut plane non deſcripti fuerint. Negandum tamen non eſt, et hos iam ab aliis melius deſcriptos eſſe, delineantur piſcis triangularis dictus et delphinus. Sed, quum ex antecedentibus iam pateat, Cl. Auctori, in diſquirendis corporibus naturalibus admodum ſtudioſo et perquam induſtrio, defuiſſe verae methodi normam, ex qua ſola de corporibus naturalibus verae repeti debent deſcriptiones, de iis iam nil monemus. Non dubitamus tamen, quin etiam plantarum hic occurrentium aliquae ad botanica genera referri poſſint, ſi data occaſione aliae certioresque notae diſtinctionis apparuerint.

Botanicorum non nullorum vocabulorum catalogus et totius operis index finem huius hiſtoriae faciunt.

XVII.

IO. FRIDERCI CARTHEVSER, Medicinae Doctoris eiusdemque in Regia Acad. Viadrina Prof. Publ. Ordinarii Fundamenta Materiae Medicae tam generalis quam ſpecialis in vſum academicum conſcripta. Pars prior. Francofurti ad Viadrum. Impenſ. Iohannis Chriſtiani Kleyb. 1749. 8. Alph. 1. pl. 15½. Pars poſterior. ib. 1750. 8. Alph. 1. pl. 17.

Simplicia remedia a plerisque ſecundum ordinem alphabeticum diſpoſita aut ad tria naturae regna redacta a PAULO HERMANNO in Cynoſura materiae medicae aliter pertractata eſſe, eumque primum omnium eiusdem naturae ſimplicia ad vnam eandemque claſſem genericam redigere allaborantem, de ſtabilienda methodo magis regulari magisque rationali ſollicitum fuiſſe, conſtat. Huius veſtigiis Noſter inſiſtens hanc medicinae partem magis magisque methodicam ac rationalem reddere decreuit, ideoque obſeruationes non ſolum et experimenta aliorum conquirere, ſed ipſe etiam manus operi admouere et ſimplicium ſelectiora aliaque variis examinibus chemicis ſubiicere coepit, eorundemque demum veram indolem, principia actiua, modum operandi et inde deducendas virtutes deſcribere allaborauit. Singulas poſthac deſcribens ſpecies primo habitum externum cuiuslibet remedii, eiusque notas bonitatis et locum, vnde prouenit, expoſuit, deinde autem phyſicas eiusdem qualitates recenſens ad ſaporem et odorem, tum ad partes conſtitutiuas, chemica arte erutas attendit, vltimoque vires, quas vel externe vel interne in corpore humano edit, explicuit, ſicque complura corpora naturalia, vi medicata inſtructa,

ſtructa, explorauit. Quod ad ſeriem ſectionum, priori tomo contentarum, attinet, prima earum de materia medica et medicamentis in genere; ſecunda de inſipidis terreis et terreo gelatinoſis; tertia de acidis et acido dulcibus; quarta de ſalinis alcalinis, tam fixis quam volatilibus vrinoſis; quinta de ſalinis explicitis mediae naturae; ſexta de auſteris ſtypticis; ſeptima de acribus alterantibus; octaua de dulcibus; nona de amaris et amaricantibus; decima de acribus et amaris purgantibus, tam emeticis quam catharticis, et vndecima demum de vaporoſis inebriantibus et narcoticis agit.

p. 1. Scientiam pharmacorum ſimplicium, materiam medicam alias dictam, in empiricam ſeu mere hiſtoricam et rationalem ſeu hiſtorico-philoſophicam Noſter diuidit, illamque ſolos tantum medicaminum effectus recenſere, hanc autem praeter nomina, determinationem generis et ſpeciei, locum natalem, habitum externum, odorem, ſaporem, colorem aliasque ſenſibus obuias proprietates, notas quoque bonitatis, virtutes communes et ſpecificas, formam exhibendi aut applicandi, doſin, naturam internam, principia conſtitutiua, actiua inprimis et modum operandi explicare, notat. Scientiae huius incrementum ob nimiam medicamentorum copiam, negligentiorem chemiae medico-phyſicae culturam, ſiniſtram inſuper et inconſultam ſubſidiorum adplicationem et imperfectam demum cauſarum in nonnullis morbis euolutionem et ſuperficiariam, nec ſatis attentam effectuum annotationem, inſigniter retardatum fuiſſe, monet: hinc omni ſtudio allaborandum eſſe, innuit, vt remotis hiſce obſtaculis inter ducta hactenus ad minorem numerum redigantur et ſelectiora probe examinentur, ſicque indoles et modus operandi ad maiorem certitudinem deducatur.

Effe-

Effectum medicamentorum priſtini ſtatus partium, quae remedii actionem ſuſtinent, maiorem minoremue mutationem Noſter dicit, eandemque a pharmaco mediante motu produci, huiusque quoad vehementiae gradum et modum differre, oſtendit. Differens vehementiae gradus, ſecundum Noſtri ſententiam 1) ab inaequali materiae commotae quantitate; 2) a differente ſubtilitate ac mobilitate molecularum minimarum; 3) a diuerſa partium, maiorem ſubſtantiae actiuae molem aggregatione ſua conſtituentium, figura et 4) diſcrepante naturae ſeu vis vitae impellentis ſenſibilitate et inaequali robore dependet. Modus autem, qui alteram motus differentiam fiſtit, a differenti diſpoſitione materiae ſeu diuerſa et ſpecifica molecularum minimarum figura deriuatur. In remediorum cauſas impellentes Noſter inquirens ad vim contractilem et actualem contractionem ſolidorum, et ad reiteratos fluidorum meantium et remeatium impulſus, tum quoque ad calorem et aerem incluſum attendit, omnemque effectus medicaminum varietatem in variante vi vitae quaerit, ita, vt idem pharmacum, ſub aequali doſi, pluribus ſubiectis, in eadem aetate conſtitutis, diuerſa tamen natura praeditis, oblatum, inaequales effectus edere, notet. p. 7.

Medicamenta quaeuis in genere vel in interna vel externa Noſter diuidit, eaque nunc ſolo pondere eminentiori, nunc mechanico quodam ſtimulo, nunc alia ratione actionem ſuam exercere, oſtendit. Ratione virtutis generalioris medicamenta in tonica, alterantia et euacuantia a Noſtro diuiduntur, ita, vt tonica texturam partium ſolidarum vel compactiorem vel laxiorem reddere, tonumque earum vel augere vel minuere, alterantia autem fluidorum mixtioni, temperiei, conſiſtentiae, calori aliisque proprietatibus mutationes inducere, tandem euacuan- p. 18.

ſtructa, explorauit. Quod ad ſeriem ſectionum, priori tomo contentarum, attinet, prima earum de materia medica et medicamentis in genere; ſecunda de inſipidis terreis et terreo gelatinoſis; tertia de acidis et acido dulcibus; quarta de ſalinis alcalinis, tam fixis quam volatilibus vrinoſis; quinta de ſalinis explicitis mediae naturae; ſexta de auſteris ſtypticis; ſeptima de acribus alterantibus; octaua de dulcibus; nona de amaris et amaricantibus; decima de acribus et amaris purgantibus, tam emeticis quam catharticis, et vndecima demum de vaporoſis inebriantibus et narcoticis agit.

p. 1. Scientiam pharmacorum ſimplicium, materiam medicam alias dictam, in empiricam ſeu mere hiſtoricam et rationalem ſeu hiſtorico-philoſophicam Noſter diuidit, illamque ſolos tantum medicaminum effectus recenſere, hanc autem praeter nomina, determinationem generis et ſpeciei, locum natalem, habitum externum, odorem, ſaporem, colorem aliasque ſenſibus obuias proprietates, notas quoque bonitatis, virtutes communes et ſpecificas, formam exhibendi aut applicandi, doſin, naturam internam, principia conſtitutiua, actiua inprimis et modum operandi explicare, notat. Scientiae huius incrementum ob nimiam medicamentorum copiam, negligentiorem chemiae medico-phyſicae culturam, ſiniſtram inſuper et inconſultam ſubſidiorum adplicationem et imperfectam demum cauſarum in nonnullis morbis euolutionem et ſuperficiariam, nec ſatis attentam effectuum annotationem, inſigniter retardatum fuiſſe, monet: hinc omni ſtudio allaborandum eſſe, innuit, vt remotis hiſce obſtaculis inducta hactenus ad minorem numerum redigantur et ſelectiora probe examinentur, ſicque indoles et modus operandi ad maiorem certitudinem deducatur.

Effe-

Effectum medicamentorum priſtini ſtatus partium, quae remedii actionem ſuſtinent, maiorem minoremue mutationem Noſter dicit, eandemque a pharmaco mediante motu produci, huiusque quoad vehementiae gradum et modum differre, oſtendit. Differens vehementiae gradus, ſecundum Noſtri ſententiam 1) ab inaequali materiae commotae quantitate; 2) a differente ſubtilitate ac mobilitate molecularum minimarum; 3) a diuerſa partium, maiorem ſubſtantiae actiuae molem aggregatione ſua conſtituentium, figura et 4) diſcrepante naturae ſeu vis vitae impellentis ſenſibilitate et inaequali robore dependet. Modus autem, qui alteram motus differentiam ſiſtit, a differenti diſpoſitione materiae ſeu diuerſa et ſpecifica molecularum minimarum figura deriuatur. In remediorum cauſas impellentes Noſter inquirens ad vim contractilem et actualem contractionem ſolidorum, et ad reiteratos fluidorum meantium et remeatium impulſus, tum quoque ad calorem et aerem incluſum attendit, omnemque effectus medicaminum varietatem in variante vi vitae quaerit, ita, vt idem pharmacum, ſub aequali doſi, pluribus ſubiectis, in eadem aetate conſtitutis, diuerſa tamen natura praeditis, oblatum, inaequales effectus edere, notet. p. 7.

Medicamenta quaeuis in genere vel in interna vel externa Noſter diuidit, eaque nunc ſolo pondere eminentiori, nunc mechanico quodam ſtimulo, nunc alia ratione actionem ſuam exercere, oſtendit. Ratione virtutis generalioris medicamenta in tonica, alterantia et euacuantia a Noſtro diuiduntur, ita, vt tonica texturam partium ſolidarum vel compactiorem vel laxiorem reddere, tonumque earum vel augere vel minuere, alterantia autem fluidorum mixtioni, temperiei, conſiſtentiae, calori aliisque proprietatibus mutationes inducere, tandem euacuan- p. 18.

cuantia ſuperflua et noxia e corpore educere, dicantur, quae ſpecifica vulgo appellantur, cum certum morbum, certum humorem, vel certam partem ſolidam certumque viſcus reſpiciant, in ſpecifica morborum, ſpecifica humorum et ſpecifica partium ſolidarum ac viſcerum diuidi poſſe Noſter autumat.

p. 29. Ad haec Cl. Auctor digreſſum facit, cumque in antecedentibus aliquoties vaſorum abſorbentium mentio facta fuerit, de vaſis inhalantibus et exhalantibus nunc agit et primo venas bibulas ſeu vaſa inhalantia, poſthac vaſcula exhalantia lymphatica, ſeroſa, halituoſa et neruoſa conſiderat.

p. 41. His expoſitis ad medicamenta ſympathetica, magnetica et amuleta ſe conuertit Cl. Auctor, eaque cuncta ad crepundia medica vel ridicula corporis ornamenta referenda eſſe, monet.

p. 51. Tandem elementa corporum chemica et inde naſcentia generaliora medicamentorum principia actiua ceu cauſas effectuum materiales Noſter perpendit, quae a phyſicis principiis diſtinguit, quaeque ſub extrema tenuitate, puritate ac relatiua ſimplicitate conſiderata, atomos phyſicas ſeu extenſa minima, inuiſibilia, mobiliſſima, actu indiuiſibilia vocat, et e quibus ſingula naturae corpora originaliter reſultare, et in quae vltimo iterum reſolui, docet. Quatuor eorum enumerat, principium nimirum inflammabile, ſalinum, aqueum et terreum, quorum duo priora rerum corporearum ſpermata et ob excellentiam principia actiua, poſteriora autem, cum illa recipiant, matrices vocat. Haec corporum principia chemica per totam telluris atmoſphaeram diſperſam eſſe, et ex iisdem per ſimplicem mixtionem, cohaeſionem, coaptationem et complicationem corpora primigenia ſeu principia principata oriri, haecque vltra atmoſphaerae limites nunquam adſcendere, ſed libere ibidem, poſt corporum compoſito-

positorum ac decompositorum resolutiones illuc abrepta et euecta fluctuare, circumferri et vel in ipsa iterum principia resolui, vel non disiuncta ad nouorum compositorum genesin occurrere, Noster autumat. Ex hisce autem principiis, inflammabili nimirum, salino, terreo et aqueo primordialiter mixta prima seu principia principiata, phlogiston scilicet et sal primigenium et ex hisce, concurrente principio terreo et aqueo, corpora composita, decomposita et superdecomposita nasci, ostendit.

Principiis in genere consideratis, nunc de singulis in specie et primo de inflammabili agitur. Principium hoc inflammabile cum principio terreo arctissime coalescens phlogiston primigenium, vt iam dictum, gignit, quod postea omnium corporum inflammabilium, igneſcentium, sulphureorum, vnguinosorum ac pinguium basin et ipsam materiam calorificam et igneam, immo aetheream, electricam et magneticam constituit et cohaesiones, nutritionis, odoris et coloris causam materialem praecipuam sistit, ideoque in omnibus corporibus compositis quoad radicem vnum idemque est. p. 62.

Exposita principii inflammabilis natura ad principium salinum Noster accedit, quod ex Eiusdem sententia non nisi cum terra subtilissima et aqua coniunctum sal primigenium seu primordiale producit. Hoc sub forma fluidi subtilissimi ac mobilissimi per atmosphaeram distributum ex corpusculis acutis, rigidis constare et acidae indolis esse et proxime ad naturam acidi vitriolici accedere, et interueniente vlteriore compositione cum aqua, terris, substantiis vnguinosis aut inflammabilibus tenerioribus salia corporea acida, alcalia et media producere Noster arbitratur. p. 82.

Aqueum tandem principium plerisque triplicis naturae regni corporibus inhaerere et ad singu- p. 89.

lorum geneſin concurrere, terreum vero praecipuam praecedentium principiorum matricem et vnice ſolidorum durabilium baſin ſiſtere, Noſter aſſerit.

p. 95. Haec in genere de remediis dicere Cl. Auctori placuit; ad ſpecialem poſthac medicamentorum conſiderationem ſe conuertens de inſipidis terreis et terreo gelatinoſis initium capit, et primo de natura et principiis alcalino-terreorum, poſtmodum autem de modo operandi et virtutibus medicis eorundem agit. Terrea haec inſipida et inodora, abſorbentia, praecipitantia et, ob aliquam cum ſalibus alcalicis conuenientiam, alcalina alias dicta, ex minerali, animali et vegetabili regno obtinentur. Sicca ea ſunt et dura concreta, quae ex terra vel teneriore, vel craſſiore et pauca ſubſtantia glutinoſa coagmentata ſunt. Subſtantia glutinoſa per menſtruum quoddam extracta vel per ignem deſtructa, in meras calces terreſtres fatiſeunt. A ſolis tantum menſtruis acidis ſoluuntur, ita tamen, vt pro diuerſa acidi ſoluentis indole et pro diſcrepante diſſoluendi terterrei corporis natura ſolutio nunc citius nunc tardius ſuccedat et ſubſtantia, diuerſo ſapore donata enaſcatur. Terrea haec alcalina ſolam vim antacidam exercent et absque acido, in primis viis hoſpitante, ventriculo et inteſtinis moleſtae ſunt et omni vtilitate deſtituuntur. Hinc quo vſus eorundem ſecurior euadat, ſola tantum teneriora, vt lapides cancrorum etc. eligantur, iisdemque ſalia media vel praemittantur vel largiori in doſi admiſceantur, neceſſe eſt.

p. 95. A praecedentibus nonnihil differunt terreo-gelatinoſa, quae vt oſſa, cornua etc. ex ſolo regno animali deſumta, e terra ſubtili, oleo vnguinoſo temperatiſſimo et ſatis larga ſubſtantia gelatinoſa componuntur. Difficilius ea et tardius quam terrea

terrea alcalina ab acidis, accedente digeſtione, ſoluuntur. Coctione autem, ope aquae, ſubſtantia gelatinoſa diſſoluitur et extrahitur, quae neque cum acidis, neque cum alcalicis efferueſcunt et ſenſibili acredine deſtituuntur. Medicamenta terreo-gelatinoſa, ſub tenerrimi pulueris forma exhibita, acidum quidem potentius, in ventriculo haerens, nonnihil exſtinguunt, copioſam tamen gelatinam liquori gaſtrico communicare nequeunt. Extrahitur quidem in ventriculo aliqua eiusdem pars, ſed exigua duntaxat quantitate, ita, vt ad ſcrupulum vnum alterumque exhibita parum vel nihil praeſtent emolumenti. Aliter ſe gerunt gelatinae, coctione extractae: hae enim, in vſum vocatae, acrimoniam ſalinam quamcunque obtundunt et inuoluunt, mucum ventriculi, inteſtinorum aliorumque meatuum reſtituunt, partes ſolidas eroſas demulcent atque humores nimis tenues et acres nonnihil incraſſant. Hinc in eroſione faucium aliarumque partium, per venena aliaque acria producta, nec minus in cholera, nimia liquoris gaſtrici aciditate, acrimonia bilis, vomitu et diarrhoea biliosa, dyſenteria, ardore vrinae, ſtranguria, teneſmo ani, variis adfectibus ſpaſmodicis, rheumaticis, arthriticis, ſcorbuticis, dolore nephritico, epilepſia, haemorrhagiis excedentibus, febribus continuis, praeſertim ardentibus, inflammatoriis et hecticis aliisque morbis, ex humorum acredine ortis egregiam opem laturas eſſe, Noſter arbitratur.

Generali hac de terreis doctrina abſoluta, ſigillatim nunc terrea alcalina et terrea gelatinoſa recenſet et de lapidibus cancrorum, conchis aliisque agit, eorumque naturam et virtutem exponit. Poſtmodum ad alia remedia alius naturae tranſit, quae eodem modo eodemque ordine conſiderat. p. 122.

T. II. In posteriori tomo series sectionum haec est: agit nimirum Cl. Auctor in sectione duodecima, quae huius tomi prima est, de balsamicis et aromaticis; sectione decima tertia de amaricantibus, austeriusculis, blande balsamicis, terreo-aut mucilagineo-sub adstringentibus aliisque sapore mixto donatis; sectione decima quarta de dulcibus, subdulcibus, leuiter amaricantibus, austeriusculis atque balsamicis vnguinoso-oleosis et pinguibus; sectione decima quinta de insipidis et subdulcibus mucilagineis et gelatinosis; sectione decima sexta de siccis sulphureis, mercurialibus, sulphureo-mercurialibus, sulphureo-regulinis et metallicis, semimetallicis ac terreis martialibus; sectione vltima de aqua simplici et aquis mineralibus medicatis tam frigidis quam calidis.

Quamuis autem eadem methodus, quam in priori tomo animaduertimus, in hoc quoque obseruata sit, summam tamen eorum, quae sectio duodecima de balsamicis et aromaticis in genere habet, Lectoribus nostris communicamus, quo bene perspiciant, quanam ratione et alia, maxime actiua remedia a Nostro pertractata ibi habeantur.

p. 1. Differentiam et naturam aromaticorum et balsamicorum in primo capite Noster exponens, ad saporem statim attendit, atque balsamicum purum, simplicem, remissiorem et quodammodo nauseosum esse, aromaticum autem ex acri iterum et balsamico compositum, sicque longe fortiorem et vrentem rariusque, quam priorem, perfecte purum ac solitarium, sed subdulci vel austeriusculo amaricante, immo intense amaro mixtum deprehendi, ostendit. Aromatica haec et balsamica odore, vt Noster docet, plus minus fragrante pollent, qui aucto vel imminuto aeris circumfusi calore crescit et decrescit, immo pene insensibilis euadit. Ex regno minerali et animali pauca tantum balsamica, ex vegetabili autem,

tem, praeter haec, aromatica numeroſiſſima obtinentur. Aromatica remedia principiis partim fixis partim volatilibus inſtructa ſunt. Singula enim 1) tenerrimum, mobiliſſimum et fragrantiſſimum principium ſpirituoſum ſalino-oleoſo-phlogiſtae indolis; 2) oleum eſſentiale aethereum et 3) ſubſtantiam quandam fixam vel reſinoſam vel gummoſam vel gummeo-reſinoſam vel reſinoſo-gummeam ſaporis vel ſubdulcis vel pure aromatici aut balſamici vel demum auſteriuſculi, amaricantis, amari etc. exhibent. Pleraque aromatica ſub humida deſtillatione primo aquam, particulis mobiliſſimis ſpirituoſis refertam, dein oleum eſſentiale aethereum, ſimplicis odore et ſapore aromatico et balſamico donatum, porro aquam acidulam, refrigerantem et nauſeoſam reddunt, tandem in vaſe deſtillatorio praeter corpus iners decoctum ſaporis, pro ſubiecti diuerſitate ſubdulcis, auſteri, amaricantis, amari, aromatici, balſamici relinquunt, quod blande euaporatum ſimilis naturae extractum reſinoſo-gummeum aut gummeo-reſinoſum praebet. Portio ſpirituoſa mobiliſſima partim e tenerrimis ſubſtantiae gummeo-reſinoſo-oleoſae, in quibusdam ſimul camphoratae ramentis, phlogiſtae purioris aut ſalino inflammabilis naturae, partim ex integris iisque tamen valde ſubtilibus moleculis oleoſis conſtat.

Oleum eſſentiale aethereum vero, ceu alterum idque praecipuum plantarum huius claſſis principium actiuum e praedicta parte mobili, ſpirituoſa actiua, ſpiritu nimirum ſic dicto rectore et ex parte viſcoſa, tenaci, fixiori, reſinoſa aut gummeo-reſinoſa compoſitum deprehenditur. Quod ad tertium illud, interdum in nonnullis plantis deprehendendum, principium tenerrimum, in aliis camphoratum, in aliis ſiccum ſaliniforme attinet, prius ſiccum et volatile concretum terreo-inflammabile eſt, poſterius autem

verum

verum ſal volatile eſſentiale, ſubſtantiali oleo aethereo, modice impraegnatum ſiſtit.

Principia fixa reſinoſa ac gummoſa raro vel nunquam perfecte pura ac ſolitaria in plantis balſamicis et aromaticis occurrunt, ſed ordinario mixta h. e. gummeo-reſinoſa aut reſinoſo-gummea reperiuntur, ita tamen, vt in aliis ſubſtantia reſinoſa, in aliis gummoſa aut craſſior mucilaginea emineat. Omnia haec principia, tum fixa tum volatilia, reſpectu ſaporis ac virium magnopere differunt, etiamſi eadem elementa in naturali ſua mxtione recondita gerant. Medium quaſi locum inter olea aetherea et reſinas ac gummi reſinas obtinent balſami liquidi naturales, qui ex inciſis vel ruptis arborum quarundam et plantarum tubulis profluunt. Cum ſubſtantiis reſinoſis vegetabilibus quoad elementa conueniunt bitumina balſamica mineralia, praeterquam, quod loco olei aetherei ſingulare oleum minerale, petroleum et naphtha vulgo dictum, mixtionem ingrediatur. A gummi reſinis demum vegetabilis proſapiae, reſpectu naturae elementorum ac generationis, longius multo quam bituminoſa mineralia, recedunt balſamica illa concreta, in animali regno deprehendenda. Occurrunt enim vel ſub pinguedinis, nunc liquidioris nunc ſpiſſioris, vel corporis grumoſi durioris forma, et ex ſubſtantia craſſiori vnguinoſa aut vnguinoſo-terrea et tenerrimo quodam, adeoque exhalabili ac fragrantiſſimo principio oleoſo-inflammabili conſtant. Salinum caeteroquin principium, quod ad olei formationem concurrit, et in oleis plantarum ac mineralium acidae indolis eſt, naturae magis vrinoſae eſſe, Cl. Auctori valde probabile videtur.

p. 18. Simplicium balſamicorum et aromaticorum actiuitatem medicam partim volatili oleoſo-ſpirituoſo, partim fixo gummeo-reſinoſo aut reſinoſo-gummeo principio adſcribendam eſſe, Noſter aſſerit, illudque blan-

blando ventriculi calore facile expelli et in tenerrima ac mobiliſſima effluuia mutari, hoc autem a liquore gaſtrico, calore non minus, quam motu ventriculi periſtaltico adiuuante, ſolui, extrahi et a portione terrea recrementitia ſeparari, oſtendit. Reſolutam partem oleoſo-ſpirituoſam in ventriculo effectum, tum reſoluentem et diſcutientem, tum ardentem et vellicantem edere, ſed diu non commorantem, per vaſa lactea et reliqua vaſa abſorbentia ad humores circulantes progredi, ibidemque magis adhuc attenuatam et diuiſam per totum corpus diſſeminari et parietes canalium neruoſo-membranaceos et muſculoſos ſub tranſitu irritare, inſimulque ſanguinis humorumque particulas in motum velociorem rapere, docet. Deinde autem principia cruoris ſalino-oleoſo-inflammabilia ab eadem parte expandi, influxum liquidorum mouentium in fibras ſolidorum motrices vegetiorem reddi, materiam calorificam augeri, hinc vario modo vim contractilem et inde pendentem velociorem humorum circuitum maioremque fluiditatem atque calorem ſuſcitari, tunc autem aliquam ſolidorum exſiccationem et largiorem partium exhalabilium per cutis foraminula diſcuſſionem adeoque diaphoreſin, inque aliis organis copioſiorem ſe et excretionem ſuperuenire, monet. Ex indicatis effectibus generalibus, principio oleoſo-ſpirituoſo maxime tribuendas virtutes ſpecialiores, neruinam nempe, cephalicam, pectoralem etc. deduci poſſe, Cl. Auctor aſſerit, ita tamen, vt, licet allegatae virtutes communes exiſtant et ſingulis ſimplicibus aromaticis et balſamicis in genere competant, aliae nihilominus in his, aliae in illis eminentiores ac magis propriae reperiantur. Huius differentiae rationem partim in ſpecifico principii volatilis oleoſo-ſpirituoſi genio, partim in diſtincta ſociatae ſubſtantiae fixae gummeo-reſinoſae aut reſinoſo-gummeae indo-

indole quaerit. Sic dulces ſubſtantias ſimul demulcere et abſtergere, et ſubiecta igitur, eiusmodi fixo principio inſtructa, maiores vires pectorales exſerere, notat. Ex his facile nunc eluceſcere Noſter putat, quod aromatica et balſamica in omnibus morbis proſint, qui a torpida ſolidorum contractione, languido humorum circuitu et imminutis aut plane ſuppreſſis ſe et excretionibus, vt apoplexia pituitoſa, affectus ſoporoſi, tuſſis, vitia digeſtionis etc. proueniunt. Praeter indicatum vſum internum pleraque externum quoque obtinere et egregie diſcutere et roborare, hinc in debilitate capitis, membrorum paralyſi, adfectibus oedematoſis aliisque ſub forma epithematum ſiccorum etc adplicata conducere, autumat. His conſideratis Cl. Auctor demum exponit, quibus ſubiectis pharmaca haec noceant, quiue ſint morbi, in quibus eadem locum inueniant nullum. Ita enim hominibus bilioſis et plethoricis, pariterque in morbis ex nimia fibrarum ſiccitate atque ſtrictura, contractione ſolidorum iuſto celeriori ac fortiori, ſeri defectu, partium ſalino-oleoſo-inflammabilium abundantia etc. prouenientibus, neutiquam conducere, oſtendit.

p. 26. Praemiſſa hac doctrina generali, in ſpecie ad aromatica ſimplicia accedit et de radicibus zedoariae, zingiberis aliisque agit, ſicque complura corpora naturalia, vi medicata inſtructa, exponit. Cum autem ob prolixitatem Cl. Auctorem vbique ſequi nequeamus, haec tantum ſpeciminis loco adduxiſſe, ſufficiat. Ex his enim clare pateſcere opinamur, quanto ſtudio hic de materie medica a Cl. Auctore conſcriptus ſit liber, quantamque iſte omnibus, qui medicinam facere allaborant, adferre poſſit vtilitatem.

XVIII.

Précis de la Medecine pratique, contenant l'hiſtoire des maladies, dans un ordre tiré de leur ſiège; avec des obſervations et remarques critiques ſur les points les plus intereſſans. Par M. LIEUTAUD Médecin de Mr. le Duc de Bourgogne et des Enfans de France; de l'Academie Royale des Sciences, de la Société Royale de Londres, et ancien Profeſſeur d'Anatomie, à Paris, chèz Vincent, MDCCLIX. 8. 2 Alph. pl. 2.

h. e.

Compendium medicinae practicae Auctore Cl. LIEUTAUD etc.

In praefatione Cl. Auctor, rationes, quae ipſum, ad conſcribendum hoc medicinae practicae compendium impulerunt, exhibet ordinemque, quo in eodem concinnando vſus eſt, indicat. Hic anatomicus eſt, cum ille, qui ex vitiis, in partibus organicis, vel in ipſis corporis humoribus, ſuppoſitis deſumitur, minus certus eſſet, alphabeticus autem nimis arbitrarius videretur. Praemiſſis itaque morbis generalioribus, aegritudines a capite ad calcem vsque perluſtrat, omiſſisque earundem definitionibus, cuiuslibet morbi ſigna et ſymptomata adnotat, adnectitque, quicquid ſectionibus cadauerum explorari potuit, quidue minus. Prognoſes aut ſaepius ſicco pede tranſit, aut mentionem aliquam perbreuem iniicit Praeter ea diaetam, cuius adornandae notitiam in quouis morbo maxime neceſſariam praeſupponit, vix tangit. Remedia generaliora

liora saltem, inspersis quandoque specialioribus, persequitur, et vt saepius ab aliorum opinione non immerito recedit, ita non raro mirabilia sectatur, quae fuisset rectius negasse, veluti: cum foetum ad triginta annos in vtero materno duraturum statuit, vel infantum comedones pro veris adhuc vermiculis habet, et quae sunt reliqua.

Diuiditur autem totum hoc compendium in libros tres, quorum primus internos, alter externos, et tertius demum feminarum atque infantum morbos continet. Tabulam synopticam, quam Cl. Auctor operi praemisit, ideo non adiiciendam putauimus, quod lectores iam ex iis, quae dicentur, intelligant, qualem normam sibi Noster, in explanandis quarumcunque valetudinum generibus sumserit. Quae ipsa etiam ratio fuit, cur eorum tantum, quae primus, liber complectitur, recensionem proposuerimus nec eam, reliquorum duorum librorum eodem ordine, diligentia atque solertia conscriptorum, breuitatis studiosi adiecerimus.

Agit vero liber primus de *morbis internis*, et quidem sectio prima de *generalioribus ac iis, quibus sedes fixa non est.* In hac Cl. Auctor a *febre* incipit, in cuius descriptione, se continuae essentialis quatuor saltim genera, *simplicem* nimirum, *putridam, ardentem* atque *malignam* nosse dicit, et postquam varia ad diagnosin, prognosin, crisin, et curationem febrium spectantia in genere proposuit, ad descriptionem cuiusque speciei descendit. *Febris* itaque
p. 20. *continua simplex* nulla fere medicamenta desiderat, et sponte iterum euanescit. In *continua putrida*, inter alia etiam cortex peruuianus prope finem morbi ob roborandi virtutem, neutiquam vero ob illam pu-
p. 29. tredini resistendi, in vsum ducendus est. In *ardente*, haemorrhagiae vt frequentes, sic plerumque lethales, vomitus contra, et diarrhoea quarto vel septimo

die

die ſuperuenientes vt ſolae criticae euacuationes conſiderandae ſunt.

Febris maligna, quae principem ſedem in ner- p. 33.
uis ipſoque cerebro habet, nunquam per haemorrhagias, interdum per ſudores, diarrhoeam et parotides iudicatur, inprimis, ſi hae, quae rara obſeruatio eſt, per reſolutionem terminantur. *Sudor anglicus* vtplurimum intra viginti quatuor horas, duas tertias eorum, quos adgreditur, rapit, diaphoreticis profligandus. *Peſtis* ſummam corruptionem quarumcunque fere corporis partium comitem habet, et vix curationem admittit, quare optimum auxilium in fuga quaerendum eſt. Sequun- p. 53.
tur *febres intermittentes*, quas Cl. Auctor in *eſſentiales* et *ſymptomaticas* diuidit, varia circa curationem obſeruanda proponit, earundemque differentias in quotidianas, tertianas, quartanas etc. vlterius proſequitur. In *quotidiana* emetica et purgantia, aperitiua, martialia et tonica conueniunt. In *tertiana* aqua ſimplex laudatur, vſusque corticis peruuiani effertur, cui, in *quartana*, ille Caſcarillae praeſtat. Febres *remittentes* eandem ferme medendi rationem, leniorem tamen expoſcunt.

In *plethora* venaeſectio vt ſumme neceſſaria, ſic p. 69
nimis frequenter adminiſtrata maxime nociua eſt. *Calor morboſus* praeter hanc, humectantia, temperantia et balnea poſtulat. *Vires exhauſtas* corporis et animi tranquillitas, cum apto alimentorum ſelectu reſtituit. Sequitur *anaemia*, in qua mirandum, quanta ſaepius ſanguinis penuria inueniatur, ſiquidem in iis, eadem demortuis, Noſter caput, pectus et ventrem quaſi ceracea, vaſa autem minima prorſus inania, et maiora ſemi tantum plena detexit. Hanc excipiunt *morbi a fluxuum et eruptionum retroceſſu* oriundi, ad quos tollendos, neceſſe eſt, vt idem ille fluxus nunc deperditus, eodem in loco, quo

antea proruperat, nec in alio reſtauretur. Succedunt *dolores*, quorum varietas, ab ea ſtructura partium definienda, curandi methodus autem ex cognitione cauſarum petenda eſt. *Inſultus catarrhales*, vt plerumque a tranſpiratione cohibita naſcuntur, vix non ſemper eadem reſtaurata profligantur. In *cachexia*, praemiſſis euacuantibus, plurimum valent roborantia et aquae minerales, reliqua a cauſae aeſti-
p. 93. matione petenda. *Scorbutus* ſpecies cachexiae, nec, morbus adeo communis eſt. *Luem veneream*, antequam ſub hoc nomine innoteſceret, pro lepra habitam fuiſſe Noſter exiſtimat, inque eius curatione, inunctioni mercuriali aut panaceae interne ſumtae plurimum tribuit, hac tamen cautela, vt ptyaliſmus, quam primum apparere incipit, purgantibus ſuppri-
p. 115. matur. In *ſcrophulis* reſoluentia, attenuantia, et ſudoriſera, lac, mercurialia et aquam calcis praeci-
p. 119. pit, ad *leprae* vero curationem, praeter eadem fere medicamenta, vel teſtium exciſionem multum facere commemorat, et ad experientiam, quod eunuchi nunquam hunc morbum patiantur, prouocat.

p. 120. Succedit *arthritis*, quae a loco, quem occupat, varia nomina indipiſcitur. Si recens ea eſt, et a cauſa occaſionali orta, non facile, ſi hereditaria et inueterata, plane non tollitur. Si quae tamen valent, prae aliis lac, ſapo, corporis exercitatio et moxa laudari merentur, licet ab huius applicatione vlcera curatu difficiliora ſaepius proficiſci ſoleant.
p. 128. Magnam cum hoc morbo affinitatem habet *rheumatiſmus*, quare ipſi eadem fere etiam medicamenta conueniunt. *Hypochondriaſis* ſpaſticus morbus et ſyndrome malorum eſt ſaepiusque apto regimine, potu abundante, moderato corporis exercitio, et animi ad hilaritatem compoſitione melius, quam multa medicamentorum farragine tollitur. In *hydropis* ſanatione, cuius diuerſas ſpecies in ſequentibus

bus seorsim pertractat, prae reliquis multum diureticis et roborantibus tribuit, scarificationes autem, vesicatoria et cauteria non nisi in summis extremis admittit, si quidem ab iis vix non semper gangraena inducitur. *Stagnationes sanguinis* et *puris* breuiter Noster tangit, et ad *infarctum* et *scirrhum* p.149. transit, vbi de obstructionibus monet, eas in sanguineas atque lymphaticas commode diuidi posse. Prioribus venaesectiones, his aquae minerales prae reliquis conueniunt. Sequuntur *tumores*, quos in scir- p.155. rhosos, sarcomatosos, anomalos, cysticos et aneurysmaticos diuidit, et singulos seorsim breuiter examinat. De *inflammatione* monet, viscera, glandulas, membranas, contextum cellulosum facile eadem corripi, musculos autem perquam raro ipsa tentari.

Purulentiae quatuor peculiaria genera constituit, quorum primum ex absceſſu nascitur, alterum ab vlcere prouenit, tertium per transsudationem gignitur, quartum denique putridum, et semper cum ipsa partis, quam infestat, corruptione coniunctum est. *Gangraenam* in siccam et humidam distinguit, quarum illa membranas maculis liuidis aut nigris corrumpit, haec ipsam viscerum substantiam in putrilaginem dissoluit. Vtraque curatu difficillima est.

In *insectorum*, *corporumque peregrinorum* examine breuis est, et ad *venena* descendit, quorum plurium naturam nos plane ignorare affirmat; signa, quae adsumtionem quorumque demum concomitantur, enumerat, hisque ea, quae quibusdam saltim v. c. cicutae propria sunt, addit, dein signa, quae in cadaueribus venena adsumta produnt, exponit, tandemque subsidiorum, si quae ingesta fuerint, catalogum apponit, et sic in valetudinum generalium internarum, quas prima sectio complectebatur, explanatione scribendi finem facit, et ad se-

cundam *capitis morbos* comprehendentem transit.
p.185. In hac primum sermo de *vertigine* fit, cui, si habitualis est, prae reliquis aquae minerales medentur, quae et ad *apoplexiae* recidiuam auertendam plurimum conferunt. *Affectuum soporosorum* quatuor numerantur genera, *carus*, *coma somnolentum*, *lethargus* et *coma vigil.* Omnibus conueniunt ea,
p.201. quae ad apoplexiam commendantur. *Tremor* duplex est, vel enim a paralysi prouenit, vt ille senum, uel a conuulsione est, et frigus vehementioresque animi affectus sequitur. Prior cessat, si quando partis trementis actio desinit, alterum nec ipsa quies dissipat. Ad *paralysin*, si aquarum mineralium copia non datur, balneum artificiale, ex quatuor libris calcis viuae, et duabus sulphuris cum sufficiente aquae quantitate, paratum Nosler commendat, in *morosi* et *memoria laesa* parcius vtique somno vti praecipit, ad somnum vero in *peruigilio* accersendum humectantia, refrigerantia, balnea, musicam, lectionem aliaque suadet. De *incubo* pauca
p.217. commemorat. Ad *melancholiam*, lycanthropiam et nostalgiam refert, et in *mania* prae reliquis camphoram ad drachmam semis, semel vel bis propinatam laudat, quin ad furorem compescendum saccharum saturni a duabus ad octo grana exhibitum multum posse adserit, praeter eaque aegrum in frigidam immergere, ipsiusque testiculos resecare iubet, opiata vero morbum exasperare affirmat. *Phrenitis* vera a spuria distinguitur, sic, vt illa febrem excitet, haec vero a febre producatur. Inter *paraphrenitidem* atque pleuritidem nullum prorsus discrimen Cl. Auctor ponit, nisi quod in illa, ea saltem pleurae pars, quae diaphragma contegit, adficiatur. In *conuulsionibus* narcotica, vt summe periculosa reformidat, in *epilepsia* vero extra paroxysmum tantum remediis vti, quamdiu autem ille durat, nihil agere praecipit.

In

In sectione tertia, *morbos pectoris* continente, Cl. Auctor primum de *raucedine* loquitur, quam in eam, quae glottidem occupat, et in illam diuidit, quae sedem in larynge et aspera arteria habet. *Tussis*, vt variae causae, sic diuersa quoque genera sunt, quorum quoduis peculiarem methodum desiderat. *Catarrhus suffocans* duplex est, alter, qui a glottidis constrictione, alter, qui a bronchiorum obstructione prouenit. In *pectoris inflammatione* emeticum post venaesectionem datum, potens medicamentum, nec minus vtile in *peripneumonia notha* est. Ad *asthma* curandum vix non omnia Noster commendat, qui, postquam de *suffocatione* atque *haemoptysi* pauca protulit, ad *phthisin* progreditur, in qua lac omnibus reliquis palmam medicamentis praeripere adserit. *Vomica rupta* vt phthisis tractanda est, *empyema* vero, si nondum inueteratum est, chirurgica auxilia postulat. Sequitur *pectoris hydrops*, in quo tanta saepius pulsus tarditas deprehenditur, vt fuerint, in quibus Cl. Auctor intra minutum non vltra viginti pulsus obseruarit. Curatio eadem est, quam in tractatione vniuersi hydropis proposuit. *Cordis palpitationem* perlustraturum ad secundam editionem Cl. SENAC de corde Noster ablegat, in *syncopis* vero descriptione de polypis monet, eos aut in ipso mortis articulo, aut post obitum demum generari, nunquam autem antea praeexistere. *Singultus* accidentalis sponte iterum cedit, habitualis vero variis remediis tentandus est.

Cl. p. 239.

p. 282.

p. 293.

Praua digestio, quam Cl. Auctor in sectione quarta, *morbos ventris* exponente, primo disquirit, a variis cruditatibus, vtpote acidis, biliosis, viscidis aut putridis in ventriculo latentibus oritur, medicamentis, cuiuis harum correspondentibus curanda. *Vomitus* pro circumstantiarum ratione varia desiderat, *cruentus* autem venae sectionem, refrigerantia,

p. 298.

vulneraria, lenioraque adstringentia exigit, fortiora vero non nisi in vrgente malo exposcit. In *fame canina*, euacuantia, humectantia cum demulcentibus multum valent. *Dolor stomachi* pro causarum differentia variis tentandus est. In *passione iliaca* venae sectiones, relaxantia, demulcentia, lenientia, clysmata emollientia, mercurius viuus ad libram vnam deglutitus, cataplasmata animalia, aut horum omenta abdomini superhabita conueniunt. *Cholera* diluentia, demulcentia, refrigerantia, antispasmodica, absorbentia, et interdum post primas septem vel octo horas, roborantia postulat.

p. 325. *Alui fluxus incruentus* diarrhoeam, fluxum coeliacum et lienteriam inuoluit, quorum priori emetica lenioraque purgantia atque narcotica medentur, stomachica non nisi praemissis euacuantibus propinanda, adstringentia vero in eo saltem casu, vbi reliqua nil possunt, exhibenda sunt. Horum catalogo gummi arabicum Noster inserit, proindeque eius vsum vt periculosum reformidat, in quo ideo cum ipso conuenire non possumus, quod gummi hoc, non tam adstringendo, quin potius obleniendo, et acrimoniam obtundendo inuoluendoque prodesse, nobis videatur. Reliqua duo fluxus aluini incruenti genera, eodem fere modo tractanda sunt. *Fluxus alui cruentus* triplex est, dysentericus, hepaticus atque mesaraicus. In *dysenteria* ab initio venaesectiones, si vires et pulsus patiuntur, et emetica summe necessaria sunt. Radici ipecacuanhae, cortici simarubae ac vitro antimonii cerato laudem quidem Noster non denegat, nouitatem inuenti multum etiam ad effusa illa encomia contulisse existimat, cum saepius non ita se commendauerint, vt digna iisdem viderentur. In *fluxu hepatico*, lactis vsus proficuus est, *fluxus* autem *mesentericus*, vt inter vomitum et fluxum

xum haemorrhoidalem medius, iisdem, quibus hi morbi, remediis curandus.

Teneſmus demulcentibus, lenioribus laxantibus, p.364.
abſorbentibus, clyſmatibus, fomentationibusque emollientibus et reſoluentibus lenitur. *Aluus adſtricta*, niſi neceſſitas vrgeat, aperienda non eſt. *Colici doloris* quatuor numerantur genera, etenim aut bilioſa, aut flatulenta aut ſpaſmodica, aut colica pictorum eſt. Haec vltima, cuius ſignum pathognomonicum ex obſeruatione Cl. SENAC retractio vmbilici ad interiora eſt, non tantum pictoribus, ſed omnibus etiam plumbum vario modo pertractantibus ſolet eſſe inſidioſa, qui ad ipſam auertendam, vel vino abſtinent, vel quotidie guttulas aliquas olei tartari per deliquium deglutiunt. ad diſſipandam vero, ſi praeſens eſt, praemiſſis diluentibus ac demulcentibus, vomitorium et dein quouis trihorio vnam duasue vncias olei amygdalarum dulcium, cum dimidia circiter parte aquae ſclopetariae magno cum ſolamine hauriunt. Cl. DUBOIS ita in huius morbi curatione verſatur, vt primo die clyſmata demulcentia, anodyna et purgantia iniicienda curet, ſequenti mane vitrum antimonii aut aliud emeticum, et veſpera eiusdem diei theriacam cum vno grano opii propinet, quouis tertio die ſedans hoc reiteret, et quarto die purgans ſtimulans praeſcribat. *Colicam pictonum* vt ſummum gradum colicae cuiusque Noſter conſiderat, variaque huius genera a Cl. TRONCHIN deſcripta recenſet. In *tympanitide*, ſignum illud pathognomonicum, quod venter percuſſus ſonum tympani ad inſtar edat, vt fallax et incertum reiicit, punctionemque, ſi reliqua fruſtra data fuerint, admittit.

Vermium quatuor genera ſunt: lumbrici, aſcarides, cucurbitini, atque taenia. Huius praeſentiam cucurbitinorum reiectionem ſemper indicare,

Cl. Auctor adſerit, neque tamen ſententiae eorum ſubſcribit, qui illam, pro catena plurium cucurbitinorum adſumſerunt. *Colica hepatica* ex veſicae felleae, huiusue canalium a calculis aut bile retenta, inflatione naſcitur, et eandem fere, quam reliqui ventris dolores, medendi rationem deſiderat. *Hepatitis* eadem, quae reliquis inflammationibus internis conueniunt, poſtulat, *icterus* autem cauſis accommodata remedia exigit. In *nephritide* hypnoticis multum Noſter tribuit, abuſum tamen eorundem vetat. *Calculum renum* et *veſicae*, remedium illud STEPHENS optime diſſipare affirmat, variasque veritatem hanc ſtabilientes obſeruationes profert, ſibique perſuadet, remedium illud, vt optimum, quo unquam medicina locupletata fuit, vtique eſſe conſiderandum.

P. 393. Ad *mictum cruentum* venaeſectiones omniaque valent, quae contra haemorrhagias commendantur. *Vlcera renum* et *veſicae*, vt reliqua ferme interna tractanda ſunt. *Dyſuriam* et *ſtranguriam* venaeſectio, diluentia et demulcentia, vulneraria et balſamica, iniectiones, clyſmata emollientia, fomentationes, balnea et ſemicupia diſſipant. *Iſchuriae renali* et *veſicali* varia conueniunt, *diabeten* vero temperantia, refrigerantia, abſorbentia, adſtringentia, leniora purgantia, ſudorifera et hypnotica profligant. *Mictio inuoluntaria* adſtringentibus, aromaticis, purgantibus, iniectionibus roborantibus et balneis frigidis cedit. Sub *catarrhi veſicae* nomine Cl. Auctor peculiarem huius viſceris morbum in iuuene ſedecim circiter annorum obſeruatum deſcribit. Laborauit hic febre rheumatico podagrica, quae quatuordecim dierum ſpatio euanuit, ſeptimo vero die, ex quo conualuerat, cum dolore veſicae et ardore vrinae craſſae, ſedimentum albidum, viſcidumque deponentis rediit. Tanta copia hoc ſedimentum poſtea

ſeceſſit, vt, non obſtante dolorum ceſſatione, quartam fere lotii partem efficeret. Satis acriter inter ea febris per duodecim dies ſaeuiit, vrinae autem ſtatus non ante decimum et quintum, a febris ceſſatione, diem naturalis factus eſt. In *aſcitide* ab initio p. 412. reiterata vomitoria optimum effectum praeſtant, vbi vero morbus inueterauit, aperitiua, et diuretica, ex claſſe roborantium amarorum et martialium deſumta, omnibus reliquis anteponenda ſunt.

XIX.

Della malattie del Grano in Erba trattato ſtorico-fiſico del Conto FRANCESCO GINANNI, Patrizio Ravennate. Con Note perpetue ad eſſo trattato, e con altre Oſſervazioni di Storia naturale del medeſimo Autore. In Peſaro: nella ſtamperia Gavelliana, 1759. Alph. 2 pl. 6 tab. aen. 7.

i. e.

De morbis granorum tritici tractatus hiſtorico-phyſicus. Auctore FRANCISCO GINANNI, Comite Patricio Rauennas. Accedunt notae perpetuae, et obſeruationes ex hiſtoria naturali eiusdem Auctoris.

Quum iam multos ante editum librum annos in eruendis veris cauſſis atque natura morborum deſcriptorum occupatus eſſet Cl. Auctor, factum eſt, vt, dum ſcriberet haec, ſimillima fere exponeret, alibi a nobis adductus, Cl. TILLET *). Amicorum

*) Vid. Comment. Noſtr. Vol. X. P. IV. p. 635.

corum itaque consiliis tantum eo adductus est, vt sua quoque cum eruditis communicaret obseruata, de quo eo magis laetamur, quo maiori cum industria ille in perscrutandis versatus est momentis. Suum autem laborem quatuor complectitur partibus, quarum *prima* diuersos morbos, grana tritici afficientes, disquirit. Recte tamen iudicans, nec minimam in veritate cognoscenda praetermittendam esse circumstantiam, *secunda* parte obseruationes recenset et tentamina, varios per annos instituta, indeque generalia deducit consectaria Quibus etiam factum est, vt morborum variorum exortus curatius perspicere potuerit, quare *libro tertio* causas morborum, quibus adficiuntur grana tritici, exponit, et huic tandem *libro quarto* remediorum fontes subiungit. Quum itaque satis appareat, in explicanda re studiosissime versatum fuisse Cl. Auctorem, ipsius operis summam huc referre in communem vtilitatem liceat.

Morbi vero frumentorum varii, a veteribus vel non omnes, vel non satis distincte descripti, ita a Cl. Auctore in *primo libro* recensentur, vt et naturam eorum exprimat, differentias adducat, atque magno eruditionis cum apparatu monumenta veterum diiudicet. Hinc primo capite de *rubigine* agit, tanquam de morbo externo, qui consistit in humore viscido tenace, ex luteolo rubrum colorem referente, adhaerente ad plantam eamque penetrante. Duas autem eius facit species, altera maculas imprimit, exsiccatur, neque in puluerem resoluitur, neque per corticem penetrat, vario autem colore ludit: altera in puluerem conuersum humidum illud ostendit, corticemque arrodit. Diuersitas malignitatis, quae cum hoc morbo esse solet, variis occasionem dedit denominationibus, in quas Noster eruditissime inquirit. Adduxit ea vetustissimas gentes, vt morbum

p. 6.

auer-

auertendi cauſa feſtos dies, rubigalia, floralia, vinalia inſtituerent, et deos, Apollinem Erythibium colerent. Alius morbus *fuligo* eſt, de quo ſecundo capite diſſeritur, ad internas granorum pertinet, ſiquidem illa, prius ex ſuis vaginis quam erumpunt, infeſtat, eademque putrida et nigra reddit, vt exſiccata in ſubtilem, impalpabilem et foetidum puluerem conuertantur, folliculi albi fiunt. Alii vſtilaginem nominant. Tertium caput *carbunculum* conſiderat, morbum peſſimum, qui grana, in ſpica integra in folliculis adficit, ſed deformata reddit, longioraque, materia humida nigra foetidiſſima repleta, vt tandem cortex grani rumpatur. Nondum deſcriptus et obſcure tantum a NEEDHAMO cognitus morbus quarto capite adducitur, quem *grano ghiottone* vocat Cl. Auctor. Internus ille eſt, qui granorum formam mutat in rotundam inaequalem, coloremque iis tribuit viridem, in exſiccatis profunde fuſcum. Subſtantia farinacea nulla ineſt, ſed fibroſa albiſſima, viſcidi ad inſtar frangenda. Hi autem praecipui, multamque non nunquam facientes ſtragem, morbi iconibus illuſtrantur, quibus varii alii adduntur capite quinto. Huc pertinet, color foliorum mutatus in luteum, *il giallume*, quo folia ſine externo humore accedente primo ex viridi palleſcunt, deinde luteola euadunt et exſiccantur: *il grano voto*, inania grana in ſpicis immaturis, porro *exſiccatio ſpicae*, nec non *ſterilitas*, *luxuries* granorum, eorum *ab inſectis laeſio*, *aliarum plantarum* immiſtarum *vegetatio* huc referuntur.

p. 23. p. 30. p. 35. p. 39.

Diuerſi hi morbi diuerſis etiam dederunt occaſionem inſtituendis tentaminibus et inde ſumendis obſeruationibus, de quibus itaque *ſecundo* nunc *libro* exponitur. In his autem primo generales aliquas animaduerſiones, variis annis factas, praemiſit, et ſpeciales obſeruationes, ad ſingulos morbos pertinen-

p. 44. nentes, deinde ſubiunxit. Sementem, ad diiudicandos morbos, eo inſtituit modo, vt agri partem, eum in finem electum, in viginti loculos diuideret, et ſingulis immitteret grana, haec experimenta facta ſunt in loco, qui diu pratum fuerat.
p. 54. Iterum in terra pingui loculis octodecim indidit grana
p. 58. frumenti varia, et tertio in hortulo, muro circumdato, a ſolis radiis non multum calefacto, duodecim loculos replenit, tandem aliqua tentamina capta ſunt a Noſtro in campo, vrbi vicino, in re-
p. 60. gione auſtrali ſito. Deſcribuntur haec in capitibus quatuor prioribus huius libri. Sumſit Cl. Auctor, ſemina pura, optima, electa, alia cum granis, carbunculo affectis, alia lixiuio indita. alia ſoli expoſita, vel aquae calcis immerſa, aut aquae, in qua ſal commune ſolutum erat, aut aquae pluuiae, cum fimo equino, vel cum ſucco herbarum expreſſo, mixtae. Porro grana, carbunculo adfecta, radiis ſolis calefacta, aut ſulphuri ſoluto, nec non camphorae aut tartari cineribus, immiſſa, deinde grana ſeorſim, variis, ante deſcriptis, morbis corrupta et tandem lolium electum, vel granis frumenti admixtum. Iterum inter alia grana carbunculis affecta et lotio abluta, grana a vermibus exeſa, quorum iam ſubſtantia mutata erat, alia vino vel aceto per noctem humectata, vel aqua, quae nitrum receperat, vel grana puluere ſulphuris adſperſa. Alio tempore grana rubiginoſa, alia ab inſectis laeſa, et lotio abluta, nec non aliis puluerem rubiginoſum et fuliginoſum admiſcuit. Repetiit quoque cum ſeminibus variorum annorum tentamina, quaedam cum aqua arſenicali, alia cum aqua calcis, vel cum lixiuio aluminis, cum ſedi ſucco, cum puluere limacum in aqua trito, cum puluere teſtae ouorum commiſcuit. Qualis autem germinationis effectus fuerit, ſtudioſe exponit, accurata ſimul addita obſeruatione

tione temporis, ſtatu thermometri, barometri, ventorumque. Obſeruationes vero ſingularium morborum ſingulis iterum capitibus adductae diiudicantur. Subito rubiginem naſci vidit Cl. Auctor, quae fiſſuras inducens, foliaque corrodens, puluerem relinquit viſcidum, ſi microſcopio perueſtigatur animalculis refertum, *erucis* ſcilicet *vermiformibus*. Conſtant hae ex duodecim ſegmentis ſiue annulis, capite breui, diaphano, ſexum etiam diſtinxit et mutationes ſingulas, ſtudioſe attendens Noſter, deſcripſit et delineari curauit. p. 64. In rubigine primae ſpeciei vero vermes nullos detegere potuit. Chemica indagatio ex materia humida rubiginoſa dedit liquorem, acidum ſal volatile, vt vocat Cl. Auctor, concretum et non parum terrae, rubigo e contrario non adeo denſa exhibuit, liquorem alcalicum et terram, prout in rore. Humor dictus viſcidus in retorta bene obturata, liquefactus, eſt griſei coloris, exſiccatus magis pallet. Singularis eſt obſeruatio, Noſtrum, dum aliquando mane in rubiginem inquireret, eiusmodi neruorum corporis ſui debilitatem ſenſiſſe, quae domum ſe conferre eum coegerit, idque aliquoties et ipſi et aliis, accidiſſe. p. 73. Nec non animalia, herbis rubiginoſis paſta, luem inde contraxiſſe. Iterum collectum humorem rubiginoſum putrefactum et colatum ſoli expoſuit, inque eodem vermiculos, exuuias et culices obſeruauit. Salinarum particularum in rubigine naturam determinare tamen non audet Cl. Auctor, forte ad vitriolicas pertinere contendit, quippe quum puluis exſiccatus, calcinatusque vapores ſulphureos dederit. p. 78. Interim rubigo ſecale, hordeum et triticum aequali modo adficit. Fuligo, ad quem in ſexto pergit capite, difficilius in principio cognoſcitur, ſpicae autem fuliginoſae lanugine alba obuolutae apparent et celeriter creſcunt. p. 81. Fibrae interiores ex

ſua

ſua directione ſecedentes, inflectuntur, et inflantur, materiem continent pultaceam, nigram, rupta pellicula exteriore tranſitus fit ad parenchyma. In-
p. 86. uenit, curatiore inueſtigatione, Noſter aliquando album in ſpica fuliginoſa vermiculum, excrementa nigra, fuliginoſae materiae ſimillima. Duas ille lineas longus erat, corpore in octo annulos diuiſo, annulo quocunque duobus pedibus inſtructo, duabusque appendicibus, loco caudae. Naſcitur hic morbus tempore humido et nebuloſo, et chemica diſquiſitio multum in hac materia ſalis volatilis detexit. Ex his vero obſeruationibus, quod praecipua tantum ex ſolertiſſima peruestigatione adducere poſſumus, eandem curam in ſcrutinio carbunculi, ſeptimo
p. 95. capite factam eſſe notamus. Creſcunt plantae, hoc morbo adfectae, celerius meliusque integris, color eſt viridis, grana multum augentur magnitudine. Planta morboſa combuſta ſalis alcali ſui ponderis tertiam partem, ſana vero quintam tantum dedit. Grana, carbunculo tacta, extus puluere nigro, vt in fuligine, non inquinantur, intus autem in ſubſtantia farinoſa, foramina maculaeque nigrae apparent, aliaque obſeruatione accurata conſtitit, pulpam granorum internam in immaturis etiam non lacteſcere, germen non habere, ſi flores etiam proueniant, ſine
p. 101. ſtaminibus eſſe. Materia tamen, illa carioſa, in aquam immiſſa, nullum nec, qualem NEEDHAMUS voluit, anguillarem motum fecit, nec ſemper inquinata grana, cum bonis mixta, haec adfecerunt, carbunculus autem tum in humidis, tum in ſiccis occur-
p. 109. rebat locis. Eandem porro attentionem dicauit Noſter morbo, quem *grano ghiottone* vocat, octauo capite, repetit autem hunc morbum ex primis ſuis initiis. Vidit interiorem materiam albam, ex filamentis tranſparentibus conſtantem, et ex his aliqua, quae lentum quidem, aliquem tamen motum oſtende-

bant,

bant, in primis, quando in aquam immittebantur, exſiccata mox iterum quieſcebant, Tandem verum inuenit vermiculum, in grano habitantem, cuius etiam metamorphoſes et inde prouenientem ſcarabaeum deſcribit atque depingit. Quum in minimis his autem obſcuritas ſit, forte duplicis generis inſunt vermiculi. Inuolucrum grani denſum eſt et craſſum, intus materia ſpongioſa, in centro albiſſima, lacteſcens, fluidiſſima, comprehendens corpuſcula mobilia. Figura granorum ad rotundam accedit, ſuperficies varia eſt, exſiccata minora redduntur, medioque in loco cauitas relinquitur. Calcinata ſalem exhibent albiſſimum, ſali marino ſimilem, pani interim, ſi admiſcentur, malam indolem non communicant. Terrae mandata eiusmodi grana ſimilem iterum morbum produxerunt. Haec ea propter inſectorum hiſtoria impulit Cl. Auctorem, vt capite nono diuerſiſſimorum inſectorum, quae in frumenti planta occurrere ſolent, natales atque mutationes quam accuratiſſime inueſtigaret atque ſimul delinearet, quod vbertim factum eſt. De iis vero, niſi omnia huc transferre velimus, nihil monere poſſumus. Eandem quoque diligentiam adhibitam fuiſſe inuenimus in recenſione omnium vegetabilium, quae inter frumenta creſcunt, ex quibus aliqua pariter illis exitioſa ſunt. Amplus admotum catalogus capite decimo recenſetur, ſecundum litterarum ſeriem digeſtus, ſynonymiis botanicorum illuſtratus, qui partem quaſi florae Rauennatenſis exhibet. Obſeruationes hae permultae ſuppeditarunt ſimul cognitionem ſpecialium quarundam animaduerſionum, quae vndecimo capite adferuntur. Ex his tantum notamus, materiem flauam granorum multum liquoris acidi, non parum terrae, et aliquid ſpiritus vrinoſi continere. Cum acidis quidem fortioribus aeque ac cum alcalicis

p.125.

p.127.

p.208.

p.243.

muta-

mutationem nullam perpeſſus eſt liquor, mixtus autem cum puluere ſucci heliotropii, *poluere di torno-*
p.247. *ſole*, rubicundiſſimus euaſit. Plerumque autem in morboſis granis nidulantur vermes, vel eadem male afficiebant. Continuantur obſeruationes in capite duodecimo, inter quas adferri meretur,
p.250. quod reperit Noſter calamos frumentaceos, radicibus citrinis inſtructos, ſapore amaros, odore violaceo, prouenerant ex humo, cinerei coloris, ſaporis abſinthii ad inſtar amari. Alio tempore in terra occurrit bufo, mediocris magnitudinis, macilentus, lapideo quaſi habitaculo obuolutus, ſed viuus, in cuius capite lapillum vel concretionem detexit, quam pro vero lapide bufonite habet, ſine eo tamen, vt ipſi vim contra venenum adſcribat.
p.256. Iterum ex ſpica frumenti, optimis granis praedita, aliqua diligenter ſeparata aperuit, et excidit materies alba metallica, farinae intermixta, ſtanno non abſimilis, quae calcinata in puluerem gryſeo cinereum conuerſa eſt, inde vero affinitatem regni vegetabilis et mineralis Cl. Auctor deducit. Quum porro calor, incrementi plantarum cauſſa eſſe, credatur, obſeruationibus conſiſtit, aeque in loco calido ac frigido creſcere, hinc aeris elaſticitati in vege-
p.262. tatione partem tribuendam eſſe. Creſcere quidem vidit et germinare ſemina ſub antlia pneumatica, ſed parum et celeriter interire. Porro variis tentaminibus confirmatur, ſingulum calamum ſuam habere radiculam, inde concluditur, forte etiam ſingulum granum ſpicae ſuas habere peculiares fibras, et ſuccos rariorum morborum cauſas. Multus tandem eſt Cl. GINANNI in determinanda lege inclinationis aut incuruationis culmi frumenti, mathematica ſcientia euicta, qua conſtat, reſiſtentiam internodiorum culmi non eſſe tantum vt grauitatem, directe quan-

quantitati materiae proportionatam, ſed etiam in proportione reciproca tenacitatis ſuarum fibrarum.

His itaque peractis *tertio libro* nunc in cauſſas morborum inquiritur, quae frumenti grana infeſtant. Eundem ac in prioribus libris ſequutus ordinem Cl. Auctor, primo capite agit de cauſſa, *rubiginem* producente. Hanc in mala aeris conſtitutione quaerendam eſſe iudicat, quae ex frigore nocturno, non proportionato calore aeſtuque antecedentis diei enaſcitur. Sed quum haec externa cauſa ſit, ex illa alia interna oritur, tranſpiratio nempe ſupprimitur, in canaliculis quaſi generatur obſtructio, liberque humorum curſus intercipitur, vnde corruptio. Hoc vero contingere poteſt, a congelatione, nebulis, vaporibus et exhalationibus, quibus teneriores fibrae rumpuntur, vel areſcunt, aut ſuccorum fit effuſio, nec non lepra vel ſcabies quaſi fit. Inde tamen non ſequitur, vt in hiſce cauſis per ſe maligna ſit indoles, niſi forte vaporibus ex paludoſis et ſtagnantibus aquis particulae acres, rodentes, admiſceantur, quae pingues et viſcidae apparent, mellis ad inſtar. Combuſtio foliorum autem a radiis ſolaribus pendet, reflexis a globulis humidis, foco ſuo vrentibus. Quum *fuligo*, de quo ſecundo capite exponitur, morbus ſit internus, ab humoribus nutritiis vitiatis ille producitur, qui extenſioni omni per incrementum accedit. Internae huic cauſae occaſionem ſuppeditare poteſt impreſſio externa quae ſuccos quaſi ad fermentationem diſponit, vnde debiliores ſpicae, fiſtulae atque canaliculi male afficiuntur, et corruptionem generant. Fermentationis ſignum ex fumo ſubtiliſſimo deſumit, qui ex ſpicis egreditur. Impreſſionem autem, iam dictam, forte in caloris extraordinario gradu quaerendam eſſe. Inde celeris admodum pendet vegetatio, quae formationi granorum obeſt, corruptio-

p. 280.

p. 291.

p. 306.

nemque inducit, quoniam vero non in omnes fibras ſimul eadem eſt actio, hinc aliquando non nullae integrae manent, aliae adficiuntur. Nigram materiem ſpicarum a ſale volatili deriuat, nimia humiditas eam non producit, nec tranſpiratio ſuppreſſa, niſi quatenus fermentationem generat. Solis calor exſiccans et aeris acceſſus, in puluerem conuertit
p.320. fuliginem atque abripit. In *carbunculo* porro, quem tertium caput conſiderat, alia longe cauſa in vitio organico ſtructurae conſiſtit, ſiue in textura minus perfecta et naturali debilitate fibrarum germinis, in ſemine contenti. Siquidem illa inaequalem ſuccorum diſtributionem efficit, qua diuerſa fit vaſorum ſuccoſorum attractio. Abſcondita vero eſt ratio, quae organicam laedit ſtructuram, varias adducit atque refellit Noſter, eamque ingenitam eſſe arbitra-
p.336. tur. Deformitas deinde granorum, quae in *grano ghiottone* eſt, de quo capite quarto agitur, veram repetit ſuam originem a vermiculis ſiue corporibus illis lumbriciformibus, ſupra iam adductis. Modus, per quem ſemina ingrediuntur, obſcurus eſt, prout etiam ſe ignorare ingenue fatetur Cl. Auctor, qui fiat, vt per duos annos poſſint illi vermes ſine manifeſta viuere nota, atque, aqua iterum affuſa, reuiuiſcere, niſi forte in reſpirationis organo cauſa lateat, prout in foraminis oualis conformatione penes animalia, vt motum recuperent, ſi aqua vel aliud agens principium maiorem faciat impetum in
p.346. circulantes eorum ſuccos. Praeter has tamen cauſas, aliae in aere, ventis, ſoli fertilitate, ſucci nutritii copia vel defectu vermibus et ſic porro quaerendae, morbos varios, exſiccationem, vegetationis impedimentum faciunt, quas caput quintum recenſet, ſicuti varia, in vegetatione occurrentia, phae-
p.356. nomena ab externis aeque ac internis cauſis accedenti-

dentibus proficiſcuntur, quas eleganter, et vt ſolet, erudite diſcutit, capite ſexto, Cl. Auctor.

Sed non ſufficit, noſſe morbum, eiusque cauſas deuelaſſe, quin potius aptis tollere remediis, prudentis medici eſt. Quare tandem vltima et quarta parte libri remedia, his morbis curandis idonea, proponuntur. Deſcribuntur autem eadem quinque capitibus, ex quibus primum ad rubiginem ſpectat. Difficilis tamen hic eſt curatio, optima, dummodo haec applicari decenter poſſet, inungere ſpicas oleo, reliqua remedia, vix non omnia, fallunt. Contra fuliginem valet praecauere impreſſiones et fermentationem ſuccorum, quo in caſu prodeſſe multum ſcribit Noſter, ſpiritum ſalis ammoniaci recentem, nec non ſal ammoniacum aqua ſolutum, mixtum cum ſale alcalino tartari aut ſale prunellae, ſed nec euentus ſemper reſpondet votis, melius eſt rarius ſerere ſemina et heterogeneas deſtruere herbas. Carbunculo optime occurritur, ſi plantae adfectae euellantur. Optimum itidem remedium eſt, vbi *grano ghiottone* occurrit, cuius tamen prouentum, quum a vermibus dependeat, arcet granorum ſuſpectorum in arſenici puluere retentio. Contra reliquos morbos frumenti quandoque remedia valent, contra alios non aeque, ſi a cauſis externis, et tempeſtatibus dependent: ſterilitatem ſoli emendatio tollit, luxuriem, ſi pecora herbis paſcuntur. Itidem difficillimum eſt, infecta abigere, multa propoſita ſunt remedia ab aliis, quae hic recenſentur, fumigationes cum ſulphure, arſenico, camphoram porro, mercurium ſublimatum, herbasque anthelminticas, vt corallinam nicotianam, folia perſicae, ſemen ſantonici cerealibus interſpergere ſuadet Noſter. Heterogeneas autem plantas ſedulo et radicitus deſtruere conuenit, quod veteres ſarculationem et runcationem vocabant. Eo tamen enitendum eſt

p. 367.

p. 373.

p. 375.

p. 380.

p. 388.

ſemper, vt ſegetes mandentur terris conuenientibus, ſeminaque pura et electa ſint, ne inhaerens his labes inferatur ſementi. Varias itaque tractandi agros rationes communicat Nöſter, et, prout per omnem libri decurſum fecerat, egregie atque erudite diiudicat. Optandum tantum, imbecillitatem hominum melius mederi poſſe tantis malis.

XX.

PETRI LOEFLING S. R. Mtis Hiſp. Botanici Soc. Reg. Scient. Vpſ. Soc. Iter Hiſpanicum, eller Reſa til Spanſka Länderna uti Europa och America, förrättad ifr°an A°r 1751 til A°r 1756, med beſkrifningar och rön öfver de märkvärdigaſte växter, utgifven efter deſſ fr°anfa°lle af CARL LINNAEUS Stockholm, tryckt pa° Direct. Lars Salvii koſtnad. 1758. form. oct. 316 pag. tab. aen. 2.

Opus hoc poſthumum a Cl. Archiatro de LINNÉ editum et in ordinem redactum eſt, ſuisque plantis, cum Hiſpanicis, tum Americanis, admodum ſeſe commendans. Quod deſcriptum eſt iter Clar. LOEFLINGII, continetur primum epiſtolis 23, ad laudatum LINNAEUM miſſis; deinde plantis in Hiſpania partim repertis, partim nouiter detectis; has excipiunt porro plantae Americanae, quoad expectari a tam probato et diligentiſſimo plantarum indagatore poterat, magna accuratione deſcriptae; finem faciunt duae epiſtolae, quarum prior ad Cl. WARGENTIN, altera ad amicum quendam delatae ſunt, vna cum appendice quorundam generum et ſpecierum plantarum. Rationem itineris et ordinem in peculiari aliqua, quae libro praemiſſa eſt, praefatione

ne cum lectoribus LINNAEUS communicauit, cuius ſummam nunc paucis tradere apud animum conſtituimus.

PETRUS LOEFLING e gente Suecorum, cum academiam Vpſalienſem peteret, atque nulla doctrina nullaque ſcientia magis quam medicina, et quae cum ea valde coniuncta eſt, hiſtoria naturali delectaretur, fieri non poterat, quin beneuolentiam Doctoris ſui, LINNAEUM putamus, ſtatim adquireret; qui eum, cum aliquis deſcribendarum plantarum in Hiſpania creſcentium, atque aliarum, in Americae regionibus ſub poteſtate Catholici Regis conſtitutis florentium, deſideraretur, inprimis commendabat. Et quem digniorem rerum naturalium tunc perſcrutatorem commendare potuiſſet? Hanc oblatam occaſionem LOEFLINGIUS noſter ambabus amplectitur manibus, atque neceſſariis rebus inſtructus, nauem conſcendit, Lisbonam venit, exinde iter ad vrbem Hiſpaniae principem, Madritum, continuat, vbi dici non poteſt, quanta beneuolentia ab optimo quoque naturalium rerum intelligente exceptus ſit, inter hos inprimis ORTEGA, MINUART, QUER, VELEZ, aliique viri in arte medica docti omni laude digni putandi ſunt. Iam LOEFLINGIO nihil magis curae cordique fuit, quam vt finitimas regiones peragraret, omnesque plantas, quas reperire poterat, colligeret, quarum breui tempore magnam copiam prope 1400 collegit, quatuorque noua genera ſub nomine *Ortega*, *Minuartia*, *Queria*, et *Velezia*, in honorem ſupra laudatorum virorum effecit. Peractis ſic duobus annis, animus ei erat, promontoria illa Pyrenaica dicta plantarum cauſſa perluſtrare; verum placuit perilluſtriſſimo Domino CARUAIAL, amico regio potentiſſimo, regi Hiſpaniae vtriuſque Indiae perſuadere, vt praeter LOEFLINGIVM alii quoque viri celeberrimi in eas terras, quibus

catholicus Rex imperat, mitterentur. Rex approbat propoſitum conſilium; eliguntur quatuor Profeſſores, vnus geographus, phyſicus alter, tertius botanicus, quartus denique mercaturae peritus; cuilibet eorum adiunguntur quatuor optimae ſpei iuuenes, exceptis quatuor chirurgis; praeſesque huius ſocietatis IOSEPHUS DE ITURRIAGO conſtituitur. Die 15 februarii anni 1754 nauem conſcendunt, dieque 11 aprilis, feliciter ad littora Americae nauem appellunt. Nunc LOEFLINGIUS noſter nouam terram, nouas plantas, admiranda animantia aliasque res naturales contemplatur, eas examinat, deſcribit, colligit variis in regionibus per duos circiter annos. Sed, proh dolor! initio leucophlegmatia laborat, denique die 22 februarii 1756 hydrope anaſarca vita fungitur. Haec de itineris ratione. Quae ſequuntur epiſtolae, ſunt ad Cl. LINNAEUM ſcriptae. Nos ferme dubitamus, vtrum ex eis aliquid cum lectore poterit communicari; ſumma enim earum partim res priuatas, partim laudes virorum, partim plantarum recenſiones aliarumque rerum naturalium complectitur. Excerpamus igitur vnum et alterum, quod notatu dignum videtur.

p. 2. Epiſtola prima deſcribitur nereis depreſſa linearis tentaculis vtrinque quatuor corpore ſegmentis 50. Epiſtola ſecunda et tertia recenſentur plantae circa Portum Cale (*Porto*) ſponte creſcentes. Epiſtola quarta continet plantas Lisbonae repertas, vbi
p. 13. LOEFLINGIUS arborem draconis primum vidit, ſed abſque floribus et fructibus, quare in eius genus
p. 23. inquirere impediebatur. Sequenti tamen epiſtola commemorat, eam cum aſparagorum genere eſſe coniungendam ob paniculam florum, pedunculos biarticulatos etc. Epiſtola 7ma occurrunt, praeter alias plantas in agris Madritenſibus creſcentes, 9 ſpecies ciſti, monetque LOEFLINGIUS, earum diſcri-

ſcrimina inprimis eſſe in ſtyli diuerſitate quaerenda, qui erectus, inclinatus, glaber, pubeſcens, viſcoſus, integer, ramoſus. Epiſtola 11 tradit characteres generis, quod *Minuartia* dicitur. Epiſtola 13 recenſet quaſdam plantas Pyrenaicas a Doct. BARNADES collectas. Epiſtola 17 et 18 noui fit generis mentio, cui nomen *Lygium* impoſitum eſt. Epiſtola 19 iter in Americam inſtituendum refert, idem fit in ſequente epiſtola, vbi nominantur iuuenes, qui vt LOEFLINGIO ad manus in contemplandis delineandisque rebus naturalibus eſſent decretum erat, ſcilicet duo medici, BENITO SALTOR et ANTONIO CONDAL, duoque delineatores, BRUNO SALVATOR et SAN IVAN DE DIOS. Hae omnes epiſtolae hactenus nominatae, Madrito ſcriptae ſunt; ſequentes ex portu de S. Maria et America Cl. LINNAEUS accepit. In ea, quae ex portu Maria eſt, deſcribitur noua planta ſub nomine Gomphrena ficoidea. Prima ex America declarat varios piſces et alia animantia marina, accedunt plantae Americae; potiſſimum lectu digna eſt deſcriptio PLUMIERII *de Hippomane*, a LOEFLINGIO longe melius elaborata.

p. 48.

p. 81.

p. 107.

Liceat nunc indicare plantas Hiſpanicas rariores et Americanas, quarum deſcriptionem Cl. LOEFLINGIUS mira ſedulitate affecit.

Plantae Hiſpanicae rariores:

III. Ortega *hiſpanica* 1. p. 111.
Loeflingia *hiſpanica* 2.
Schoenus *aculeatus* 3.
Dactylis *cynoſuriod.* 4.
Feſtuca *calycina* 5.
Aira *minuta* 6.
Stipa *tenaciſſima* 7.
Holoſteum *vmbellatum* 8.
Minuartia *dichotoma* 9.

Minuartia *montana* 10.
campestris 11.
IV. Plantago *Loeflingii* 12.
V. Campanula *lusitanica* 13.
hederacea 14.
portensis 15.
Herniaria *fruticosa* 16.
Salsola *vermiculata* 17.
prostrata 18.
scuda 19.
Gentiana *perfoliata* 20.
Bupleurum *fruticescens* 21.
VI. Leucoium *autumnale* 22.
VIII. Erica *cinerea* 23.
vmbellata 24.
ciliaris 25.
X. Ruta *montana* 26.
Arenaria *tenuifolia* 27.
Cerastium *pentandrum* 28.
vulgatum 29.
Spergula *pentandra* 30.
XI. Glinus *lotoides* 31.
XIV. Teucrium *spinosum* 32.
Prunella *lusitanica* 33.
Sibthorpia *europaea* 34.
Orobanche *maior* 35.
cernua 36.
XV. Lepidium *cardamines* 37.
nudicaule 38.
XVI. Malua *hispanica* 39.
XIX. Echinops *strigosus* 40.
Atractylis *humilis* 41.
cancellata 42.
Cotula *aurea* 43.
Filago *pygmea* 44.
Micropus *erectus* 45.

Lo-

Lobelia *vrens* 46.
XXII. Oſyris *alba* 47.
XXIII. Andropogon *hirtum* 48.
Cenchrus *capitatus* 49.
XXIV. Fucus *elongatus* 50.
pinnatus 51.
Conferua *faſcicularis* 52.

Plantae Americanae. p.176.

53. Commelina.
54. Pontederia.
55. Ixia.
56. Wedelia.
57. Allionia.
58. Rhamnus?
59. Cedrela.
60. Calceolaria.
61. Achras.
62. Loranthus.
63. Trichilia.
64. Lecythis.
65. Guidonia.
66. Seguieria.
67. Portulaca?
68. Bontia.
69. Verbena.
70. Elliſia.
71. Krameria.
72. Monieria,
73. Ayenia.
74. Spermacoce.
75. Houſtonia.
76. Cruzeta.
77. Chryſophyllum.
78. Sideroxylon.
79. Conuoluulus.
80. Breynia?
81. Riuinia.
82. Tribulus.
83. Spondias.
84. Tamarindus.
85. Ciſſus.
86. Spigelia.
87. Conuoluulus.
88. Cordia.
89. Capſicum.
90. Solanum.
91. Ceſtrum.
92. Conocarpus.
93. *Contortae.*
94. Cuſcuta.
95. Gomphrena.
96. Bromelia.
97. Rhexia.
98. Paullinia.
99. Cardioſpermum.
100. Bauhinia.
101. Parkinſonia.
102. Poinciana.
103. Guaiacum.
104. Malaſtoma.
105. Malpighia.
106. Crataeua.

107. Portulaca.
108. Muntingia.
109. Cluſia.
110. Mentzelia.
111. Mimoſa.
112. Corchorus.
113. Annona.
114. Craniolaria.
115. Bignonia.
116. Creſcentia.
117. Barleria.
118. Sida.
119. Theobroma.
120. Milleria.
121. Epidendron.
122. Helicteres.
123. Croton.
124. Iatropha.
125. Hura.
126. Morus.
127. Viſcum.

In appendice, quae ſequitur, nouum plantae Hiſpanicae genus, *Lygeum* appellatum, de quo ſupra quaedam diximus, optime declaratur, nimirum traduntur characteres naturales, ſynonyma, et ipſa de-
p.288. ſcriptio ſpeciei omnibus numeris abſoluta. Recenſentur deinde plantae Hiſpanicae, miſſae 1753 menſe octobris, quas ſi nominare omnes vellemus, forſitan nimis taedioſum eſſet. Quae ſcripta eſt epiſtola ad Cl. WARGENTIN, de platina de Pinto exponit, cuius grauitas ſpecifica vt 17, 391 : 1, 000
p.297. vel 17, 170: 1, 1000 ponitur. Vltima epiſtola ad amicum anonymum miſſa, iniecta eſt mentio de cultura *mori*, praeparatione coloris ex coccis *cacti*, de cultura *agaris*, agrorum, *croci*, *oryzae* etc. ex quibus omnibus ſatis intelligitur, quam gratum et mite ſit Hiſpanorum clima, quantisque diuitiis naturae poſſint ſuperbire incolae, ſi coniunctis cum natura viribus laborare ſedulo in animum in ducerent. Index, qui adiectus eſt plantas rariores Hiſpanicas comple-
p.305. ctitur. Vltimo loco occurrit appendix, abſoluto opere miſſa, atque continet generum definitiones deſcriptionesque ſpecierum, quorum nomina ſunt: *Corazon, Calliſia, Menais, Edechia, Celoſioides, Hermupoa, Piſonia, Combretum, Arbor ad Morichal, Sloanea, Buttneria, Iuſſiaea, Bejuco.*

Plan-

Plantae Hiſpanicae in horto Vpſalienſi ſatae et delineatae ſunt tab. I. *Cotyledon hiſpanica*, Loeflingia *hiſpanica*, Micropus *erectus*, Minuartia *montana* et *dichotoma*; tab. II Lygeum *ſpartum*.

XXI.

ERNST ANTONS NICOLAI, *Königl. Preuſſiſchen, wie auch Hochfürſtl. Sächſiſchen Weimariſchen und Eiſenachiſchen Hofraths, der Arzneygelahrheit Doktors und ordentlichen Profeſſors bey der Univerſität zu Iena, Gedanken von der Verwirrung des Verſtandes, dem Raſen und Phantaſiren. Kopenhagen* 1758. 8. *pl.* 10.

h. e.

Cogitationes de deliriis Auctore ERNST ANT. NICOLAI.

Poſtquam Cl. Auctor varia, naturalem aeque ac peruerſum ſentiendi cogitandique modum illuſtrantia, propoſuit, cauſas mentem euertentes conſiderat. Naſcitur vero delirium, ſi quando neruus aut cerebrum ipſum a cauſa interna ita adficitur, vt alioquin ab obiectis ſaltem externis adfici conſueuerat. Impetus itaque humorum, vaſorum expanſio, obſtructiones et inflammationes cerebri, defectus fluidi neruei, aliaque plura deliria excitare poterant, eo ſemper periculoſiora iudicanda, quo minus praeſens deſipientis ſtatus cum naturali congruit. Sic deliria continua, et quibus praeſentibus aeger nec videt, nec audit, nec amicos agnoſcit, quoniam hic ſtatus quam maxime a naturali recedit, ceteris vtique peio- p. 9. p. 30.

peiora ſunt, peſſima autem, quae a defectu neruoſi liquidi proueniunt.

His aliisque non adeo magni momenti praemiſſis, ad ſolitas delirii diſtinctiones ſe confert Noſter, et quomodo vna ſpecies ab altera differat, docet. In melancholia atrae bilis praeſentiam affirmat, quid per hanc intelligendum ſit, oſtendit, ſymptomata deſcribit, et plures melancholicorum hiſtoriolas, a variis auctoribus deſcriptas, recenſet. Cauſa melancholiae acris, craſſus et immeabilis Noſtro ſanguis eſt, vnde omnia, quae hinc qualitatem inducere talem poſſunt, vt moeror, meditationes profundae, cruciatus ex vita male acta, haemorrhagiae ſuppreſſae, aeſtus, peruigilium et alia, vt occaſionales melancholiae cauſae conſiderandae ſunt. In curatione propoſita, praeter methodum conſuetam, acrimoniam acidam, quam in melancholicis Cl. Auctor ſupponit, fontibus ſoteriis, alcalicum quid continentibus, ſubigendam ſuadet. Ex fonte diaetetico victus diluens, emolliens atque refrigerans laudatur, ſimulque conſilium Swietenianum approbatur, ex quo copioſo fragorum, ceraſorum, cucumerumque eſu maniaci diarrhoea exorta reſipuiſſe narrantur.

p. 34.

p. 51.

Sequitur noſtalgia, cuius explanationem, quod ex aliis deſumta ſit, omittendam putauimus. Hanc mania excipit, cuius deſcriptioni, poſtquam varia exempla, quibus non caremus, Cl. Auctor addidit, variam huius indolem declarat, diuerſas ſpecies vt lycanthropiam, cynanthropiam etc. proponit, et ſic ad cauſae conſiderationem deſcendit. Haec eadem, quae melancholiae, eſt, hoc duntaxat diſcrimine, vt mania a maiori ſanguinis humorumque acrimonia, longeque fortiori irritatione, quam melancholia, proueniat. Quantumuis autem ſaepius melancholia in maniam degeneret, plures tamen eſſe poſſunt cauſae, quae efficiant, vt quis mania corripiatur, ſine eo,

p. 80.

p. 86.

eo, quod melancholia praeceſſerit. Ad cauſas has referuntur febres male curatae, vlcera coalita, exanthemata retropulſa, amor inſanus, vehementiores animi adfectus, philtra, venena vegetabilia narcotica, plica polonica reſecta, et aerumnoſum puerperium. In curatione bene Noſter monet, quod non omnibus eadem medendi methodus conueniat, ſed pro diuerſitate cauſarum mox haec, mox alia eligenda ſit. Sanguinis miſſionem, arteriotomen et p. 92. ſcarifationem occipitis bonum quidem ſaepius in maniacis effectum exſerere adſerit, neque tamen ſemper venae ſectionem conuenire, quin imo in humorum viriumque parcimonia aeque ac fortiora purgantia et vomitoria nocere, docet. Moſchi et camphorae vſum in iis ſaltem, quibus humorum, virium atque caloris defectus eſt, admittit, in reliquis vt noxium reiicit. Immerſionem in frigidam, pſychrolouſiam et embrochen magni omnino vſus eſſe, variis variorum teſtimoniis et demonſtrationibus comprobat, hoc tamen inſimul inculcat, vt, antequam nix aut glacies capiti imponantur, leniora prius et minus refrigerantia applicentur, et reſiſtentia in vaſis partium corporis inferiorum venae ſectionibus et pediluuiis emollientibus tollatur, ne, quem periculo ſubtrahere medicus cupit, grauius laedat. Recte p. 113. Cl. Auctor importunum illud regimen mente captis adhiberi ſolitum reprobat, quo catenis vincti in carceribus ab omni hominum ſocietate atque conuerſatione remoti detinentur, et fuſtibus quotidie caſtigantur, ſiquidem tantum abeſt, vt hoc modo ad ſe aegri redeant, vt potius, ſi nondum furioſi ſint, certe tales breui ſint euaſuri.

Succedit nymphomania, quae, vt ex morali, ita p. 120. et ex phyſica ſaepius cauſa naſcitur. Ex vltima claſſe clitoris nimis longa, paſſio hyſterica et acrimonia humoris genitalis, et philtra ſunt. Num

forte idem etiam effectus artibus magicis, et ſpiritibus extra nos poſitis, modo ſupra naturali producatur, non prorſus negandum eſſe Noſter exiſtimat,
p. 130. licet, qui fiat, ignorare ſe confiteatur. Sequitur hydrophobia, pro qua auertenda optimum eſt, quod nemo ſane negabit, ſi protinus morſum membrum, ſi absque vitae periculo fieri poteſt, reſecetur. Vbi vero ad humores venenum iam tranſiit, mercurialia, moſchus cum cinnabari mixtus, et puluis PALMA-
p. 153. RII tentanda ſunt. Agmen deliriorum claudit tarantiſmus, cuius prolixam deſcriptionem ideo Lectoribus noſtris tradere noluimus, quod, paucos inter hos eſſe intelligebamus, qui neſcirent, plerasque eiuſmodi tragoediarum a mendicis lucri cauſa ludi, et multos contra eſſe, qui ſine eo, quod tarantula morſi ſint, cum indiſſolubili ſaltandi cupiditate deſipiant *).

XXII.

Diſſ. inaug. de morbis ex alieno ſitu partium abdominis, Auctore GOTTLOB HENRICO TROSCHEL. Heiligbeila-Pruſſo. Francofurti ad Viadrum 1754. 4. pl. 11. c. tab. aenea.

Ex tot tantisque cauſſis, quae humanum corpus male adficiunt, morbisque oriundis opportunitatem praebent, eas Cl. Auctor ſpeciminis loco elegit, quas praeternaturalis partium abdominalium ſitus generat, a quo ſanitatis laeſio vt producatur, certum eſt. Multa, eaque prolixiori ſermone de anatomica infimi ventris, omniumque eius partium contentarum hiſtoria expoſuit, cui ſimul modos, quibus hae partes ſitu illis non conuenienti peccant, adiecit.

Gene-

*) Vid. Comment. noſtr. Vol. VIII. P. I. p. 4.

Generalem primum morborum definitionem ſta- p. 3.
bilire annititur, et in ea exhibenda plurimos ſequitur, omnem praeternaturalem habitum corporis humani morbum eſſe dicentes. Fuſius cuncta ea recenſet nomina, quae pro diuerſa cauſa, natura, effectu, aliisque circumſtantiis, impoſita fuerunt morbis, e quibus tamen eas tantum ſeligendas et pro fundamento ponendas ſuadet diſtinctiones, quae morbi cauſarum p. 5.
in ſe continent rationem ſufficientem. Ex iis ſcriptoribus, qui reformatione quadam pathologiae ſyſtema condere anniſi fuerunt, Cl. PITSCH, et Ill. DE GORTER Noſter adducit, quorum primus omnia morborum genera, ad ſolidorum et fluidorum claſſem amandauit, ſed quoniam nullam in fluidis dari cacochymiam, aſſumit, ſolidis vero relaxationem tantum praeternaturalem, aut conſtrictionem, aut ſolutionem continui adſcribit, cum tamen multis adhuc modis peccare poſſint, hoc ſyſtema nondum ſatis explicatum, omnino potius mancum iudicat Noſter.

Accommodatius ipſi videtur Ill. DE GORTER ſy- p. 9.
ſtema, quod plures morborum origines, et inter has quoque nonnullas ex alieno partium ſitu, continet, quamuis non omnes morboſos ſitus, morbosque ex iis ortos, GORTERUM adduxiſſe, Cl. Auctor putat. Cum itaque morbos ex alieno loco ortos iam recenſiturus erit, omnino neceſſum eſt, vt diſtinctiones eiusmodi morborum, eorumque cauſas curandique methodum praemittat. Triplicem horum morborum diuiſionem Noſter aſſumit. Vel enim ſolida corporis humani ſitu peccant, vel fluida locum minus conſuetum occupant, vel tandem aliena morboſa in corpore noſtro reperiuntur. Sed cum ipſi de ſolidis tantum vitiatis ſermo ſit, ea quoque accuratius deſcribit, modosque, quibus praternaturali ſitu peccant, quintuplices recenſet. Sic ſecundum eum p. 12.

pars

pars corporis humani aut ſpatium iuſto maius, aut iuſto minus ſibi vindicat, aut in diuerſa plane regione ſita eſt, aut in incongrua regione terminos habet praeternaturales, aut tandem plane deeſt. Et quo nullum relinquatur dubium, an vere maior vel minor pars inter ſitus morboſos referri poſſit, adiecta figura, parallelogrammum repraeſentante, ideam hanc explicare adniſus fuit. Situum horum morboſorum cauſas ita explicat Cl. Auctor, vt maiorem partis cuiusdam molem aſſumat, quando nimia nutrientium vel aliarum particularum copia ad locum quendam deriuatur, imminutam vero iuſto magnitudinem, quando minus ſufficiens molecularum copia ad partem peruenit. Viſcus in diuerſa plane regione ſitum deprehenditur, ſi particulae ſimilares in inſolito loco colliguntur, ibique concreſcunt. Cui errori, ſi maior vel minor particularum copia ſimul accedit, praeternaturales terminos in minus conſueta regione ſita pars efficit, tandemque prorſus deſideratur, vel ex ſimilarium partium defectu, vel ex impeditis viis, vel ex alia nobis abſcondita ratione.

p. 14. Ad curationem horum vitiorum Noſter progreditur. Si locus, quem viſcus quoddam occupauit, adeo alienus eſt, vt nulla plane conformitas inter ſitum naturalem et praeternaturalem adſit, monſtroſum, nullamque curam admittentem iudicat, ſi vero naturalem et praeternaturalem ſitum, ſimilitudo quaedam adhuc intercedit, medelam adhibendam eſſe cenſet. De monſtroſo ſitu adhuc quasdam diſtinctiones adiecit, eumque diuidit in abſolute lethalem, omnem curam reſpuentem, in non abſolute lethalem, vbi ſupereſt, naturae aliquatenus poſſe ſuccurri, et in hypothetice lethalem, vbi accuratiſſima prophylaxis adhibenda, ne ſequentia ſymptomata nimis moleſta fiant, potius mitigentur,

aut

aut si possibile, prorsus tollantur. Quod si vero nunc locus alienus tantum, sed non monstrosus, curationem requirit, manum chirurgicam optime Noster suadet, quamuis non dubitet, dari casus, vbi et internis remediis multum possit praestari.

His praemissis, propius ad metam sibi exstructam accedit, morbosque ex alieno situ partium abdominis ortos describit. De abdomine fat amplam anatomiam exponit, monetque, totum istud concre p. 20.
tum situ suo nunquam peccare posse, sed tantum duplicem eius variationem aut enim interdum nimis paruum, interdum nimis magnum obseruari. In priori casu multa incommoda ex irregulari se et excretione humorum prouenire, nutritionem laedi, et in sequiori sexu partum difficiliorem reddi. In posteriori casu, torporem, lentumque sanguinis circulum prouenire, docet. De defectu integumentorum monet, morbis incurabilibus hunc affectum esse adnumerandum. Vmbilicus, si nimis prolongatur, exsectionem requiri, quod si vero malignitatis signa dolor obtusus venae tumidae liuidae simul obseruentur, curationem cancri palliatiuam, et antiseptica remedia esse tentanda.

Ad internam abdominis cauitatem accedit, et quamuis costae, cum cartilaginibus connexae, partes sint constitutiuae thoracis, tamen ex earum peruerso situ viscera abdominalia turbari, propria edo- p. 26.
ctus fuit experientia, in iuuene viginti annorum, pectore prorsus irregulari instructo, cuius sternum pro diuersa consideratione nunc fere S romanum repraesentauit, nunc plane irregulare videbatur. Accessit minus consueta costarum insertio, quae ascendendo et descendendo irregulares arcus, cauumque thoracis sinistrum angustius dextro formauit. Respirationem huius hominis semper anxiam, circulationem lentam, torporem corporis, et stuporem quendam

mentis ſenſibilem ex hoc adfectu explicandum eſſe Noſter iudicat. Cartilago xiphoidea, ſitu ſuo peccans, non leuia quoque producere incommoda, in viro
p. 30. Noſter obſeruauit, cuius cartilago ad vmbilicum vsque continuata, ventriculum cibis repletum, ad latera inflatum efficit, diaphragma tendit, ſequitur palpitatio cordis, difficilis reſpiratio, anxietas, vertigo, et ad lypothimiam inclinatio, quae mala, ventriculo ſenſim ſenſimque euacuato, ſucceſſiue imminuuntur. Spinam lumbarem vario modo vitiatam, ea incommoda, quae ſuperius iam de coſtis minus ordinate collocatis adduxit Auctor, vel quoque producere, vel augere poſſe, iam adfirmat.

p. 33. Et peluis, a naturali ſitu recedens, ſumma mala praecipue grauidis et parturientibus conciliat, ſiue enim ſit nimis ampla, ſiue nimis anguſta, in vtroque caſu partum, aut propter conatus non debito modo determinandos, retardabit, aut propter difficiliorem exitum, prorſus impediet.

p. 35. In partibus abdominis mollibus, muſculis ſcilicet, annulum ſic dictum nimis ampliatum, vt cauſam herniarum inguinalium et ſcrotalium Cl. Auctor conſiderat. De muſculis pyramidalibus in transitu monet, eos, ſi aut plane deeſſent, aut quod accidere interdum ſoleret, cum veſica vrinaria con-
p. 37. creti, nulla grauia producere ſymptomata. Poſt ſitum et vſum diaphragmatis deſcriptum, ad peritonaeum accedit Noſter, et data eius quoque hiſtoria anatomica, ad herniarum conſiderationem progreditur. Hernias vel a relaxatione, vel a dilatatione, vel a ruptura peritonaei deriuat. Relaxationis cauſam in iunioribus frequentius obſeruari, quam in adultis, cum aliis ſcriptoribus Noſter putat, cum in his, vt in ſequiori ſexu, maior fibrarum laxitas deprehendatur. Rupturam vero peritonaei non fieri, niſi accedente vehementi vi, cenſet. Indicationes

cura-

curatorias herniarum, pro varia conditione, varias praeſcribit. In recenti hernia repoſitionem ſuſcipiendam, ſuſtentandam, et tonum reſtituendum, in periculoſiori vero facta, doloribus et ſpaſmis ſimul occurrendum, et dilatationem inſtituendam eſſe ſuadet. Quam curandi methodum cum fuſius expoſuerit, vt notam perſpectamque aſſumimus, nec longius de ea dicimus. Variae herniarum ſpecies, omphalocelen, hypogaſtrocelen, bubonocelen, oſcheocelen, ſcelocelen, ſiſtentes, ſecundum Cl. Auctorem, pro vario earum ſitu, quem occupant, cauſisque eas producentibus, nec non ſymptomatibus, eas concomitantibus, variam quoque requirunt curationem. De hernia dorſali, quam Cl. PAPE, Phyſicus Gottingenſis nouiter deſcripſit, ſatis claram nondum habet ideam Noſter. Interim tamen poſſibilitatem eiusmodi herniarum non negat. In putredine, herniis ſuperueniente, adfectam partem abſcindendam, et fines cum externo vulnere conglutinari iubet, et hanc curationem certae morti praefert. p. 55.

A relaxatione peritonaei ad relaxationem ligamentorum ſuperioris abdominis Noſter peruenit. Hepatis ſcilicet, ventriculi, et lienis ligamenta laxiora reddita, viſcera haec non rite ſuſtinere, Cl. Auctor negat, cum hepar vere ab inteſtinorum canali ſuſtineatur, nec ligamenta, hepati deſtinata, ſola hanc molem ſuſtinere poſſint. Lien vero ob minus in ſtatu naturali pondus, relaxatis quoque ligamentis, non multum adiacentibus partibus damnum conciliare. De ventriculi autem ligamento, gaſtrophrenico dicto, monet, illud nullum alium praeſtare vſum, quam vt plenum ventriculum in magis horizontali ſitu conſeruet. Hinc accidere poſſet, vt relaxatum hoc ligamentum vel ſpaſmo adfectum, vacuum ventriculum in eum redigat ſitum, qui ipſi p. 60.

p. 64. non nisi cibis repleto conuenit. In vtroque casu diaetam parcam, cibosque facile digerendos, situmque corporis post pastum et inter dormiendum horizontalem euitandum praescribit. De visceribus ipsis in abdomine contentis adhuc loquitur, et primum hepatis vitia recenset. Hepar, si cum adiacentibus partibus coalescit, in ipsa sua substantia obstructionem, nunc in scirrhum, nunc in inflammationem et gangraenam, mutandam producit. Hepar magnitudine excedens ea mala efficit, quae a nimia partium compressione metuenda sunt. Prolapsus hepatis, hepatocele dicta, qui communia cum herniis habet incommoda, mutatis nempe circumstantiis, pro diuersitate visceris, communem quoque cum herniis requirit medendi methodum. Plane vero deficiens hepar, vel duplex, quales obseruationes SCHENCKIUS habet, ob rariores casus, Auctoris sententiam in suspenso relinquunt. Falsa hepatis regio, vt citatus quoque SCHENCKIUS casum allegat hepatis in sinistro hypochondrio siti, morbus incurabilis, non nisi accuratam requirere diaetam Noster docet.

Quae de hepate, eiusque vitiis, adduxit, ea
p. 79. quoque de liene valere Auctor adfirmat. Accedit tandem ad considerationem mesenterii. Quae pars ipsum ad disquisitionem passionis iliacae ducit, dum hunc morbum a situ mesenterii explicandum iudicet. Adiectis figuris, adhibitoque calculo algebraico, demonstrare adnisus fuit, nullam intestinorum implicationem, descensum tantum, et angustationem esse possibilem.

XXIII.

FRIDRIC HASSELQUISTS M. D. Societ. reg. ſcient. Vpſal. et Stockholm. Soc. Iter palaeſtinum, eller Reſa til heliga landet, förrättad ifrån Aʳ 1749 til 1752 med Beſkrifningar, Rön, Anmärkningar, öfver de märgvärdigaſte naturalier paᵒ Hennes Kongl. Maj:ts Befallning, utgifven af CARL LINNAEVS. Stockholm 1757. 8vo. pag. 619.

In laude ſemper erit iter, a viro, cognitione naturae aliisque doctrinis praeſtantiſſimo, HASSELQUISTIUM putamus, non ſine magno periculo, accurate tamen inſtitutum et ex parte finitum. Ei tribuendum eſt, quod nunc longe meliora exquiſitioraque multa ob oculos poſita ſint, quae ante vel dubitatione digna, vel fabulis inuoluta, vel denique nec apte deſcripta, nec aliis plane perſpecta eſſent. Dignus itaque eſt liber hic, cuius ſumma commentariis noſtris inſeratur, vt alii quoque, inprimis poſteri, itineris Haſſelquiſtiani rationem et praeſtantiam quodammodo intelligant, ſi non ſit aditus ad ipſum librum tanquam fontem. Eſt laudatus liber ab Ill. CAROLO LINNAEO, poſt inopinatam mortem Cl. HASSELQUISTII, ex eius diario, litterisque ad eum miſſis in ordinem redactus et in lucem editus, cui etiam praefationem de itineris occaſione, ratione, auctoris vita paucis praemiſit. Libri ſunt tres partes conſtitutae, quarum prima egregiam totius itineris ſeparatis ſegmentis tradit deſcriptionem; altera quadrupedum, auium, amphibiorum, piſcium, inſectorum, vermium, plantarum, lapidum deſcriptionem, hiſtoriam naturalem Palaeſtinae, aliaque philologiam ſacram, materiam medicam, morbos, mercaturam illuſtrantia; in tertia parte litterae ad Cl. LINNAEUM miſſae reperiuntur.

Veniamus nunc ad ipſam itineris, quod litteris proditum eſt, deſcriptionem. Primum ſegmentum iter ex Suecia *Schmirnam*, vrbem in Natolia ob mer-
p. 22. caturam celebrem, declarat; altero quae in regionibus Smirnae circumiacentibus notatu digna obſeruata ſunt, traduntur; in eo laudat Conſulem Franco-Gallicum nominatim PEYSSONEL, qui primum corallia eſſe vermium quorundam domuncula docuit. Porro medicorum Smirnenſium aliorumque mentionem iniicit, inprimis Doctorem DEMETRI, virum tunc 80 annorum, praeter alia, propter amorem in rem botanicam laudibus celebrat. Sequuntur nomina plantarum et arborum ibi ſponte creſcentium, v. c. hyacinthi, muſcari, tuliparum, amygdalorum, ficuum, oliuarum, granatorum etc. occurrit coemeteriorum apud Muhamedanos ſtructura, quae longe ſuperat, ſi valetudinis ratio habenda eſt, coemeteria apud Chriſtianos multos. Nam omnia extra vrbem, et
p. 33. pagos exſtruuntur, arboribusque et plantis aromaticis adornantur. Quibus et aliis rite contemplatis, HASSELQUIST noſter iter *Magneſiam* inſtituit, quae in via obſeruanda erant, ea qua ſemper ſolebat, ſedulitate, obſeruauit. Ibi maximam partem deſer-
p. 38. tas et incultas terras vidit, inter plantas praeſertim crocum ſatiuum, hyacinthum et ornithogalum nominat. In vrbem aduenienſ litteras commendatitias praeſidi tradit, a quo non modo humaniter acceptus eſt ſed libertate quoque donatus perluſtrandi et vrbem et regiones adiacentes ſine periculo. Ibi ſolemnitatibus nuptiarum, quae apud Turcas in vſu ſunt, intereſt, atque modum celebrandi memoriam reſurrectionis Saluatoris noſtri apud Graecos et Armenianos deſcribit. Poſt reditum in vrbem Smirna
p. 59. dictam iter ad Aegyptum paratur. Naueque conſcenſa, aliquot dies poſt *Alexandriam* venit exinde porro *Roſettam* peragrat, tandemque in vrbem Aegypti

gypti primariam, *Cairo* appellatam accedit. Praeter alia, quae hoc itinere admirandi occaſionem habuit, pertinent quoque iuſta funebria Muhamedanorum ex ordine religioſorum. Iam dici non poteſt, quanta cupiditate flagrabat HASSELQUIST noſter, contemplandi deſcribendique monumenta antiqua, atque res omnes, hiſtoriam naturalem illuſtrantes. Pyramides, ſtupenda illa Aegypti ornamenta adſcendit, deſcribit, cunctaque memoriae prodidit, quae ibi explicatione digna videbantur. Chondrilla iuncea vnica erat planta, quae in iſtis fabuloſis et aridis terris reperiebatur, animantia nulla, niſi lacertae genus et formica leo magna in copia. Commemorantur deinde Arabum mores et liberalitates in peregrinos, Nilique, fluuii magni nominis, inundationes. Inprimis non ſine admiratione legenda eſt, quae de pompa Muhamedanorum, religionis cauſa Meccam iter facientium, tradita eſt deſcriptio. Nunc Cl. HASSELQUIST in animum inducit, ſepulcra illa, vel potius ſpeluncas arte factas, vbi mumiae illae, certa et indubitata veterum Aegyptiorum monumenta, aſſeruantur, vt ſolent omnes antiquitatis cupidi, viſitare. Quas in itinere plantas ac animantia detegit, infra ſuo loco plenius indicabimus. p. 74. p. 85. p. 92.

Hac occaſione data puteum, cui nomen a Ioſepho eſt, vna cum Labyrintho aedificio, cuius rudera etiam nunc quemque ibi peregrinantem in admirationem rapiunt, quoad fieri poterat, attentione contemplatur. Nunc Cahiram rediens ſe ſenſim ad iter in Palaeſtinam praeparat; quo animo *Damiatam* et *Iaffam* proficiſcitur, vbi a procuratore monaſterii, quod religionem latinae eccleſiae vulgo dictae profitetur, adminicula ad continuandum iter Hieroſolymam porrigentur. Cum itaque *Hieroſolymam* aduehiret, coepit omnem operam nauare, quo contemplatione digna quaeque animaduertere poſſet. Eo animo p. 117. p. 133.

Hierichum regionesque circumiacentes peragrauit eaque obſeruauit omnia, quae a diligente naturae perſcrutatore expectari poterant. Hoc itinere peracto iterum Hyeroſolymam petiens ritus celebrandi mortem reſurrectionemque Saluatoris noſtri ad modum eccleſiae latinae ac graecae ſedulo depingit, atque traditiones omnes ac monimenta antiqua, quae ob monachorum ſuperſtitionem religionis vel inſcitiae cauſa peregrinatoribus declarantur, bona fide, ſed non ſine nota enarrat. Ea enim eſt eis locis ſuperſtitio apud romanos, inprimis graecos, vt, quae nulla ratione confirmari poſſint, pro rebus geſtis et indubitatis venditentur. Commoratis ſic aliquot
p.150. diebus, iter *Bethlehemum*, *Ramam*, *Tiberialem*, *Galilaeam*, denique *Tyrum* inſtituit. Ibi nauem conſcendens inſulam *Cyprum*, Rhodum et Chionem ex parte perluſtrat, denique Smirnam iterum peruenit, vbi a Conſule, mercaturae Suecicae cauſa conſtituto, vt olim hoſpitaliter amplexus eſt. Verum fortuna ei non fauit, theſauros collectos ſecum in patriam reducere, phthiſi enim et haemoptyſi ibi mortuus eſt.

Sequitur altera pars, deſcriptiones rerum ad tria regna naturae pertinentium continens. Primo loco occurrunt ſequentia:

Quadrupedia,

p.189. *Simia aegyptiaca* adſpectu horrendo et verſus poſteriora deteſtabilis, difficulter domandum animal, Cairi vidit a circulatoribus allatum. *Simia aethiops*, ob patriam vnde in Aegyptum copioſe a nigris affertur, menſtruat femina, ſatisque docilis eſt. *Canis vulpes* frequentiſſimum animal in Palaeſtina vineas ſaepe tempore vuarum deſtruens. *Canis aureus*, chical Turcarum, magna copia iuxta laffan, circa Gazam et in Galilaea. Diſcutiendum monet Cl. HASSELQUIST, quodnam horum animalium fuerit vulpes Sam-

Samſonis. *Viuerra ichneumon* vulgo mus Pharaonis, ſatis ampla de hoc animali elaborata eſt deſcriptio. Patria Aegyptus inferior et ſuperior, calcaneis incedit inſidioſe, veſcitur herbis ouis, gallinis. effodit oua crocodili et manducat, cicur haud difficulter euadit. De introitu in fauces crocodili fabula eſt. *Veſpertilio aegyptiacus* magnitudine muris domeſtici habitat Roſette ad riuas Nili in hortis. *Mus iaculus* non modo hic, ſed quoque in actis regiis Holm. accurate deſcriptus extat. Pedibus ſolis poſticis incedit, amat ſomnum, noctu tamen ſemper vigilans, non valde metuit hominem, cicur non facile euadit, ideoque in cauea ſeruandus, in Aegypto et Arabia frequens. *Hippopotamus*, hoſtis crocodilorum perpetuus, damnum infert agris ad Nili ripas cultis, frumentis et trifolio ſatis, repellitur tamen lupino, quo auide conſumto animal pernicioſum bibendi auiditate intumeſcit miſereque perit. *Camelus dromedarius*. *Equus ſuperbus*. *Cervus camelopardalis*, de hoc animali deſcriptionem iuxta pellem animalis fecit, animal enim ipſe non vidit, elegantiſſimum eſt ob maculas fuſcas et ferrugineas per totum corpus ſparſas, a nemine hactenus accurate deſcriptum. Mirandi ſunt pedes anteriores plus quam dimidio longiores poſterioribus. *Capra gazella* tabaci fumo delectatur, venationem huius animalis Arabes omnium velociſſime inſtituunt cum falcone gentili, cui HASSELQUIST noſter prope Nazareth in Galilaea ipſe interfuit. *Capra angolenſis*. *Ouis aries*.

Aues,

Vultur percnopterus capite nudo, gula plumoſa. p. 208. Extra Cairum vna cum canibus cadaueribus veſcitur et quisquiliis, vtiliſſima apud Aegyptios auis, deſtruit putredinoſa cadauera, ſequitur ſocietatem peregrinatorum Meccam quotannis abeuntium, vt ca-

dauera camelorum ſub itinere morientium deuoret. Locum quem ſemel inhabitant non facile reliquunt. *Strix otus* capite aurito pennis 6, Aegyto non infrequens. *Strix orientalis* facie piloſa, vorax eſt, quam maxime feneſtras veſpere apertas intrat, et infantes necat. *Pſittacus cubicularius* cauda cuneiformi, habitat in Aethiopia, egregiis coloribus ludit, articulatos ſonos facile imitatur. *Pſittacus obſcurus* niger vertice cinereo nigreſcente vario, cauda cinerea. *Monedula phyrrocorax*, locus Aegypti inferioris, veſcitur inſectis blattae ſimilibus. *Coruus aegyptius* viridi maculatus, magnitudo alaudae, locus Aegyptus in arboribus. Viuit inſectis. Scolopendrae et ſcorpionis rudimenta in ventriculo inuenit. Picus minor, Smirnam ex Natoliae ruricolis allata, vix migratoria auis. *Alcedo rudis* magnitudine turdi, habitat in Aegypto circa ripas Nili, piſces volitando ſupra aquam lari more captat, roſtro ſatis longo et robuſtiſſimo. *Alcedo aegyptia*, circa Cairum in cycomoris et dactylis nidificans, veſcitur ranis, inſectis, piſciculis. *Merops galilaeus*, magnitudine turdi, in campis Galilaeae. *Ardea ibis* tota alba, pedibus atris, in Aegypto inferiori, poſt inundationem Nili magno numero cibum quaerens ex inſectis et ranis paruis, ſerpentibus. Pectus et collum in altum erigit, dum quieſcit, caudam vero demittit. Eſt ſine omni dubitatione Ibis veterum Aegyptiorum. *Tringa aegyptiaca* longiroſtris, fuſco albidoque variegata, magnitudine gallinae. *Tringa autumnalis* eiuſdem magnitudinis longiroſtris dorſo abdomineque purpuraſcente. *Tringa ſubtridactyla*, magnitudine columbae. *Charadrius autumnalis* menſe octobri aduenit in Aegypti loca paludoſa. *Charadrius alexandrinus* inſecta conſumit, locus Aegypti canalis, qui aquam ex Nilo Alexandriam transfert. *Charadrius aegyptius*, in Aegypti planitie

tie magnitudine turdi. *Charadrius keruan* ardeis affinis auis, in Aegypto inferiori, ob ſonum in caueis ſeruatur, multique eum aeſtimant incolae, caro paululum duriuſcula, ſaporis tamen balſamici, optimi, voraciſſimus eſt et carniuorus, infeſtat glires, raro bibit. *Charadrius ſpinoſus*, in locis Aegypti inferioris paludoſis, gallis dominicanus ob collum nigrum lateribus candidis. *Fulica atra*. *Anas damiatica*, Anas nilotica, inter anſeres domeſticos in Aegypto ſaepe viuit. *Mergus tinus*, aeſtate ſeptentrionem inhabitat. *Larus ſmirnenſis*. Larus caneſcens, Larus nigricans. *Sterna nilotica*, notabilis inter Aegypti purificatores, gregatim menſe Ianuarii amnem Traiani Cairum praeterfluentem occupat, quaeritque inſecta aptera, vermes, piſciculos. *Gallina meleagris*, in Nubia aliisque Africae locis domeſtica, ſonus quem edit, ſingularis valdeque ſonorus, placidi eſt ingenii, homines non abhorret, ob ſplendentem colorem ad pulcherrimas aues pertinet, ab Auctore ex aſſe deſcripta. *Tetrao orientalis*, huius auis mas et foemina deſcribitur. *Tetrao iſraelitarum*, magnitudine turturis, habitat in deſertis palaeſtinae inter Iordanum et Iericho et in deſertis Arabiae petraeae, eſt ſine dubio auis illa ab Iſraelitis in deſerto pro cibo aſſumta. Columbarum variae ſpecies, nimirum columba, area oculorum lata nuda rugoſa, pallide ſanguinea, ex Arabia, columba criſpa, columba arabica tremula, quae Cairi migratoria eſt. *Alauda hiſpanica*. *Sturnus vulgaris* in Aegypto, tempore hiemali ex Europa aduenieus. *Emberiza melitenſis*, *Emberiza africana*. *Motacilla yuica*, Motacilla corpore ex fuſco virideſcente, pectore ferrugineo, Motacilla hiſpanica.

Auium migrantium aduentum in Aegyptum an. 1750 hoc modo obſeruauit: Menſe Sept. et Oct. ſub finem primi et initium ſecundi ex ordine ſcolopacum

pacum aduenichant Ardea grus, Ardea virgo, Tringa autumnalis, Tringa aegyptiaca, Tringa vanellus, Tringaeque aliae ſupra nominatae, Pelecanus onocrotalus. Menſ. Sept. Ficedulae, Alaudae, Carduelis, Paſſer domeſticus et alia huius generis. Menſ. Nou. Pluuiales omnes, Anas boſcas, Anas penelope. Menſ. Mart. Tetrao coturnix maxima copia hac menſe ob meſſem tritici aduenium et ab incolis retibus in cibum gratiſſimum capiuntur.

Amphibia.

p. 292. *Lacerta crocodilus* lingua nulla, cameris cordis duabus. Sanguis floridus non eadem ratione eſt ad magnitudinem huius animalis vt in quadrupedibus. Bilis et ſuccus pancreaticus longe maiori copia vt in alio animali adſunt, lapides ingerit in ventriculum. Excrementa per anum non eliminari referunt Aegyptii, atque ſtructura inteſtini iuxta pylorum hoc confirmare videtur, nam nimis anguſta eſt huius inteſtini cauitas. Omnes quoque vno animo affirmant, animal hoc quotidie e Nilo prodire, quoties gulam exonerare cogatur; antrorſum coit. Oua ſunt magnitudinis inter oua gallinacea et anſerina. Pinguedo in rheumatiſmo, ſiccitate et rigiditate tendinum optimum eſt apud Aegyptios remedium. Fel ad oculos valere tradunt; certumque remedium contra ſterilitatem. Oculi ex aphrodiſiacis ab Arabibus maxime commendantur. Damnum inexplicabile haec beſtia plebeculae in Aegypto ſuperiore adfert. Sine dubio leuiathan Iobi. *Lacerta chamaeleon* in ventriculo variorum inſectorum Cl. Auctor inuenit v. c. tipulae, coccionellae, papilionum rudimenta; et quod magis mirandum, partem ſpicae hordei integram in excrementis vidit. Non niſi iracundus colorem ex nigro in flauum vel virideſcentem mutare ſolet. Quare falluntur illi, qui ſibi perſuadent, hoc animalculum ex aere viuere omnesque colores

rerum

rerum circumiacentium, repraesentare *). *Lacerta stellio* a Turcis, dum eis obuenit, semper necatur, existimant enim, quod caput declinando eos imitetur, dum preces faciunt. *Lacerta aegyptia*, cauda verticillata squamis denticulatis, pedibus pentadactylis, in planitie et montosis locis Aegypti. *Lacerta gecko* cauda tereti mediocri, pedibus cristatis, in domibus Cairi admodum frequens, ex lobulis digitorum venenum exhalare traditur. Vidit ipse Cl. HASSELQUIST Cairi, dum animalculum supra manum religiosi cuiusdam currebat, qui illud capere decreuerat, post temporis spatium pustulas minimas cum rubore ortas paruoque dolore coniunctas. *Lacerta stincus* in Arabia petraea superiorique Aegypto, aphrodisiacum insigne, sumitur huius animalis caro in puluerem redacta cum stimulante quodam; saepe etiam iusculum ex recenti animali decoctum ab Arabibus adhibetur. *Lacerta nilotica;* sunt Aegyptiorum multi, qui credunt, hoc animal ex ouis crocodili oriri. *Coluber vipera*, ex hoc in Aegypto parantur omnia, quae in pharmacopoeis expetuntur. Interim valde dolendum est, quod Cl. HASSELQUIST arcanam illam artem capillandi tractandique haec detestabilia animalia absque periculo expiscari non potuerit; cum enim Cairi commoraretur, saepe vidit,

*) Liceat nobis obiter annotare, non iracundiam, sed lucis externe admissae varietatem colorem huius animalis mutare. Si enim in obscuro detinetur, tunc ex viridi nigricantem, in moderata luce virideſcentem, in auctiore flaueſcentem, in splendore solis ex luteo albidum quasi referre colorem. Non vero radii lucis tantum in hac mutatione concurrunt, sed cutis leuiter tuberculata in his mutationibus non nihil crispari videtur. Mechanismus linguae etiam singularis est, cum hoc animal illam quasi proiiciat et cuspide obtuso, muco instructo muscas aliaque insecta animalcula, quibus solis vescitur, capiat.

vidit, circulatores viperas ex facco protrahere, tractare, tandemque necare, cum tamen dentibus nocivis etiam tum inſtructae eſſent. *Coluber cornutus* vipera Aegypti duplo longior, craſſities digiti maximi circa abdomen, caudae calami ſcriptorii. *Coluber Haje* apud Arabes dictus, gulam et collum iratus inflat, vt corpore quadruplo craſſiora euadant. Colubrorum aliae duae ſpecies in inſula Cypro detectae nominantur, ſed nullae deſcriptiones ſunt adiectae. *Anguis iaculus, anguis colubrina, anguis ceraſtes.*

Piſces.

p. 323. *Muraena anguilla. Echeneis neucrates*, Arabis Chamel, rariſſimus in iſtis aquis. *Gobius paganellus. Scorpaena* pinnulis ad oculos et nares. *Chaedoton* maris rubri aculeis in vtroque latere ad caudam duobus. *Sparus mormyrus* maxilla ſuperiore longiore. *Sparus auratus, Sparus orientalis Sparus niloticus, Sparus galilaeus*, habitat Genezareth in Galilaea. Forſan piſcatura prodigioſa ex hoc piſce Luc. V. *Labrus Pauo* ad littora Syriae inprimis. *Labrus niloticus*, Nili optimus piſcis. *Labrus orientalis*, *Sciaena umbra*, *Perca aegyptiaca*, *Perca Luth*, *Perca nilotica*, ſapore grato, ideoque apud Aegyptios in deliciis. *Scomber trachurus*, *Scomber ductor* aliorum piſcium hoſtis. *Silurus clarias*, punctura, quam facit cum oſſe pinnae pectoralis robuſtae, valde eſt venenata. *Silurus anguillaris*, ſeu Charmut niloticus. *Silurus miſtus*, ſ. Schilbe niloticus, veſcitur piſcibus pinna dorſi minima, et ore aculeato ab aliis ſpeciebus ſtatim diſtinguitur. *Salmo niloticus* cauda ſquamoſa, ingenti magnitudine carnis dulcis, plurimique aeſtimatur. *Atherina hepſerus* piſciculos ex ſpecie ſua deuorat. *Mugil cephalus*, *Clupaea aloſa* nilum conſcendit, origano repleta et aſſata ebrietatem fere producit; guſtu reliquis ſui generis haud inferior piſcis.

piſcis. *Cyprinus orientalis*, *Cyprinus rafeſcens*, *Salmo dentex*, quem auctor ſparum nominauit. *Mormyrus caſchiue*, *Tetraodon fahaka*, de hoc piſce referunt piſcatores, eum aculeata ſua cute adeo pungere, vt puſtulae in manibus oriantur, carnem praeſentiſſimum eſſe venenum, aſſerunt Aegyptii omnes. *Sygnathus marinus*.

Inſecta.

Scarabaeus ceratoniae, in ceratonia ad alas foliorum, vbi foueam formauerat, repertus eſt Cairi. p.408. *Curculio cypri*, *Chryſomela cichorii*, per totum orientem in flore Cichorii, quem conſumit. *Cerambyx ſmirnenſis*, *Gryllus arabicus*, apud Arabes eſculentus; modum ex his gryllis praeparandi cibum non tantum hic, ſed quoque in act. Holm. 1752 deſcribit. Forſitan grylli nominati ei ſunt, quibus olim Ioannes bapt. in deſertis veſcebatur. *Sphinx caput mortuum*. Sphingis larua an caput mortuum? *Phalaena ficus*, *phalaena amygdali* fructus, *phalaena bombyx*. *Ephemera coa*, *Cinips ficus*, femineas ficus inhabitat, germina corrodens. *Cynips caricae*, *cynips cycomori*, *cynips Aegypti*, *tenthredo ſodomitica*, *tenthredo dactyli*, *ichneumon Natoliae*, *ichneumon vitis*, *apis mellifera*, *culicum duae ſpecies*, *muſca buphthalmi*, *acarus citri*, *acarus teſtudinis*, *araneus galilaeus*, *aranea coa*, *cancer anomalus*, tempore veſpertino mare deſerens, littora fabuloſa petens, vbi velociſſime currit. His annexa ſunt dubia, primum ſcutellata an larua ſilphae? deinde indeterminata.

Vermes.

Sepia octopedia nullum humorem atrum demittit. p.442. *Cochlea pomaria*, *cochlea ſyriaca*, *concha graeca*, *concha aegyptiaca* in Aegypto comeditur, *concha pecten dytine*, *concha pinna*.

Plantarum catalogus a Cl. HASSELQUIST maximam partem deſcriptarum nunc ſubiicitur. p.451.

1. Iris

p.451. 1 Iris tuberosa.
2 Cornucopiae *cucullatum.*
3 Hypecoum *procumbens.*
4 Anagallis *monelli.*
5 Mirabilis *Ialapa.*
6 Solanum *incanum.*
7 Cordia *myxa.*
8 Lycium *europaeum.*
9 Chenopodium *aegyptiacum.*
10 Cicuta *virosa.*
11 Linum *vsitatissimum.*
12 Ornithogalum *vmbellatum.*
13 Aloe *vera.*
14 Lawsonia *spinosa.*
15 Anonyma *dubia.*
16 Anagyris *foetida.*
17 Cassia *Sopher.*
18 - - *Hiarsciamb.*
19 - - *Ketschta.*
20 Punica *granatum.*
21 Rosa *varia.*
22 Nymphaea *lotus.*
23 Dubia *Schike.*
24 Mimosa *Lebbek.*
25 - - *nilotica.*
26 Anemone *coronaria.*
27 Clematis *orientalis.*
28 Origanum *aegyptiac.*
29 Nepeta *syriaca.*
30 Orobanche *laeuis.*
31 Draba *verna?*
32 Lathyrus *aegyptiacus.*
33 Dolichos *Lablab.*
34 Carthamus *tinctorius.*
35 Artemisia *dracunculus.*
36 Viola *odorata.*
37 Arum *Colocasia.*
38 Vrtica *aegyptiaca.*
39 Platanus *orientalis.*
40 Momordica *Luffa.*
41 - - *balsamina.*
42 Cucurbita *lagenaria.*
43 - - *citrullus.*
44 Cucumis *Jatiuus.*
45 - - *Melo.*
46 - - *Chate.*
47 Ceratonia *siliqua.*
48 Ruscus *aculeatus.*
49 Musa *paradisiaca.*
50 Ficus *Cycomorus.*
51 Phoenix *dactylifera.*
52 Bryum *Aegypti.*

Ex his modo vnam et alteram obseruationem descriptionibus adiectam cum lectore communicamus: *Nectarium hypecoi* procumbentis copiosum mel apibus praebet. *Solani incani* fructus pro cibo valde communis est in Aegypto. *Chenopodio aegyptiaco* vtuntur in acetariis ob gustum salino aromaticum. *Cicuta virosa* frequens ad littora Nili a bobus sem-

ſemper intacta relinquitur. Cultura *lini ſatiui* in Aegypto copioſa eſt, inprimis in inſula Delta et iuxta Damiatam, ipſium tamen Europaeum bonitate non ſupera, grande admodum creſcit, caulis ſaepe arundinis vulgaris craſſitie. *Aloe perfoliata* vera religioni apud Muhamedanos quodammodo dicata, cuncti enim, Mecca reduces, plantam hanc ſupra aedis portam ſuſpendunt; aqua ex illa deſtillata in pharmacopoeis Cairi venalis ad tuſſim cohibendam, commendatur quoque hyſtericis, aſthmaticis et in ictero cum fructu. *Lawſoniae* ſpinoſae folia, in puluerem redacta, in aquam feruentem iniiciuntur, his alligatis vnguibus manuum et plantis pedum color inde efficitur fuluus, qui Aegyptiis in deliciis eſt. Vngues mumiarum eodem colore eſſe tinctas, Cl. Auctor obſeruauit. *Roſa albà* flore pleno pro aqua deſtillanda ab Aegyptiis et Turcis valde expetitur, ea vtuntur ad manus, faciem, barbam et veſtimenta irroranda, quae irrorata fumo olibani, ligni aloes etc. perfumantur, quando quis hoſpitem laute excipere cupit. *Mimoſa nilotica*, ex qua arbore arabicum gummi, gummi thuris et ſuccus acaciae colliguntur, nec ex acacia, vt hactenus creditum eſt. *Dolichos Lablab* in hortis aegyptiis vbique ad formanda vmbracula reperitur, non indigena eſt planta, ſed forte olim ex India allata. *Carthamus tinctorius* in Aegypto immenſa copia colitur, corollarum vſus magnus in arte tinctoria eſt, praeparandi coloris modum Auctor noſter tradidit, folia tenera inter acetaria. Smirnae in puluerem redacta folia ad coagulandum lac adhibentur. Semina animalibus venenata, non item pſittaci aethiopici ſpeciei. *Viola odorata* ab Aegyptiis maximi aeſtimatur ob odorem gratum, praecipue ob vſum inſignem, quem illis ob potionis genus, Sorbet dictum, praeſtat ex ſaccharo violarum in aqua ſolutum praeparatum. Planta-

rum *cucurbitinarum* Aegyptiis maximus eſt vſus ad cibum, potum et medicinam parandam. *Cucumis Chate* iucundiſſimum omnium et minime obnoxium refrigerans, dignus itaque magnatum tabula eſt fructus. *Ficus ſicomorus* inſecto pungitur maturationis tempore, quod ſupra iam nominatum eſt. Vtrum hermaphrodita an androgyna ſit fructificatio, certe determinari non poterat. Ab antiquis Aegyptiis adhibebatur lignum huius arboris, per plura ſecula putredinem non admittentis, ad conſtruenda conditoria, in quibus corpora mortuorum balſamo condita reponerent. His traditis, ſequuntur plantae Damiatae repertae, quas excipiunt deſcriptiones opali gemmae, cotis damiatae et natri aegyptiaci.

p. 511. Quae annexa eſt hiſtoria naturalis Palaeſtinae, continet nomina plantarum, quae Iaffae, iuxta Acrin, Hieroſolymae, monte Sionis, in valle iuxta vrbem Iericho, via St. Ieremiae, inter Hieroſolymam et Ramam, ad fontem ſignatum Salomonis prope Bethlehem, monte Thabor, monte tentationis CHRISTI, ad fontem Salomonis prope Tyrum, et iuxta mare
p. 521. mortuum inuenit. *Sycomorus* ſatis frequens arbor in Palaeſtina certe fuit illa, quam conſcendebat ZACHAEUS, vt praetereuntem CHRISTUM adſpicere poſſet. *Poma ſodomitica* fructus ſunt Solani melongenae, copioſe haud procul a mari mortuo creſcunt, interdum puluere intus repleta reperiuntur ex punctura inſecti e genere tenthredinum. *Behen* arbor creſcens in monte Sinai et Aegypto ſuperiori, ex quo forte balſamum AARONIS, per ſe enim inodorum, opportuniſſimum ad vnguenta et balſama praeparanda. *Phamnus* aculeis geminis ad alas foliorum, ſpina CHRISTI, profecto apta erat haec planta in oriente frequentiſſima huic negotio. *Ononis ſpinoſa* pernicioſa illa planta, quae integros campos

Ae-

Aegypti et Palaeſtinae occupat, ſine dubio ſpinas illas illuſtrat, quarum ſaepe in libris ſacris fit mentio. *Solanum incanum*, in Palaeſtina commune forte labruſcam ſcripturae ſacrae declarat. Iſraëlitarum cepae, ab eis tantopere deſideratae, fuerunt certe Allium cepa, ob vſum copioſiſſimum et praeſtantiam in Aegypto; huc pertinet quoque allium porrum, quod ſaporis cauſa incolis gratiſſimum. De locuſtis IOANNIS ſupra diximus. *Petra* MOSIS ſaxum eſt micaceoſpatoſum particulis quartzoſis paucioribus, granites vulgo vocatus, lapis, ex quo procul dubio MOSES tabulas pro incidendis legibus excidit.

Veniamus nunc ad ea, quae, ad materiam medi- p. 528.
cam pertinentia, Auctor noſter deſcripſit. Primum occurrit *balſami de Mecha* veri ſeu opobalſami deſcriptio: colore eſt flaueſcente, pellucido, odore fragrantiſſimo, reſinoſo balſamico, gratiſſimo, conſiſtentia tenaciſſima, digitos conglutinante apud Turcas magnae eſt aeſtimationis, nam ſummum ab illis habetur ſtomachicum, princepsque vulnerarium eſſe putatur. A peregrinatoribus quotannis Mecca redeuntibus adportatur, ſed de qua arbore colligatur, res plane incerta eſt. *Maſtix*, ſeu rectius Maſtiche, a Turcarum feminis ad albedinem dentium conſeruandam gratumque odorem ſpiritus oris excitandum maxima copia conſumitur. *Olibanum officinarum* in Arabia vtraque colligitur, in lachrymis optimum eſt, quod fragrantis odoris, coloris pellucidi ex flaueſcente albidi, fragile et in puluerem facile redigendum. *Gummi arabicum*. *Opium* hodie a pauciſſimis ſumitur. Modus *caſſiae fiſtulae* praeparandi. *Scammonium*. *Schoenanthum offic.* inter herbas aromaticas et ſuaueolentes a Regina Arabiae SALOMONI dono datas, ſine dubio fuit. *Sennae officinalis* folia planta in Aegypto ſuperiore indigena. *Mirobalani offic.* minus cognitum medicamentum ab Arabibus et Aegyptiis

velut laxando corroborans et adſtringens adhibetur, fructus myrobalanorum adhuc botanicis incognitus eſt; hoc certe conſtat, natalem locum eſſe Indiam iuxta Malabariam et in vicinis locis Bengalae. *Spica celtica* apud gentes Africae interioris, Abyſſiniae et Aethiopiae ad vnguentum molliendae cutis cauſſa conficiendum in vſu eſt. *Mumiae mineralis* materies bituminoſa, ſplendida ſub dentibus friabilis, atra, fere inodora ex Perſia venit, pretioſiſſima bituminis certe eſt ſpecies ſummum vulnerarium, ſi fides chirurgis Cairenſibus habenda ſit. Vnguentum mumiae ad ſananda vulnera hominum aliorumque animantium. *Domb* fructus incognitus, drupa ſuperiore Aegypto creſcens. Corticalem cum carnoſa ſubſtantia Aegypti crudam manducant adſtringendi, coctam vero laxandi aluum cauſſa. Quo modo ſal ammoniacum paratur, abunde explicatur.

p. 544. Ad morbos, quos Cl. HASSELQUIST apud Aegyptios annotauit, inprimis referendi ſunt peſtis, febris maligna damiatae ſingularis, ſynocha, tertiana, cephalalgia, colica, calculus, aſthma, hyſteralgia, imaginatio, taenia, ophthalmia Aegyptiorum, ſiphylis, herpes Aleppina, hernia, ſterilitas, etc. Singularia ſaepe ſunt remedia, quibus Aegyptii ad curandos hos morbos vti ſolent, ſed verendum eſt, ne nimis ampla fiat recenſio, ſi curandi modos omnes deſcribere vellemus.

p. 560. De rebus, quae ad mercaturam pertinent, diſputatum eſt, de diuitiis Aegypti, de mercatura generatim, enarrantur Gallorum Aleppi, Damiatae, Perſiae commercia, explicantur paucis Aegyptiorum pondera, deſcribitur Turcarum veſtitus, diſſeritur de coffea, goſſipio, ſuffimentis et vini mangoniſatione.

p. 569. Finem faciunt litterae, quas Arch. LINNAEUS ab HASSELQUISTIO accepit, quarum ſumma tamen ita comparata eſt, vt quae ante iam indicata ſint,

ſint, maximam partem in his referantur. Priuſquam theſauros hos naturales, quos Cl. HASSELQUIST magna cum laude collegit, relinquimus, monendum eſt, ab eo et alias diſputationes peculiares in Sueciam eſſe miſſas, quae in Actis partim Vpſalienſibus, partim Holmienſibus legendae exſtant; in Vpſalienſibus reperiuntur deſcriptiones de mimoſa *Lebbek*, ceruo camelopardali, mure iaculo, turdo ſolitario, fulica atra, colubro vipera, colubro cornuto, angue ceraſtes dicto, lacerta ſcinco; in actis Holmienſibus de herpe Aleppina, vulture quodam, praeparatione ſalis ammoniaci, cibo e locuſtis praeparando, mure montano.

XXIV.

Traité des Tumeurs et des Ulceres, où l'on a tâché de joindre à une Théorie ſolide, la Pratique la plus ſûre et la mieux éprouvée: avec deux lettres, I. ſur la compoſition de quelques Remedes, dont on vante l'utilité, et dont on cache la préparation. II. Sur la nature et le ſuccès des nouveaux Remedes, qu'on propoſe pour la guériſon des Maladies Vénériennes. Tome premier, à Paris, chez P. Guillaume Cavellier 1759. 8. pl. 20. Tome ſecond ib. eod. an. 8. pl. 19.

h. e.

Tractatus de tumoribus et vlceribus, etc.

In duos tomos tractatus hic diſpeſcitur, quorum vterque tres libros comprehendit. Agit vero Lib. I. de phlegmone et tumoribus inflammatoriis,

toriis, cap. 1) de phlegmone ſ. inflammatione 2) de abſceſſu ſ. apoſtemate 3) de gangraena et ſphacelo inflammationi ſuperuenientibus 4) de gangraena ſicca ſ. ſcorbutica 5) de furunculo 6) de hordeolo 7) de vena medinenſi 8) de anthrace ſ. carbunculo 9) de paronychia 10) de parotidibus, bubonibus etc. 11) de pernionibus 12) de ſugillatione. Lib. II. de eryſipelate et de tumoribus eryſipelatoſis cap. 1) de eryſipelate 2) de herpete 3) de ſcabie 4) de papulis 5) de ſora, (*la porcellaine*) 6) de ſudaminibus (*echaubouillures*) 7) de lentigine (*rouſſeurs du viſage*) 8) de gutta roſacea 9) de cruſta lactea 10) de igne ſacro 11) de varis 12) de tinea 13) de malo mortuo 14) de naeuis maternis. Lib. III. de oedemate et tumoribus oedematoſis cap. 1) de oedemate 2) de hydatidibus. Lib. IV. de ſcirrho et tumoribus ſcirrhoſis cap. 1) de ſcirrho 2) de cancro 3) de gangliis 4) de verrucis 5) de clauis pedum Lib. V. de tumoribus, qui ad nullam claſſium praecedentium referri poſſunt, atque proinde quintam claſſem conſtituunt, cap. 1) de ſcrophulis 2) de tumoribus tunicatis 3) de teſtudinibus et talpis (*loupes à la tête*) 4) de ſtrumis 5) de gummatibus 6) de ſarcomatibus 7) de emphyſemate. Lib. VI. de vlceribus cap. 1) de vlceribus in genere 2) de vlcere benigno 3) de vlcere ſicco, non, aut non ſatis ſuppurante 4) de vlcere putrido, nimium ſuppurante 5) de vlcere calloſo 6) de vlcere ſinuoſo 7) de vlcere ad os vsque penetrante 8) de vlcere cum hyperſarcoſi 9) de vlcere chironio 10) de vlcere dyſepulote. Subiunxit his Cl. Auctor duas epiſtolas, in quarum prima de remediis quibusdam, quorum vſus extollitur, praeparatio reticetur, in altera de natura atque ſucceſſu nouorum remediorum ad morbos venereos commendatorum loquitur.

Poſtquam pauca Cl. Auctor de tumorum diuiſione praemiſit, ad ſpecialius cuiusque examen deſcendit,

in

in quo quidem ita verſatur, vt deſcriptione praemiſſa, differentias, cauſas et ſymptomata exponat, diagnoſin cum prognoſi addat, tandemque his omnibus curationem ſubiungat. Morbus, de quo in primo capite ſermo fit, *inflammatio* eſt. Haec a ſanguinis, in vaſis quibusdam ſtagnantis, coaceruatione oritur; id, quod quidem triplici modo fieri poteſt, etenim aut ſanguis arterias capillares diſtendit, ibidemque viam ſibi praecludit, et primum phlegmonis gradum efficit, aut in lymphatica vaſa penetrat, et ſecundum gradum conſtituit, aut demum ruptis vaſis in vicinas partes effunditur, vnde tertius inflammationis gradus proficiſcitur. Cauſae, ſtagnationem talem ſanguinis efficientes, aut a ſanguinis, aut vaſis continentis, aut ab vtriusque vitio proueniunt. Reſolutio inflammationis triplici modo fit. Si quando enim haec a ſanguine in arteriis capillaribus haerente oritur, ſola horum vaſorum actione diſſoluitur, vbi vero a ſanguine in vaſa lymphatica protruſo fit, et ſanguifera et lymphatica vaſa ad reſolutionem ſymbolam ſuam conferunt, cum eam, quae a ſanguine extrauaſato eſt, ſola lymphatica praeſtent. Si reſolui inflammatio non poteſt, aut motus vaſorum oſcillatorius, illeque ſanguinis fermentatiuus intenduntur et generatur *abſceſſus*, aut pulſatio arteriarum, ipſaque fibrarum oſcillatio extinguuntur, et *gangraena* oritur. In huius curatione corticis peruuiani vſum non quidem reformidat Cl. Auctor, minus tamen felices effectus in Gallia exſeruiſſe, et in iis modo caſibus, vbi a febre intermittente aut continua orta gangraena fuerat, proficuum viſum fuiſſe adſerit. *Furunculi* ſedem in glandulis ſebaceis, *carbunculi* vero in miliaribus eſſe exiſtimat, et huius prognoſin pro varia parte, quam occupat, et pro varia cauſa efficiente, variam vtique formandam praecipit. *Paronychia* vera oritur, ſi quan-

p. 6.
p. 36.
p. 56.
p. 88.
p. 130
p. 155

quando guttulae aliquot lymphae ſub vnguis radicem et inter hanc et cruſtam cartilagineam, perioſteum externum vltimae digiti phalangae obtegentem effunduntur. Egregie itaque, vt Noſter autumat, falluntur, qui aliam eiusdem originem agnoſcunt, vel ad magnos adeo effectus, quibus plerumque morbus hic ſtipatus eſſe ſolet, explicandos ad corroſiuam effuſi humoris indolem prouocant, ſi quidem ad eosdem omnes explicandos, ſoli humoris extrauaſati compreſſio docente machina Papiniana ſufficit. In curatione Cl. Auctor praecipit, vt ſtatim ab initio, cutis ad radicem vsque vnguis incidatur, et puſtulis ſub vngue deliteſcentibus, et ſolo rubore vel eleuatione in ipſa vnguis radice ſe manifeſtantibus, apertis effuſa lympha educatur.

p.204. *Perniones* ab inſpiſſatione lymphae proueniunt. Quamdiu enim haec in vaſis quieſcit, aut lente modo fluit, tumore pallido oedematoſo affecta pars grandeſcit, vbi vero a vaſorum iſtorum inflatione adiacentes venae comprimuntur, et ipſi ſanguini circulanti obex ponitur, eryſipelatoſus tumor inſurgit, qui protracta frigoris actione phlegmatodes, tandemque ſeroſo latice e vaſis ſudante vlceroſus fit, et ſummam frigoris membrum adurentis vim indicat.

p.261. *Eryſipelas* vera cutis inflammatio, eademque proin-
p.272. de ferme ratione tractanda eſt. *Herpetis* ſedem in cellulis membranae reticularis, *ſcabiei* vero in canalibus glandularum miliarium excretoriis Noſter ponit, prioremque aut a nimia epidermidis ſiccitate, aut ab acrimonia humoris mucoſi, membranam reticularem irrorantis, alteram vero aut ab acrimonia, aut a neglecta munditie, aut demum a contagio de-

p.355. ducendam exiſtimat. *Gutta roſacea* a glandulis ſebaceis vario modo mutatis oritur. *Cruſta lactea*, quae in iisdem nidulatur glandulis, aut a ſola ſebacei humoris abundantia, aut ab hac et acrimonia ſimul

ſimul proficiſcitur. *Ignis ſacer*, infantibus circa vtriusque dentitionis terminum plerumque moleſtus, vt herpes in cellulis hoſpitatur membranae reticularis, cum *tinea*, cuius cauſa primaria corrodens acrimonia lymphae, pilos nutrientis, eſt, capſulas ſiue bulbos pilorum radices comprehendentes occupet. p.381.
Malum mortuum ab Auctoribus mediae aetatis ſub hoc nomine deſcriptum, ſedem habet in cute, in cuius ſuperficie craſſiores, aſperae, fuſcae aut nigrae, plus minus amplae cruſtae inſurgunt, ſine vllo incommodo per plures annos in eodem ſtatu atque loco permanentes, quae ſi ſponte cadunt, aut ſcalpando remouentur, cutim pauliſper rubentem oſtendunt, ex qua parum humoris ſpiſſioris in ſimilem cruſtam breui tranſeuntis effunditur. Duplex autem hoc malum, congenitum nempe aut aduentitium eſt, quorum vtrumque aut cellulas membranae reticularis aut ipſas glandulas ſebaceas occupat, et vix, niſi his ipſis cum cute, lapide infernali deſtructis, vllam curationem admittit. p.401.

Naeuos maternos a variis quidem cauſis, nequaquam vero a friuolis matrum, vterum ferentium, cupiditatibus, embryonum cuti imprimi Noſter docet, et non immerito in eos emunctioris naris inuehitur, qui opinionibus illis muliercularum ridiculis ſubſcribere non dubitant. Curatio plenaria cutis maculis obſitae, exſtirpationem deſiderat. *Oedema*, de cuius ortu egregie Cl. Auctor differit, aut a lymphae in vaſis ſtagnantis coaceruatione, aut ab eiusdem in contextum celluloſum partium adiacentium effuſione oritur. Prius fieri ſolet, quoniam 1) lympha abundat 2) ſanguis propter peculiares cauſas nimiam huius copiam deponit, 3) vires, lympham protrudentes, imminutae ſunt 4) obſtacula liberum eiusdem fluxum intercipiunt. Alterum genus prioris effectus eſt, et a vaſorum, lympham ducentium, p.421.

p. 462. ruptione proficiſcitur. *Hydatides* graecis medicis minus, aut ſaltim non ſub hac voce notas fuiſſe, variis argumentis Cl. Auctor comprobat, et FERNELIUM primum fuiſſe, qui ſub hoc nomine eas deſcripſerit, oſtendit.

T. II. p. 39. Cauſam, quae materiam *ſcirrhi* ita expandat et rarefaciat, vt ruptis velamentis in apertum cancrum degeneret, in aucto calore Noſter quaerit, cuius augmentum vel a naturali ſanguinis calore intenſo, vel a calore partis ſcirrhoſae, topicis reſoluentibus calidioribus aucto, vel ſanguine copioſius ad partem affectam appellente deducit. Expanſionem itaque ſolam materiae ſcirrhoſae ad ſymptomata quaecunque, cancro ſuperuenientia, explicanda ſufficere, nec vllam corroſiuam quandam humoris vitiati indolem accuſandam eſſe exiſtimat, ad experimentum prouocans, vbi mammam cancro obſitam, amputatam et ponderatam deſtillationi ſubiecit, nec vllum inde aliud productum, quam a fruſtis carnis bouinae recentis eiusdem ponderis, deſtillatis obtinuit. Cui tamen opinioni foetor putidiſſimus, linamenta impoſita arroſa, ipſaque contagioſa mali indoles, ſi mundities neglecta fuerit, non parum repugnare

p. 242. videntur. *Vlcera* per ſolutiones continuitatis partium molliorum cum affluxu puris Cl. Auctor definit, omnes itaque abſceſſus omniaque vulnera, quam primum pus fundere incipiunt, vlcerum nomine inſignienda eſſe, autumat. Inter cauſas, quae efficiant, vt vel omnino non, vel parcius, quam par eſt, vlcera ſuppurent, referuntur exceſſus aut defectus inflammationis et quaecunque abundans euacuatio. *Vlcera vetuſta chironia*, in cacochymicis, ſenibus et aliis, grauioribus vtcunque malis tactis hominibus, vel plane non, vel certe non prius, quam deprauatorum humorum correctio inſtituta fuerit, claudere recte Noſter praecipit, ſiquidem non parum

ad

ad grauiores hos morbos leniendos, praeuertendos fugandosque conferunt.

Sequuntur nunc duae illae epiſtolae, a Cl. Auctore tractatui ſubnexae, quarum contenta paucis Lectoribus noſtris iam ſumus tradituri. Agit nempe pri p. 374.
ma de remediis quibusdam, quorum effectus maximopere extollitur, praeparatio reticetur. Remedia autem, quorum compoſitionem Cl. Auctor communicat, ſunt: 1) remedia antiſcorbutica Cl. DU MOURET, 2) candelae cereae Cl. DARAN et 3) emplaſtrum nigrum Abbatis DOYEN. Remediorum antiſcorbuticorum Cl. DU MOURET numerantur quatuor 1) vinum antiſcorbuticum: Rec. Rad. raphani ſylueſtr. vnc. xij. rad. bardan. vnc. vj. fol. cochlear. naſturtii aquat. becabung. fumar. aa Mij. Haec omnia bene lota, reſiccata et in mortario contuſa cum ſeminum ſinapi quinque vnciis pariter contuſis commiſcentur, et, poſtquam quatuordecim menſurae vini albi Burgundici ſuperfuſae, et triginta adhuc drachmae ſalis ammoniaci additae fuerunt, in cucurbita charta bibula obturata in balneo maris per duodecim horas digeruntur, et liquor deinde expreſſus bis quotidie adultis ad ſex vncias exhibetur. 2) Purgans reſoluens: Rec. trochiſcor. alhandal, ſcammonei, mercurii dulcis, et extracti aloës ana vnc. iv. diaphenic. vnc. vij. M. F. pulu. cui ſyrup. abſynth. q. ſ. add. vsque dum formam opiati acquiſiuerit, a ſcrupulo j. ad drachmam j. vsque propinandi. 3) Remedium ad gingiuarum exulcerationem. Hoc duplex eſt. Si enim malum eſſet inueteratum, ſequens adhibeatur: Rec. ſalis ammoniaci ſcrup. ij. camphorae pulueriſ. ſcrup. j. ſpirit. vin. vnc. vj. conquaſſentur diutius in phiola, quo eo melius ſoluantur. Liquore gingiuae eroſae aliquoties per diem inungantur. Vbi leuius ſaltem malum erat, non niſi ſequenti remedio inuentor

vte-

vtebatur: Rec. fol. cochlear. Mij. minutim conciſa, et cum tribus menſuris aquae vitae in cucurbita biduum digeſta deſtillentur, et duobus tertiis partibus liquoris inter deſtillandum remotis gingiuae lauentur. 4) Linimentum antiſcorbuticum: Rec. ſaponis nigri vnc. vj. camphor. puluerif. vnc. ij. ſal. ammon. vnc. iij. aquae vitae Mj. Agitentur exactius, quo ſine igne liqueſcant, et ad vſum reſeruentur. Candelarum cerearum Cl. DARAN duo genera ſunt. Alias enim pro corrodendi, alias pro demulcendi ſcopo conficit. Corrodentes (*bougies fondans*) ſic praeparantur: Rec. olei oliuar lib. j. vini rubri lib. ſ. pullum columbinum, viuum, pennis nudatum, aut huius defectu, pullum gallinaceum, coque in vaſe terreo nouo, ad conſumptionem vini, et extracto dein pullo, in reſiduo diſſolue cerae flauae, picis Burgundiacae ana vnc. iv. ſpermat. ceti vnc. ij. diabotan. vnc. j. quibus deinde puluerem fulmentarum combuſtarum a drachmis duabus ad vncias duas, prout magis minusue catheretica vis requiritur, admiſce, in vnguentum frigefactum fruſta linea immitte, et more ſolito candelas forma. Demulcentium candelarum praeparatio haec eſt: recipiuntur cerae virgineae vnc. viij. ſpermat. ceti vnc. iij vngu. roſat. vnc. ij. vngu. de ceruſſa vnc. ij. funduntur, et inter liquandum parum olei amygdalarum dulcium admiſcetur. Emplaſtrum Abbatis DOYEN ſic conficitur, recipiuntur fol. bugulae, ſanicul. pimpinell. verben. agrimon. anagallid. fl. coccineo, chelidonii ana Mij. qui mundati et contuſi cum vini albi campanenſis menſuris tribus in olla terrea noua, leni igne tam diu coquuntur, vsque dum vini nil amplius appareat, ſuccus deinde poſt refrigerationem fortiter expreſſus in vaſe ſat amplo lenem ſuper ignem denuo coquitur, cui fruſtulatim picis albae libra vna cum tribus vnciis, cerae autem virgineae

tres

tres librae admiſcentur. Mixto ſpatula lignea ſaepius agitato, et bene fluenti maſtichis contuſi et per cribrum traiecti libra vna additur, quo fat fuſo, vas ab igne remouetur, et terebinthinae venetae libra vna adhuc admiſcetur, ſemper agitando, donec maſſa frigefacta emplaſtri conſiſtentiam acquiſiuerit.

In altera epiſtola, de natura et ſucceſſu nouorum remediorum ad venereos morbos commendatorum, exponente, Cl. Auctor primo de camphora vnguentis mercurialibus, pro auertendo ptyaliſmo admiſceri ſolita loquitur, et eadem neque mercurium, neque eiusdem actionem vllo modo alterari oſtendit. Mercurium deinceps aggreditur ſublimatum, cuius vſum, ſub quacunque demum forma exhibeatur, vt maxime ſuſpectum neque tamen ad dirum adeo malum eradicandum ſat efficacem, plane proſcribendum exiſtimat. p. 394.

XXV.

Recueil de pluſieurs pieces concernant le Traité des tumeurs et des Ulceres. Et l'Extrait qu'on en trouve dans le Journal de Medecine de M. VANDERMONDE à Paris chèz P. Guillaume Cavellier 1759. 8. pl. 5.

h. e.

Collectio variorum opuſculorum, tractatum de tumoribus et vlceribus ſpectantium etc.

Quinque collectio haec complectitur opuſcula, quorum primum epitome tractatus de tumoribus et vlceribus eſt, quam Cl. VANDERMONDE diario ſuo medico inſeruit. Quam tamen ſatyrae potius p. 7.

potius quam extracti nomine, vbi perlegeris, di-
p. 27. gnam iudicabis. Alterum opuſculum epiſtola medici Pariſienſis ad medicum Prouincialem amicum eſt, in qua epitomen illam Cl. VANDER MONDE tot tantisque laudibus extollit, vt ironice magis quam vere locutus eſſe videatur.
p. 40. In tertio opuſculo reſpondet medicus ille Prouincialis, et tractatum de tumoribus non modo acriter defendit, ſed et valde contra Cl. VANDERMONDE iratus, vbi et quam erronea in ſua dicti libri epitome aut inſcitia aut inuidia ductus protule-
p. 77. rit, oſtendit. Quartum opuſculum eiusdem medici eſt epiſtola, in qua paſtillis illis Cl. KEYSER non mercurium ſublimatum, vt Auctor tractatus de tumoribus exiſtimat, quin potius mercurium acido vegetabili diſſolutum ineſſe docet, exindeque ad minorem eorundem in morbis venereis debellandis efficaciam concludit, quod vt magis adhuc comprobet, non modo varia argumenta profert, ſed et plura adducit teſtimonia, quod ſaepius ſine omni effectu medicamentum hoc propinatum fuerit. Modus autem Cl. KEYSER paſtillos iſtos conficiendi hic eſt. Aethiopem per ſe in machina peculiari, pro hoc ſcopo confecta, equo commouenda praeparatum, alii machinae, aceto deſtillato plenae, immittit, et ope emboli, huic machinae inditi, et eodem equo agitandi ſpumam excitat albam, quam ſemotam exſiccat, vbi puluerem indipiſcitur album, ex quo manna addita paſtillos efformat, quorum quilibet granum vnum cum ſemiſſe puluerís conti-
p. 107. net. Quintum opuſculum analyſis huiusce puluerís a Cl. PIAT et CADET pharmacopoeis Pariſienſibus inſtituta conſtituit.

XXVI.

XXVI.

Tractatus duo pathologici, nunc primum in lucem editi, Auctore Medico Monſpelienſi in praxi feliciſſimo. Tractatus primus de morbis puerorum. Amſtelodami ſumptibus Fratrum de Tournes 1760. 8. pl. 14. Tractatus ſecundus de morbis cutaneis. ib. eod. an. 8. pl. 15.

In primo tractatu de puerorum morbis Cl. Auctor loquitur, et quidem, vt tabula ſynoptica praemiſſa docet, in capite 1) de puero recens nato alendo, 2) de modo puerum a lacte depellendi 3) de cruſta lactea, 4) de tinea 5) de phthiriaſi, ſeu morbo pediculari 6) de hydrocephalo 7) de epilepſia, et motibus conuulſiuis 8) de vigiliis 9) de pauore nocturno 10) de ſtrabiſmo 11) de aurium inflammatione et vlcere 12) de aphtis 13) de vinculo linguae ſoluendo; et ranula ſub lingua, 14) de difficili dentitione 15) de tuſſi puerorum 16) de vomitu et ſingultu 17) de torminibus puerorum, ſeu colico dolore 18) de alui fluxu 19) de lumbricis 20) de alui conſtipatione 21) de ani procidentia 22) de vrinae incontinentia 23) de calculo veſicae vrinariae 24) de intertrigine 25) de hernia 26) de hypochondriorum et ventris intumeſcentia, 27) de macie 28) de rachitide 29) de tumoribus ſtrumoſis 30) de variolis et morbillis.

Poſtquam in prioribus quatuor capitibus varia quidem vtilia, neque tamen nouitate placentia Cl. Auctor propoſuit, in capite quinto de generatione pediculorum in morbo, qui ab his nomen pedicularis indeptus eſt, adſerit eorum ouula cum cibis ſanguinem ingredi, et accedente pabulo, quod in transpi- p 30.

transpiratione insensibili ponitur, vlterius euolui at-
p. 41. que excludi. Causam, cur in hydrocephalo interno ossa maxime exterius expandantur, neque tamen cerebrum tantam patiatur compressionem, quae functiones ipsius turbet aut prorsus sufflaminet, in comprimentium columnarum aequilibrio quaerendam esse Noster existimat, ad ascitem prouocans, vbi ab aquarum collectione musculi extrudantur valdopere, dum intestinorum canalis, aquis immersus, omnis
p. 122. compressionis immunis conspiciatur. In difficili dentitione iteratam venaesectionem, nisi virium imbecillitas prohibeat, commendat, in vomitu et sin-
p. 138. gultu autem infantulo trium annorum semissem scrupulum radicis ipecacuanhae exhibet. In rachitide ossium extrema intumescunt, quoniam lymphae in ossibus stagnantis maior in his, spongiosa substantia praeditis, abindeque expansioni minus resistentibus, quam in diaphysibus congestio est, caput vero maius est, quod a vertebris tumidioribus spinalis medulla comprimitur, humores hinc minori copia in ipsam deriuantur, sed in cerebro retinentur, vn-
p. 279. de maius huius incrementum proficiscitur. Variolas miasmata determinatae naturae et speciei in centro terrae successu temporis genita inducere Noster existimat, causam vero, cur non omnes regionis, in qua illae grassantur, incolae iisdem corripiantur, in varia horum dispositione quaerit. Sanguinis partium enim firmior cohaesio non modo non adeo facile miasmata suscipit, sed vero et causa esse videtur, quae efficit, vt semel tantum per vitam homines morbum patiantur. Curationem lenia, vbi opus est laxantia, diluentia et refrigerantia absoluunt.
p. 324. Variolas lymphaticas (*la verole volante*) in eo a veris variolis differre adserit, quod in his sanguis, in illis autem lympha potius inquinetur.

Sequi-

Sequitur tractatus ſecundus, in quo Cl. Auctor morbos cutaneos, eodem modo, atque in praecedente eos puerorum examinat. Agit vero caput 1) de phlegmone, et quidem art. a) de furunculo; b) de panaritio ſeu paronychia; c) de carbunculo ſeu anthrace; d) de bubone; e) de abſceſſu et vlcere fiſtuloſo; f) de gangraena et ſphacelo; cap. 2) de eryſipelate; 3) de ſkirro; 4) de oedemate; 5) de emphyſemate; 6) de ambuſtione; 7) de contuſione; 8) de cancro; 9) de ſtrumis; 10) de atheromate, ſteatomate et meliceride; 11) de lupia; 12) de ganglio; 13) de aneuriſmate; 14) de varicibus; 15) de ſcabie; 16) de herpete; 17) de lepra; 18) de rheumatiſmo; 19) de arthritide. Inflammationis, cuius duas ſpecies, phlegmonen ſcilicet et eryſipelas, Noſter adſumit, cauſa proxima eſt *ſubitanea ſanguinis haerentia in vltimis vaſculis ſanguineis elaſticis*, vnde ſanguis in arterias lymphaticas copioſius intruditur. Si in gangraenam inflammatio tranſire videtur, humores diluendi, rigidaque vaſa cataplaſmatibus emollientibus laxanda ſunt. Abſceſſum, vbi recens, in parte firma et elaſtica fuerit, ferro, ſi vero inueteratus ſit, aut partem mollem laxamque occupet, cauſtico aperire Cl. Auctor praecipit, qui motum putrefactionis in gangraena et ſphacelo, fluido aethereo inſenſibili, corpora quaeuis penetranti, horumque partes continuo impetenti, inaequaliterque diuidenti adſcribit, abindeque citiorem cadauerum aeſtate quam hyeme putredinem deducit. p. 49.

Cauſa oedematis proxima *collectio humoris lymphatici nimis aquoſi, tunicas vaſorum laxantis* eſt. Oritur itaque 1) quoties pars ſanguinis purpurea, et ea lymphae fibroſa coguntur inſpiſſanturque, aut quoties ſanguinis lymphaeque partes fibroſae ſoluuntur, vt in febre lenta; 2) quoties ſerum ob potus aquoſi abundantiam aut ſeroſarum euacuationum p. 122.

ſuppreſſionem aliasque cauſas accumulatur; 3) quoties laxitate partes laborant, aut vaſa vario modo comprimantur. In curatione eo enitendum, vt ſeroſae partes diſcutiantur, concreta ad fluiditatem diſponantur, vaſorumque elater deperditus reſtituatur. Inter topica commendantur folia ebuli exſiccata et ſpiritu vini impraegnata, ſpiritus vini camphoratus, aqua reginae Hungariae et aqua calcis. Quae tamen omnia eodem tempore, quo interna propinantur remedia, in vſum ducenda ſunt, quo vtrorumque vis vnita meliorem efficacioremque effe-
p. 136. ctum exſerat. Emphyſema ſine eo, quod cutis ſauciata fuerit, naſci poteſt, quando aer ex fluidarum ergaſtulis, quibus retinebatur, propter humorum craſſitiem motusque tarditatem, aut etiam propter ipſorum ſiccitatem expreſſus, per poros vaſorum ampliatos egreditur. Inter alia, in contuſionibus proficua, ſummi ſaepe vſus eſt, ſi pulmo veruecis aut vituli calidus parti laeſae applicatur. Cancer, tametſi ſaepius preſſionem aut contuſionem ſequatur, neutiquam tamen ab hac ſola cauſa productus putandus eſt, ſed peſſima humorum craſis accuſanda, quae efficientem ſemper cauſam conſtituit, cum altera occaſionem modo generando malo
p. 173. ſubminiſtret. Cauſa itaque cancri proxima atque efficiens, lympha eſt ſpiſſa concreta, quam plurimis particulis duris, ſalino terreis grauida. Valent eapropter in curatione omnia, quae deprauatam hanc lymphae craſin emendant, blanda nempe purgantia, iuscula pullorum cum millepedis et cancris fluuiatilibus parata, lac aſininum aut vaccinum, imo diaeta lactea, per plures annos continuanda, exhibito intra hoc tempus aliquoties in ſeptimana pulueres, ex corticis peruuiani, terrae iaponenſis et pulueris millepedarum ana ſcrupulo vno compoſito. Si aetas aegri, vires, ipſiusque cancri indoles exciſionem

nem ſuadere videantur, haec praemiſſa praeparatione quantocius ſuſcipienda eſt, quae vbi iam vlceratus tumor, atque hic quidem magnus et ab interna cauſa natus, nec aeger optimo temperamento praeditus eſt, ideo, quod nullum non modo leuamen affert, quin potius mortem aegri maturat, inſtituenda non eſt.

Signa eſſentialia, quibus tumores tunicati noſcuntur, ſequentia Noſter expònit: atheroma preſſioni reſiſtit, nec vbi preſſus fuit, facile reſurgit; ſteatoma ſenſim in tumorem attollitur, qui preſſioni quidem non facile cedit, facile vero reſtituitur. Meliceris tumore dignoſcitur rotundo aliis magis extenſo, preſſioni cedente, aſt celeriter in priſtinam molem iterum extuberante. Cauſa ſcabiei *ſubitanea eſt ſanguinis haerentia in finibus arteriolarum cutanearum a tranſpiratione inſenſibili ſpiſſiori et acriori facta.* Semper itaque reſolutione morbus curandus. Ad herpetem prae aliis ſequens vnguentum ſaepius profuiſſe adſerit, Rec. vngu. roſac. vnc. iij. mercur. praecipit. alb. dr. iij f. vnguentum bis de die adfectae parti illiniendum. Lepra laborantibus inter alia pullos gallinaceos ſequenti methodo ſaginatos in prandio et coena comedendos commendat. Viperae viuentes, capite cum cauda reſciſſis, pelle nudatae et exenteratae, in fruſtula diſſectae cum duobus tribusue hordei mundati manipulis, tamdiu in aqua bulliant, donec hordeum rumpatur, fiatque paſta, qua pulli alantur, aſſi deinceps comedendi. In arthritide praeter diaetam tenuem et refrigerantem, ad dolores leniendos laudano vti, topicaque emollientia adhibere Noſter praecipit, remouenda ſi, quod fieri non raro ſolet, magis nocere atque prodeſſe videantur. Extra paroxyſmum, cum ſpecifica nulla ſint, ea in vſum ducantur, quae concoctionem ciborum adiuuant, partes tartareas ſalinasque fixas

p. 217.

p. 258.

p. 304.

p. 346.

in ſanguine diluunt et penuaria colatoria eliminant. Id quod exercitio moderato, apta ſelectaque diaeta, aquae potu et lactis aſinini vſu, et abſtinentia a piſcibus, ſalitis, piperatis, crudis, acidis, vino et liquoribus ardentibus optime impetratur. Adſtringentia partibus non imponenda, neque balnea in vſum ducenda ſunt.

XXVII.

HENRICI NEPOMUCENI CRANTZ, Philoſoph. et Med. Doct. Caeſareae ſcientiarum Academiae Membri commentarius de rupto in partus doloribus a foetu vtero. Lipſiae, impenſis Iohannis Pauli Krauſii, Bibliopolae Viennenſis, 1756. 8. mai. pl. 5.

Eorum, quae partum ſtipare ſolent, ſymptomatum nullum grauius matrique funeſtius eſt, quam vteri ſub ipſo partu ruptura, eamque inſequens foetus in matris abdomen effuſio. Quod quidem, licet adeo rarum non ſit, rariſſime tamen matrem ſuperſtitem ſinit, cum tamen alia vtero vel caſu vel conſilio illata vulnera non ſemper lethalia eſſe experientia doceat. Recte hinc Noſtro mirandum ſubit, quid ſit, quod rupturam vteri ineluctabilis et abſoluta lethalitas comitetur. Quod vt rite definire queat, ſupra indicatum libellum compoſuit, in quo, pro ſua, quam quilibet noſcit, in rebus medicis peritia atque in iis diiudicandis perſpicacia, ſolide omnia disquiſiuit, quae lucis aliquid adferre huic artis obſtetriciae capiti poſſent: idque agere anniſus eſt, vt demonſtret, rupturam vteri non quidem per ſe, vt aiunt, lethalem aut immedicabilem eſſe habendam, ſed
p. 6. tantum ex defectu auxilii in vitae periculum matrem con-

coniicere. Multa adduxit exempla vteri totius vel maximam partem exſtirpati atque auulſi, dilacerati, ſuppurati, per caeſaream operationem inciſi, gangraena affecti, in quibus omnibus mater euaſit, nec deſunt, quamuis paucae, obſeruationes vteri ſub partus doloribus a foetu diſrupti, vita matris ſuperſtite. Aſt ſane ea eſt in hoc miſerando caſu difficultas, vt ab ipſis obſtetricantibus, qui frequentius eos viderunt, nec cauſae, nec ſigna, nec phaenomena adeo terribilis mali tradita fuerint. Quod quidem iure efficere debuiſſet celebris quondam inter chirurgos obſtetricantes GREGOIRE, quem in triginta annorum ſpatio ſedecim eiusmodi caſus vidiſſe Academia Pariſina refert. Quod cum a nemine factum hucusque ſit, difficile omnino eſt, auxilium parturienti ferre; quae enim ab omnibus vno fere ore proponitur medela, foetus nimirum ex abdomine exciſio, quamuis vna ſit atque certiſſima, ob veram mali praeſentis ignorantiam, ex leui tantum ſuſpicione, vix adhiberi poterit. Multam igitur gratiam promeruit Noſter, qui, licet caſum hunc haud ſaepius viderit, in cauſas tamen eius ſtudioſe inquiſiuit; ſigna, quantum quidem poſſibile eſt, collegit; medicinam tam prophylacticam, quam curatoriam propoſuit; atque adeo obſtetricantes rite inſtruxit, quid moliendum, quid ſuſcipiendum ipſis ſit in re adeo funeſta.

Primo igitur de cauſis diſſerit, quae ruptu- p. 9.
rae huic fauent, quas vel in organis genitalibus, vario modo vitiatis, vel in foetu, nimis robuſto, inique ſito, aut a quacunque cauſa conuulſo, vel in cauſis quibusdam externe vtero illatis quaerendas eſſe, ex multorum auctorum obſeruationibus comprobat. Nec tamen ſemper hae adductae cauſae vteri rupturam efficiunt; cum ſint communes fere omnium difficiliorum partuum genetrices. Neque certus,

quidam locus eſt, in quo rumpitur vterus, ſed nullam vterini corporis partem ab hoc infortunio immunem eſſe et aeque ex placenta ibidem adhaerente craſſiorem et praemunitum locum, quam tenuem alium ac debilem ruptum eſſe auctores referunt. De membris etiam foetus, quibus vterum perfodit, auctores varia adduxerunt, ex quibus conſtat, corpus vteri vt plurimum aut pedibus aut genubus perforari; factum tamen quoque fuit, vt a capite infantis vterus in inferiori loco dilaceretur. Ad ſemeioticen eruendam tunc ſe Noſter accingit, vt intelligeretur, quid metuendum ſit, quid ſperandum. Rumpendus in partu vterus maximopere diſtendit abdomen, vaginam retrahit, orificium vteri alte abſcondit, doloresque producit veros equidem, ſed violentos, ſine interuallo frequentes, ſine partus progreſſu moleſtiſſimos, praecipue vbi iam effluxit liquor amnii, ſub quibus quidem circumſtantiis ſe iactat foetus, vterum premit quatitque, vt magno dolore in eo loco afficiatur parturiens, donec tandem violentiſſimo ſubſultu elatus, contractum vterum calcitratu perfodiat, tanto interdum ſuccuſſu, vt adſtantes eum audiant.

p. 19. Facta hac ruptura ceſſant quidem, qui matrem adeo excruciabant, dolores, linquitur autem vtplurimum animo parturiens, rediens tamen ad ſe, longe melius ſe habere videtur, foetus ex anguſto carcere liberatus vix ſe vlterius commouet. Breui tamen has fallaces inducias ſequuntur ſymptomata mortem ſubſecuturam indicantia: effunditur ſanguis; abdomen in latam formam laxatur; membra foetus per integumenta diſtincte percipiuntur; ſenſus parturienti obnubilantur; aures ſuſurrant; pulſus intermittit; artus frigent ſudoreque viſcido irrorantur; linquitur aegra animo, et vel conuulſa vel placide interdum perit. Variant tamen haec ſymptomata pro irritabilitatis vario gradu, atque varia viſceris laeſi diuerſitate:

ſitate: vnde etiam interdum vomitus, porraceae bilis reiectio, dolores colici, ſingultus aliaque mala enata fuere. Sunt tamen et caſus alii, ſimilia ſymptomata, absque adeo funeſto euentu, producentes. Sic nimis in longum extenſus foetus ventriculum euertit, ſic moriens ſub partu infans vterum percutit; ſic ſi diſruptus fuerit funiculus vmbilicalis, ſubſilit infans, vterum quaſſat, epigaſtrium aegrae intumeſcit, parturiens viribus fracta vti percuſſa iacet. Deeſt in his omnibus caſibus dolorum verorum ea ferocia, quam ſupra adduxit Noſter, quae ſi dicta ſymptomata comitatur, ruptura vteri veroſimillime metuenda erit.

Vnus LEVRETUS pauca de futuri huius mali prophylaxi addidit; aegrae enim tantum ſubduci ſanguinis, vt lipothymia aut ſyncope corripiatur, iubet, aut, ſi liceret, verſione ſtatim ab initio inſtituta foetum extrahi vel forcipe applicata caput in orificio vteri haerens ſolui; Noſter vero multis rationibus ſolam operationem caeſaream veram prophylaxin eſſe affirmat, certe in iis caſibus, vbi vel nimia anguſtia peluis, vel nimia capitis moles rupturam vteri metuendam eſſe ſuadet; tunc enim partus a natura ſperari citra culpam non poteſt, nec citra ignorantiam debet. Alia vero in cauſis mitioribus interdum adhibere poſſe ad eas remouendas remedia, ſimul concedit. Ipſam funeſti huius mali curationem, a vero ipſarum cauſarum ſcrutinio dependere recte aſſerit; quae cum tam variae ſint, varias quoque ab auctoribus commendatas eſſe ſuccurrendi methodos, nemo mirabitur. Sigillatim hinc has cauſas Noſter conſiderat, et duplex ſemper momentum ab obſtetricante attendi iubet. Solet nimirum euenire, vt vel totus foetus ex vtero dilacerato in abdominis cauum effundatur; vel partes tantummodo quaedam in abdomen penetrent, reliquis adhuc in vtero perſiſtenti- p. 27.

bus. Totum foetum haerere in abdomine noſcitur,
p. 39. ſi ea pars, quae antea orificio vteri impacta quaſi tangebatur, iam non amplius ibidem inueniatur; ſi per muliebria ſincerus defluat ſanguis, aut iam congelatus decidat cruor; ſi orificium vteri, vti plerumque enixo partu accidere ſolet, magis conniueat; et vterus collapſus fuerit. Contraria vero his ſigna indicant, foetum vel integrum vel pro maxima parte adhuc in vtero contineri. Absque hac, ex ſuis ſignis rite acquiſita, cognitione nulla medicina prudenter fieri poteſt; monet hinc ſedulo, ex cauſarum circumſtantiarumque induſtrio examine rite demum poſſe intelligi, quodnam medelae genus ex arte eligendum
p. 41. ſit. Tenendum igitur exiſtimat, toto in abdomen effuſo foetui; foetui corpore in ventrem illapſo, pendulis etiam in vterum artubus; foetuique capite abdomen ingreſſo ſolam ſectionem caeſaream: inique vero in vtero ſito foetui; foetuique vterum pedibus tantum perforanti; vt plurimum verſionem, vncum, forcipemue mederi: nec ex eo, quod vterus in partu ruptus ſit, exſectionem, et quod pars foetus in vtero ſuperſit, verſionem ſemper indicari contra SIMONIUM eosque, qui ante hunc illud docuerunt, contendit.

Licet vero dicto hoc modo nunc remota ſit rupturae vterinae cauſa efficiens, maximam tamen nunc requirit attentionem vulnus ipſum vtero inflictum, quod cum non *inciſum* ſed *illiſum* fuerit, ob magnam partium contuſionem facile in ſphacelum gangraenamue abit, aliasue periculoſiſſimas ſtrages producit. Addit hinc Cl. Auctor prolixe ſatis et accurate ea, quae ſub ipſa foetus extractione; cruoris ex placenta vel vtero in abdomen effuſi remotione; vulnerisque cum ſugillatione ac ecchymoſi illiſi medicatione obſeruanda ſit: iureque aſſerit, alienum eſſe in recenti vulnere ſcalpellum, et ad haemorrhagiam praepoſtera adſtringentia, ſed fouenda eſſe vulneris labia ſolutione ſalis ammoni-

moniaci vel marini in aqua cum ſpiritu vini remixta, calideque applicata: ſi vero iam aetatem vulnus habeat, et contuſio coiuerit, ſcalpelli operam profunda ecchymoſis fere deſiderat, vt quieſcens euocetur ſanguis; vel ſi iam gangraena vterum corripuerit, omne quod putridum eſt, reſecandum eſſe putat. Haec omnia vero in eo tantum caſu valent, vbi inciſum fuit pro extrahendo foetu abdomen. Aſt vbi verſione inſtituta foetus ex rupto vtero eximitur aut inſtrumentis educitur, absque abdominis plaga, difficilius erit, et de natura vulneris vterini iudicare, et eius medicationem veram eligere. Praeterea monet, in omni, quam his in caſibus parare ſolemus, medicatione euentum maxime dubium eſſe, tam ex haemorrhagia, quam ex inflammatione; quarum illa virium reſolutionem, deliquia, conuulſiones, mortem; haec ſuppurationem, vlcera, fiſtulas, gangraenam, ſcirrhum vel cancrum producere ſoleat. Recenſet ſub finem hiſtoriam vteri in partu diſrupti et inuenti in abdomine foetus, quem ex defuncta muliere exſecuit Noſter Viennae, hancque additis commentariolis illuſtrat; paululumque Cl. GORTERUM taxat, qui premere parturientis abdomen manu vel ſuſtentaculo obſtetrices docet in eo caſu, vbi foetus, extenſis ad fundum vteri pedibus, exitum molitur, ob nimis vero contractum orificium vteri egredi ex vagina nequit. Quo quidem conſilio rupturam vteri potius promoueri, quam impediri Noſter aſſerit.

p. 49.

p. 53.

XXVIII.

Theoria doloris. Dissertatio medica Praeside FRANCISCO DE SAUVAGES, Resp. *Anton. Ioseph. Depinoy*, Monspelii apud Ioan. Martel. 1757. 4. plag. 2½.

Constat dissertatio duabus partibus, quarum prima continet theoriam doloris mechanicam, altera psychologicam. Positis doloris definitione atque distributione in eum, qui a sensatione proficiscitur, et in alium, quem in animo inesse deprehendimus, leges quasdam Auctor tradit, primum generales, deinde speciales, quas causae doloris, dum oritur, sequi solent,

p. 2, Sunt vero: *Si minimae fluidi cuiusdam moleculae valeant solidas nostras partes rodere, dissoluere, certum est eas tanto maiori velocitate pollere, quo minores sunt, aut indigere tanto maiori temporis spatio, vt desideratum effectum praestent, quo sunt pauciores. – Vt aqua pura rodit durissimum metallorum et oleum blandum dissoluit cuprum, ita moleculae fluidi, salibus partibusque acutis ac rigidis destitutae valent neruos lacerare, rodere; ex eo, quod fluidum rodat et stimulet, non sequi, illud gaudere rigidis et*

p. 3. *acutis particulis. – Corpora mollissima vt aquam, si velociter impetantur vt a manu, – tanta vi reagere ac si dura essent, – ergo a vehementi corporis actione ad eius duritiem nihil sequi.* Sed haec de legibus, sequuntur causae morborum dolorificorum, de quibus nunc disputat Auctor, quarum quinque esse commemorat: 1) Instrumenta mechanica ratione pungentia, prementia, vulnerantia aut contundendo aut corpus nostrum in dura obuia quaeque lapsu s. impetu impingendo, 2) infarctum vasorum s. obstructionem a copioso vel spisso fluido, vnde dolores grauatiui, quos appellant, distensiui, punctorii etc. 3) vitiosam solidarum partium indolem, 4) fluidarum acrimoniam, 5) conatus denique

p. 4 naturae ad expellendam corrigendamque materiem quam-

quamcunque morbificam ſiue acrem ſiue blandam, ſed copia vel ſitu moleſtam.

Ad infirmandum tollendumque dolorem remediis opus eſt. Iam in eo doloris genere, quod a ſenſu originem ducit, laxantia adhibentur atque anodyna. Cauendum tamen eſt, ne, quae ex his remediis facile oriatur fibrarum laxitas, ſi non ſatis circumſpecte vſurpentur, detrimentum aliquod capiat corpus humanum. Principiis itaque, vnde omnis dolor proficiſci poſſit, obſtandum eſt. Inſtrumenta autem, quae mechanica ratione laedunt vel extrinſecus irritant, vt calcei pedes prementes, vel intrinſecus, vt calculus veſicae lithotomia educendus, quo in caſu chirurgia optima auxilia vt plurimum praeſtare poterit. Ad infarctum quod attinet, experientia duce cognoſcitur, quod magnam afferant vtilitatem diluentes, emollientesque res, reſinoſae ac oleoſae, vnguinoſae, aliaeque, molles et laeſas partes blande ferentes. At cum in hoc genere doloris neruorum ratio habenda ſit, eiusmodi potius remedia reſoluentia eligi debent, quae cum naturam emollientem habeant, ſimul anodyna ſint. Inter alia, quae ab Auctore commendantur adminicula, electricitatis quoque virtutem magni facit: *In doloribus* inquit *rheumaticis, a lympha ſpiſſa factis, in iſchiade, nihil eſt vtilius iterata quotidie electriſatione, ſcintillis e collo extricatis et addita ſub finem leui fulminatione, quo ſolo auxilio innumeros ſanatos vidimus.* Saepe acrimonia in cauſa eſt, vt moleſti dolores exiſtant, quos omnes eiusmodi remediis, quae edulcorantium nomine veniant, facili negotio mitigabis. Ad erethiſmum et naturae conatus compeſcendos conducunt laxantia, demulcentia, ſi autem ferociores ſint, anodyna et narcotica. Nunquam tamen naturae conatus ſedantur felicius, quam ſublato eorum principio, h. e. materie morbifica vel ſublata vel correcta, vel ſi cogas conatus naturae rebus, quae ſtimulandi vim habe-

p. 5.

p. 7.

p. 9.

habeant, vt aliorſum agant; quae tamen curandi ratio empiricis potius eſt relinquenda.

p. 10. Altera huius diſſertationis pars theoriam doloris pſychologicam complectitur; ſed de ea nihil dicamus, quia, quae de hac re diſputata ſunt, nondum abſoluta eſſe videntur.

XXIX.

Epiſtola ad Vir. Illuſtr. ALB. DE HALLER, ſiſtens ſtupendam et nunquam deſcriptam herniam dorſalem, quam obſeruauit et literis mandauit CHRISTOPH. HENR. PAPEN, M. D. Phyſicus prouincialis et ciuitatis Göttingenſis. Goetting. 1750. pl. 1½. 4to.

Virgo ruſtica, robuſta, 50 annorum, d. 28 iulii 1750, ſole tum maxime vrente, meſſoria falce occupata, ſubito mortua eſt. Sequenti die ſectio inſtituitur. Cadauer ob ſummum calorem maxima putredine correptum reperitur; nulla laeſio externe apparuit, niſi vt tumor admodum magnus ſacco ſimilis et de ano ad ſuras propendens videretur, de quo primo intuitu credidit Cl. Auctor, ſubeſſe tumorem aliquem cyſticum. Sacci huius cutis admodum expanſa ac nitida, venis intertexta quam plurimis conſpicuis; figura lagenae oblongae ſimilis; longitudo vlnae, circumferentia in ima parte ſesquiulnae, diameter ibidem ſemicubitalis. Ad anum autem ſeu originem ſuam ſenſim ſenſimque imminuebatur tumor, vt ſpithamam aequaret diameter, ibi vbi proximus principio, quod in dextro latere circa orificium ani erat, et ſuper muſculum glutaeum maiorem ad regionem oſſis ſacri circulum ellipticum ad ductum

ductum foſſae natium formabat. Chirurgus inciſionem a fundo originem verſus ſecundum rectam lineam cultello inſtituit, qua facta maxima inteſtinorum tenuium pars, vna cum meſaraeo, parte coli et omenti in conſpectum prodierunt. Praeter recenſitas iam partes nihil niſi paululum ſeri flaui continuit iſte ſaccus. Sectionem tumoris a chirurgo, ad principium vsque factam, vbi inteſtini coli portio orificium herniae replebat, continuare noluit auctor, ſed cadaueris, in tergum ſupinati, abdomen aperiri iuſſit, quo via herniae ab interioribus melius detegeretur. Abdomen totum exenteratum viderunt: inteſtina ſcilicet tenuia, primum per foramen herniae deſcenderant, meſaraeum valde oblongatum ſequebatur, et tandem principium coli cum appendice vermiformi ſuccedebat. Flexura, quam in ſiniſtra regione iliaca format colon, deformata et ex ſede dimota erat. Coli inferior pars cum maxima inteſtini recti parte in orificio herniae adhuc haerebant. Ventriculus in medio abdomine perpendicularem ſitum habebat, ita vt pylorus cum duodeno expanſo et in gyrum torto ante orificium herniae in pelui inueniretur. Vterus oblique ad foramen herniae poſitus, ouarium dextrum hydatidibus obſeſſum et ſcirrhoſum, vna cum tuba Fallopiana orificio herniae adhaerebant. Colon naturalem magnitudinem multum ſuperabat: inteſtina tenuia inflammata, eorumque vaſa ſanguine turgida. Ligata et diſciſſa ante oſtium herniae inferiori coli parte, quo via deſcenſus patefieret, et inteſtinis remotis, in latere dextro orificii ani et ad marginem coccygis perſpiciebatur antrum oblongum verſus os ſacrum progrediens, per quod digiti in ſaccum facile adigi poterant. Saccus hic hernioſus peritonaeo continuus, in lateribus peluis ſubnatus, in antica et laterali parte cum

oſſe

oſſe pubis et iſchii, et ſub foramine ouali magno cum muſculo obturatore interno ope cellularis ſubſtantiae quam laxiſſime cohaerebat, et per foramen modo dictum ſub ligamento iſchiadico ſacro ex pelui exibat. Cutis ſacci craſſitiem pollicis aequabat, interna tota cauitas cellulari peritonaei continuatione inueſtiebatur. Cadauer admodum pingue, ipſeque ſaccus ſub externa cute multa pinguedine cinctus reperiebatur. In cauſas inquirens Cl. Auctor, quae ad generationem huius herniae ſpectant, accepit tantum ab agnatis, ſenſiſſe defunctam ante 10 annos circa anum pilae paruae magnitudinis tuberculum, ſenſim ſenſimque increſcens et in iſtam molem demum excreſcens. Quoties aluum depoſuerit, totum ſaccum brachio ſuſtentare, corpus in ſiniſtrum latus inuertere, eodemque in latere in lecto decumbere, ſub laboribus vero ſaccum mantili dorſo ſubligare oportuit miſeram. Retulerunt adſtantes, ſe borborygmos in hernia obmurmurantes frequenter exaudiuiſſe.

Contenta in hac parte.

1. SMELLIE, Treatiſe on the Theory and Practice of Midwifery Vol. I.

2. *Eiusdem* Collection of Caſes and Obſervations in Midwifery Vol. II.

3. *Eiusdem* ſet of Anatomical Tables with explications and an abridgment of the practice of Midwifery 195

4. EULERI Diſquiſitio de cauſa phyſica electricitatis 224

5. MONRO, Diſſ. de teſtibus et de ſemine in variis animalibus 231

6. ASCH de primo pare neruorum medullae ſpinalis 236

7. FLURANT, Splanchnologie raiſonnée 239

8. ENGEL, *Sendſchreiben von einem durch die Tracheotomie herausgenommenen verſchluckten Beine* 242

9. GRONOVII Flora orientalis RAUWOLFII 243

10. RUSSEL de tabe glandulari 245

11. LINNAEI Hans Maj:ts Adolf Frideriks Naturalie Sammling 252

12. TACCONI de nonnullis cranii oſſiumque fracturis cet. 258

13. VOGEL Diſſ. de nitro cubico 264

14. ROESEL, *Inſecten Beluſtigung dritter Theil* 265

15. KLEEMAN, *Roeſels Inſecten Beluſtigung vierter Theil* 274

16. HUGHES natural Hiſtory of Barbados 280

17. CARTHEUSER, Fundamenta materiae medicae Pars I et II. 291

18. LIEUTAUD Precis de la Médicine practique 303

19. GINANNI della Malattie del Grano in Erba p. 313

20. LINNAEI Iter Hiſpanicum LOEFLINGII 324

21. NICOLAI *Gedanken von der Verwirrung des Verſtandes* cet. 331

22. TROSCHEL Diſſ. de morbis ex alieno ſitu partium abdominis 334

23. LINNAEI Iter Palaeſtinum HASSELQUISTII 341

24. Traité des Tumeurs et des Ulceres 357

25. Recueil de pluſieurs pieces concernant le Traité des tumeurs et des ulceres 365

26. Tractatus duo pathologici, de morbis puerorum, et de morbis cutaneis 367

27. CRANTZ de vtero rupto 372

28. SAUVAGES Diſſ. de dolore 378

29. PAPEN Ep. de hernia dorſali 380

COMMENTARII
DE REBVS
IN
SCIENTIA NATVRALI
ET
MEDICINA
GESTIS.

Primae Decadis Supplementum III.

LIPSIAE MDCCLXVIII.
APVD IOH. FRIDERICVM GLEDITSCH.
Venduntur etiam
Amſtelodami apud I. Schreuder, Londini apud Io. Nourſe, Pariſiis apud Briaſſon, Patauii apud I. Manfré, Holmiae apud L. Saluium.


Jos: B. Banks



I.

Opere poſtume del Conte GIUSEPPE GINANNI Ravennate. Tomo ſecondo, nel quale ſi contengono teſtacei marittimi paludoſi e terreſtri dell' Adriatico e del territorio di Ravenna da lui oſſervati e deſcritti. In Venezia, appreſſo Guglielmi Zerletti, 1757. fol. pl. 18. tab. aen. 38.

i. e.

Opera poſthuma Comitis IOSEPHI GINANNI, Tom. II, quo teſtacea marina paludoſa et terreſtria maris Adriatici et territorii Rauennenſis ab eo obſeruata et deſcripta comprehenduntur.

Cum de primo volumine operum horum, quae poſt mortem Ill. Auctoris publicata ſunt, iam alio loco a nobis expoſitum ſit *), ſupereſt, vt de altero volumine agamus, quo teſtacea maris Adriatici et territorii Rauennatenſis deſcribuntur. Praemiſſum vero eſt huic volumini elogium Ill. Auctoris, a ſecretario ſocietatis litterariae Rauenna- p. 1.

 tenſis

*) Comment. hor. Vol. V. p. 109.

tenſis conſcriptum, eiusdemque ſocietatis actis inſertum, de quo ad lectores referre, vix operae pretium erit, cum praecipua momenta vitae Ill. Auctoris iam eo loco enarrata a nobis ſint, quo de priore operum horum volumine egimus, cui ſcilicet vita Cel. GINANNI praemiſſa eſt. Omnia vero teſtacea tam marina, quam terreſtria, quae Cel. Auctor ex mari Adriatico et territorio Rauennatenſi colligere potuit, ita in hoc libro diſpoſita ſunt, vt
p. 1. prima claſſis comprehendat teſtacea vniualuia maritima, in 20 ordines diſpoſita, qui 113 ſpecies et
p. 21. varietates comprehendunt. Secunda claſſis biualuium 20 ordines et 58 ſpecies continet, vti tertia,
p. 38. quam multiualuia componunt, 4 ordinibus et 15
p. 45. ſpeciebus conſtat. Sequuntur teſtacea, quae in paludibus et ſtagnis viuunt, vniualuium 6 ordines et
p. 54. 29 ſpecies, atque biualuium 7 ſpecies, tandemque teſtaceorum terreſtrium vnica claſſis, quam 5 ordines et 30 ſpecies efficiunt, ita vt in vniuerſo hocce opere circa 250 diuerſae ſpecies aut varietates, additis ſynonymis, ex ALDROVANDO et BONANI ſumtis, deſcriptae ſatisque accurate depictae ſint. Attamen non nuda deſcriptio corporum naturalium traditur, ſed hinc inde quoque variae obſeruationes ſatis curioſae inſertae, operis huius praeſtantiam
p. 14. augent. Ita enim v. c. docet, nonnulla ex corporibus, a Cl. BIANCHI deſcriptis, non conchas eſſe, ſed nodos variarum plantarum in aqua creſcentium,
p. 16. inprimis *equiſeti foetidi ſub aqua repentis*, atque alio in loco ventriculum animalis noui, vt videtur, quod ſanguiſugam marinam dicit, mira ſollertia deſcribit.
p. 25. Modus quoque, quo variae conchae alia minora teſtacea et inſecta capiunt et iis veſcuntur, dum vna cum reſpiratione ea attrahunt, et experimenta, hac de re ab Ill. Auctore facta, accurate explicantur. De coitu quoque et generatione buccinorum, quae in

lacu-

lacubus viuunt, Noſter exponit, vt alias obſerua- p. 47.
tiones, hinc inde interſperſas, quae leuioris momenti
ſunt, taceamus. Adnexae tandem ſunt tres aliae obſer- p. 61.
uationes, Ill. MAFFEI dedicatae, quarum prima ad
quandam locuſtae ſpeciem eiusque generationem,
altera quoque ad inſecti alicuius hiſtoriam, vltima
vero ad vermes, a cane excretos, pertinet, quorum
multi minores vnum longiorem, catenae quaſi in
ſpeciem inter ſe vniti, formabant, atque ab aliis ſpe-
ciebus vermium a Cl. Auctore diuerſi deprehenſi
ſunt.

II.

CAROLI LE ROI, e Regia Scient. Societ. Monspelienſi, de aquarum mineralium natura et vſu propoſitiones, praelectionibus academicis accommodatae. Monspelii, ap. Auguſt. Franciſc. Rochard, 1758. 8. pl. 6½.

Quum paruus hicce libellus paulo tardius ad noſtras peruenerit manus, multa tamen eruditione et cognitione chemica elaboratus ſit; merito ſibi locum in noſtris *Supplementis* vindicat. Per aphoriſmos compoſitus eſt, qui ad numerum centum et ſeptuaginta nouem aſcendunt, et ita comparati ſunt, vt medico chemico et clinico ſatisfaciant. Propoſitiones, quae ibi leguntur, breuiter ſunt enunciatae, et aquarum mineralium ſcrutatori ſcitu neceſſariae atque vtiles. Hinc optandum, vt noſtratium quidam bibliopola hunc libellum recudendum curaret, et in noſtris oris redderet notiorem. Recte monet Cl. LE ROI in prooemio, eos, qui medicinae clinicae operam darent, in praeſcribendis aquis mineralibus incertos diu fluctuare atque ancipites,

niſi perfectam, et vniuerſaliorem quidem, cognitionem notiſſimarum aquarum mineralium, praeſertim indigenarum, haberent. Propterea, vti ex eodem prooemio cognouimus, ſummus Archiatrorum regis Galliae comes id ſibi muneris impoſuit, vt aquarum mineralium doctrinae corpus, vt vulgo dicitur, conderet: et Cl. VENEL, medico in chemicis exercitato, et Cl. BAYEN pharmacopaeo chemiae peritiſſimo, aquarum mineralium totius Galliae analyſin, auctoritate regia, commiſit; ſibi autem practicam operis partem ſumſit.

In *quatuor* ſectiones libellus diuiſus eſt. *Prior* inſcribitur: aquarum mineralium definitio ac diſtributio: *ſecunda*, de aquis mineralibus ſalinis: *tertia*, de aquis martialibus: *quarta*, de aquis mineralibus ſulphureis. Quum praeterea libellus, vti iam diximus, ex aphoriſmis conſtat, breuem conſpectum exhibere nequimus: hinc praecipuas Cl. Auctoris
p. 1. ſententias cum lectoribus communicabimus. Secundum praemiſſam definitionem, aquae minerales Cl. Auctori dicuntur eae aquae, *quae principiis impraegnatae ſunt mineralibus, eo quidem gradu, vt effectus ſenſibiles ab aquae communis effectibus diuerſos in humano corpore exſerere valeant.* Diuiduntur autem in *frigidas* et *calidas* ſeu thermales. Porro ſunt vel *ſulphureae*, quae ſulphure; vel *martiales*, quae marte; vel *ſalſae*, quae tantum ſalibus abundant. Dantur denique aliae, quae de ſulphure, ſale et ferro ſimul participant.

De ſalinis incipiens, hae Cl. Auctori vocantur, quae ſalibus praegnantes nec ferrum continent, nec
p. 3. ſulphur. Interim tamen ſequentia elementa ex iis interdum quoque eruuntur: 1) ſcilicet ſpiritus, vt aiunt, elaſticus: 2) ſal marinus: 3) ſal *Ebshammenſis:* 4) ſal alcali mineralis: 5) terra abſorbens: 6) terra ſelenitica: 7) ſal marinus, baſi terrea, cryſtalliſatio-

liſationem refugiens: 8) oleum quoddam minerale, ſeu bitumen: 9) in quibusdam, ſed raris admodum, alumen.

Aquae minerales, quae ſpiritu elaſtico dotatae ſunt, omnes ſunt frigidae. Spiritus elaſticus aeri per omnia eſt ſimilis, particulis tamen, nares ferientibus, diues videtur. Quae autem harum particularum ſit natura, definiri non poteſt. Aqua communis pariter gaudet aere contento ac aquae minerales, ſed hic leui de cauſſa mox auolat, ſi aquae modo aeri libero exponuntur; ille autem multo difficilius, nec niſi ope antliae pneumaticae, aut caloris efficacis ſeparatur. p. 4.

Per experientias ſcimus, acida aquis mineralibus affuſa, efferueſcentiam ciere, cuius cauſſam Cel. quondam HOFFMANNUS in alcali volatili, facile aufugiente; alii in conflictu acidi cum terra abſorbente, qua fere omnes aquae minerales abundant, quaerebant: ſed Cl. Auctor ab aere, qui acidorum affuſione, a ſua cum aquis coniunctione liberatur, recte deriuat. Hinc huic ſpiritui acido, quo aquae minerales turgent, multum tribui debere virtutis, Cl. Auctor iudicat. p. 6.

Alterum elementum, quod aquae mineralis compoſitionem ingreditur, eſt ſal marinus. Hic ſapore et cryſtallis cubicis, quas fiſtit, cognoſcitur. *Tertium* eſt ſal *Ebshammenſis*, qui pariter in multis aquis mineralibus reperitur, et ſalis neutrius ſpecies eſt, ex acido vitriolico et baſi alcalica ſalis marini conſtans. Salem *Ebshammenſem* Cl. Auctor ſine dubio vocat, quod ei ſali neutri, qui ex fonte *Ebsham*, aliis *Epſom* dicto, in Anglia paratur, perfecte ſimilis eſt. Quum vero ſcimus ſalem *Ebshammenſem*, qui apud nos venditur et in noſtris officinis proſtat, non eſſe ſalem naturalem, ſed imitatum, et ex acido vitriolico et parte alcalina ſalis marini

compoſitum, ab hac melius abſtineremus denominatione, eumque magis vel ſalem neutrum amarum, vel cum plurimis nouiſſimis ſyſtematum conditoribus, *Natrum*, appellaremus. Cum hoc ſalis genere perfectam quoque, vt chemici norunt, ſimilitudinem habet ſal mirabilis GLAUBERI, qui ex iisdem partibus conſtat; hinc nonnulli aquarum mineralium ſcriptores ſalem hunc fontium medicatorum ſali mirabili GLAUBERI ſimilem dixerunt, quam denominationem non magis probamus, praeſertim
p. 8. quum Cl. Auctor dicat: ſalem *Ebshammenſem* ad ſalis mirabilis GLAUBERI naturam permultum quidem accedere, ſed ab hoc in eo diſcrepare, quod aeri expoſitus deliqueſcat, id quod nosmetipſi, qui huiusmodi ſalem ſaepe ex fontibus mineralibus parauimus, quidem obſeruauimus, ſed ſtatim mutauimus atque correximus, ſi tantummodo prius acceptas cryſtallos a reſidua et pertinaciter adhaerente parte terrea ſalis marini diligenter abluimus, quod reiterata, vt vocant, cryſtalliſatione obtinetur *). Hoc etiam iam ſenſiſſe viſus eſt Cl. Auctor, dum dubitanter (§. 38) ſcribat: *an propter pertinacem partis terreae ſalis marini admixtionem aeri expoſitum deliqueſcat?*

Quartum elementum aquae mineralis praebet ſal alcali mineralis, ſeu baſis alcalica ſalis marini, quae a baſi terrea probe diſtinguenda eſt. Hoc ſalis genus, ſecundum Cl. Auctorem, qualitatibus praecipuis ſalis tartari naturam aemulatur; ab hoc tamen in eo differt, quod cryſtalliſationem non recuſet,

*) Alii alio artificio, quo ſcilicet partem terream ſalis marini alterant, vtuntur, quod tamen curioſe celant, dum nempe ſolutioni ſales, ſeu lixiuio, aluminis ſolutionem ad ſaturationem, vt aiunt, admiſcent, et maiores cryſtallos, ſali mirabili GLAUBERI ſimiles acquirunt, cuius rationem periti intelligent.

cuſet, nec aeri expoſitum, deliqueſcat; quodque alias cum acidis iunctum figuras cryſtallorum exhibeat. Detegitur autem in aquis mineralibus ſapore lixiuioſo, et efferueſcentia cum acidis: caueamus tamen, ne a viſa efferueſcentia ſtatim ad ſalis alcalici mineralis praeſentiam concludamus, quia illa etiam a contento ſpiritu elaſtico, vt ſupra vidimus, et a terra abſorbente, ſali neutri iuncta, oriri poteſt: ad quem errorem euitandum Cl. Auctor nonnulla p. 9. adminicula ſubminiſtrat. Poſtea aſſerit in illo fonte, qui alcali minerale vehit, fruſtra quaeri ſalem neutrum deliqueſcentem, et vice verſa: quae tamen aſſertio, quia nimis generalis eſt, pluribus, vti nos quidem opinamur, adhuc experientiis egere videtur, antea, quam aliquid vniuerſale in hac re definiamus. Tranſit ad horum ſalium virtutes, quas in ſoluendo, ſtimulando et abſtergendo ponit.

Quintum et *ſextum* elementum fontium medica- p. 10. torum conſtituunt terra abſorbens et ſelenitica, quae ambae naturam terrae ſeruant, vbi ſemel coctione concreuerunt: denuo enim ſolui in aqua ſimplici nequeunt. Interim terra abſorbens cum acidis ebullit, et in ſalem neutrum abit: ſelenitica autem ab acidis ſolui renuit. Praeterea eas quoque diſtinguit cryſtallorum, ſi ita nominare licet, figura, quam poſt coctionem exhibent. Terra enim abſorbens in lamellas, ſelenitica autem in aciculas tenues lenta euaporatione coit, illa etiam prius, et haec poſterius. Quod ad vires harum terrarum in corpus humanum attinet, ſi abſorbentium vim, acidum in primis viis corrigendi, excipias, eas nos plane adhuc ignorare Cl. Auctor fatetur.

Septimum elementum, quod ſibi examinandum ſumit, eſt ſal marinus baſi terrea, qui ex acido ſalis marini et terra abſorbente, in ſalem neutrum vnitis, oritur, et peculiare ſalis genus conſtituit, quod,

cryſtalliſationem, vt vocant, refugiens, non niſi magno calore ſiccum redditur; aeri autem libero per breue tantum tempus expoſitum, ſtatim rurſus liqueſcit. A chemicis oleum calcis, ab Anglis, *Bittern* *), a noſtratibus autem *Mutterlauge* dicitur, et in omnibus ſalinarum officinis, vbi ſal coquitur, ſub finem coctura obtinetur, ſalique cocto ita pertinaciter adhaeret, vt etiam cauſſam contineat, cur ſal coctus ſemper vdus reperiatur, et in aere humido facillime liqueſcat. Saepius cum alcali minerali confunditur, a quo tamen differt, vt ſtatim in aere libero deliqueſcat, illud autem ſiccum maneat. Virtutes huius ſalis priorum ſalium virtuti aequiparat. *Octauum* elementum, quod quidam fontes medicati vehunt, eſt bitumen, ſeu oleum minerale, ſalibus ſolutum, quod ſapore ſe prodit, et, affuſo ſpi-
p. 12. ritu vini, ſuperficiem petere dicitur. *Nonum* et vltimum elementum ſiſtunt fontes alumine praegnantes, qui vero rariſſimi ſunt, vt Cl. Auctor ipſe monet. Hoc ſalis genus detegitur ſapore ſuo ſtiptico, et additione olei tartari per deliquium, quo terra aluminoſa deiicitur. Cl. Auctor huiusmodi aquam ſe reperiſſe dicit prope Neapolim, vbi etiam, externe tantum, in morbis cutaneis adhibetur.

p. 13. Vt autem propoſitiones ſuas praemiſſas exemplis probet, aquas nunc duas minerales ſalinas Galliae, *Bellilucanas* nempe et *Borboniacas* ad examen reuocat, earumque partes componentes per reagentia, vt vocant, determinat. Reagentia vero illi dicuntur materiae, ſiue fluidae, ſiue ſolidae, quae aquis admixtae praecipitationem operantur, aut efferueſcentiam, aut coloris mutationem ipſae patiuntur, aut aquae inferunt. De virtute et vſu aquarum mineralium quaedam monet, et catharticas robuſtis; non catharti-

*) In Commentar. noſtr. Supplement. I. p. 14.

tharticas, martiales tenues et ſulphureas, delicatulis, hypochondriacis et melancholicis commendat. Nunc morbos quoque memorat, quibus hae vel illae aquae magis conducunt, aut nocent. Denique rationes et methodum adducit, ſecundum quam aquis mineralibus tam interne, quam externe vtendum ſit, qua occaſione nonnullas, non contemnendas, cautelas adiicit. p. 26,

Aquas ſalinas excipiunt martiales. Huc refert Cl. Auctor non ſolum aquas, quae ferro pragnantes ſunt, ſed et eas, quae aliis elementis gaudent, nomen tamen a ferro, quod vehunt, mutuantur. Ad ferrum in aquis mineralibus detegendum ſolum nucem gallam laudat, aſſeritque, quod, ſi aqua mineralis, hoc tentata experimento, nullum ferri veſtigium praebeat, eam pro martiali non eſſe habendam, licet etiam diligenti quidem, magis tamen curioſo, quam vtili examine ferrei elementi atomi in ea poſſint demonſtrari. Praeter ea duas dari fontium martialium ſpecies perhibet Cl. Auctor, ab inuicem multum diſcrepantes: in aliis nempe ferrum ſub forma vitrioli martis inueniri non tantum, ſed et manere ſemper diſſolutum, vt etiam ſaporem atramentoſum poſt annum retinuerint eiusmodi fontes: in aliis autem ita teneram eſſe illam ſolutionem ferri, vt ferrum leuiſſimo liberi aeris vel caloris acceſſu breui praecipitetur. Huc refert aquas *Spadanas*, *Pyrmontanas*, *Paſſiacas* etc. Quum in priori ſpecie verum vitriolum ferri detexerint aquarum ſcrutatores, etiam hoc de altera ſpecie affirmarunt, quod tamen ei abnegat Cl. Auctor, quicquid etiam de acido quodam vitriolico volatili praedicauerint iidem ſcriptores. Id vero, quod in auras abit, dum aquae martiales, ſpiritu aereo diuites, libero aeri exponuntur, cum iis comparat particulis, quae in ſalium contrariorum mixtione cum efferueſcentia

ſcentia attolluntur, quarum naturam chemici adhuc ignorant. Interim quod ad modum ſolutionis ferri in aquis mineralibus, eiusque in eis disiunctionem attinet, ei explicationi aſſentitur Cl. Auctor, quae mediante aere, qui vinculi vices gerit, id fieri probat. Aſt non tantum ferrum continere aquas martiales, ſed et de ſale marino, ſale *Ebshammenſi*, ſale marino baſi terrea, terra abſorbente, ſelenite plus minusue ſaepius participare, exemplo *Paſſiacarum* demonſtrat. Hinc quum de martialium aquarum viribus atque vſu diſſerit, praeter virtutes, quae cum ſalinis communes habent, praeſertim earum virtutem ſtimulantem ac roborantem, quam a ferro mutuantur, extollit, et in omnibus morbis, qui a fibra laxa et debili ortum habent, praeſertim in deprauato viſcerum abdominalium tono, quo plerumque hypochondriaci laborant, commendat: addita prudenti hac cautione; quo homo magis delicatulus ſit, quo facilius, vt aiunt, irritabilis, quo pectus minus firmum habeat; eo leuiores aquas martiales
p. 38. eſſe ſeligendas. Superſunt quaedam de aquis mineralibus ſulphureis. Sulphureae dicuntur, quae ſulphure, vel vapore quodam ſulphureo tenuiſſimo dotatae ſunt. Duplici ratione ſe manifeſtant, vel colore, quo argentum inficiunt, vel odore, ſolutioni hepatis ſulphuris ſimili. Cognoſcuntur praeſertim, dum eiusmodi aquae argentum, in aqua forti ſolutum, vel ſalem ſaturni nigro colore praecipitant. Praeter ſulphur etiam ſales et terras plus minusue continent, ita vt etiam earum virtutes inde aeſtimandae ſint. An ſulphureae quaedam aquae dentur, quae ſimul ſint aereae, ſeu elaſticae? quaerit Cl. Auctor. Tales frigidas reperiri ſcimus, ſed de calidis, ſeu thermis dubitamus, licet Cl. Auctor aquas *cauterets* et *calidas* ex Cl. BORDEU litteris editis huc referat. Sulphur in quibusdam fontibus

in

in moles ſenſibiles concreſcit; in aliis in flores ſublimatum conſpicitur, vti *Aquisgrani;* in aliis ſuperficiem aquarum tantum cuticula tegit. Interim artificium, quo ſulphur ex aquis ſiſtatur, chemicis adhuc latet. Ad ſulphur tamen in quibusdam aquis p. 40.
detegendum et demonſtrandum multum iuuare credit Cl. Auctor, obſeruationem a Cl. SPRINGSFELD in *itinere medico ad thermas Aquisgranenſes* *) communicatam, quae eo redit, vt parietes canalium, qui aquas *Aquisgranenſes* vehunt, ſulphuris accretionem reſpuant, niſi terreo concremento, quod aqua ipſa praebet, prius tecti ſint. Modum vero, quo aquae ſulphure dotentur, partim ex Cl. LEMERY notiſſimo experimento, quo limaturam ferri et ſulphur miſcuit: partim ex modo dicti Cl. SPRINGSFELD **) experimento cum oleo terebinthinae et vitriolo ferri aequali portione mixtis, inſtituto, explicari poſſe arbitratur. Ad caloris igitur procreationem et communicationem ſulphuris cum aquis plurimum conferre pyritas martiales et lithanthraces, qui oleo minerali et acido vitriolico abundant, plus quam probabile Cl. Auctori videtur.

Tandem ad virtutes, quas in vrina mouenda, in incitanda ſanguinis circulatione, in augenda perſpiratione et acuendo appetitu ponit, Cl. Auctor procedit et ad vſum tam internum, quam externum aquarum ſulphurearum tranſit, ſimulque nonnullos morbos commemorat, quibus ſubleuandis eas ſalutares cenſet. Inter eos praeſertim nominat ventri- p. 44.
culi et inteſtinorum affectus frigidos, icterum, menſium atque haemorrhoidum vitia, fluorem album, chloroſin, pectoris et pulmonum morbos, in quibus ne aſthmata tuberculoſa quidem, nec phthiſin pulmo-

*) pag. 22. **) ibidem pag. 49.

pulmonalem excipit. In plurimis recenſitis morbis internum vſum multum adiuuari ab externo, balneis nempe temperatis, adhuc monet. Balnea autem inprimis vtilia reperit in vlcerum calloſorum, fiſtuloſorum et inueteratorum ſanatione, ſi debita ratione adhibeantur, depuratio, iniectiones, ſtillicidia in vſum trahantur, et vſus internus, ſi opus, adiungatur.

III.

Diſſert. inaugural. medica, ſiſtens nouae methodi ſurdos reddendi audientes phyſicas et medicas rationes, quam Praeſide D. ANDREAE ELIA BÜCHNERO etc. defendet Auctor IOANNES IORISSEN, Veſalia-Cliuenſis. Halae-Magdeburg. 4. 1757. pl. 7½.

Ad ſcriptum hoc academicum euulgandum praebuit Cl. Auctori opportunitatem triſte parentis ſui exemplum, ſenſu auditus prorſus priuati, et, methodo forte fortuna detecta, denuo iterum praediti. Cuius morbi hiſtoriam Noſter primum recenſet, et ſingula phaenomena, eam notatu dignam reddentia, paullo poſt explicare ſtudet. Relationis vero ſumma haec eſt. Pater Cl. Auctoris anno aetatis ſuae vigeſimo, in auditus ſenſu leuem aliquam primum percepit moleſtiam, cuius cauſſam, quantum ipſi recordari licuit, vel magnae narium haemorrhagiae, vel grauiori cuidam ex alto lapſui adſcripſit. Non ſolum vero optima quaeuis medicamina malum hoc reſpuit, verum potius ſucceſſiue magis magisque exacerbatum fuit, ita, vt aegrotus non niſi proxime ad aures exclamata verba intelligere potuerit, illeque inde coactus fuerit, celeberrimorum Germaniae

et

et Batauiae medicorum consilia implorare. Sed ne spe, multo minus auxilio quodam, subleuatus excitatusque fuit. Et quamuis varia adminicula tentauerit, et praecipue tubis sic dictis acusticis, quibus et sibi et adstantibus suis aliquod emolumenti atque subsidii producere putauit, vsus sit, tamen et hos non sufficientes inuenit. Contigit tandem inopinato et satis curioso euentu, vt ipse aeger, dum filiam filiumque fides manu pulsantes (*Clavier spielen*) videret, suasu iussuque musices magistri, tenuem bacillum prehendat, vnum eius finem dentibus superioribus atctissime admoueat, alterum vero versus trabeculam contignationis resonantis adplicet, et ita sonos musicos exquisita quadam distinctione percipere potuerit. Sed nullam adhuc articulatam vocem ipsi distinguere fuit concessum; donec tandem alio experimento cum tuba stentoria instituto, cuius vni orificio ipse aeger dentes superiores admouit, alterum vero, quod latius est, vt suis dentibus adplicet, et verba quaedam loquatur, fratrem rogauit, et ita cuncta distincte percepit aeger. Idem illud cum instrumento fumiductorio eadem ratione tentauit, et exoptato euentu nunquam fuit destitutus. Ex recensita hac morbi historia varia nunc explicare, et praecipue surdidatis indolem exponere Noster suscipit. Quam vel in ipso p. 15.
organo auditus, vel in nexu eius cum sensorio communi, quaerendam esse putat. Partes dein, organon hoc constituentes, anatomice recensere tentat, et quomodo ex harum laesione, vario modo inducta, varii quoque surditatis gradus produci possint, disquirit. Eam enim pro diuerso vitio ipsi adplicato, p. 17.
vel in surdidatem plenariam, vel in auditum grauem, vel in susurrum s. tinnitum aurium dispescit. Meatus auditorii morbos primum contemplatur, et, quomodo ille partim per membranam praeternaturalem

ralem obtegi, partim a nimia ceruminis copia impleri, partim in praeternaturali ſtatu cauitatem vel nimis amplam vel nimis exiguam accipere, partim quoque a rebus heterogeneis male adfici poſſit, docet. Membranam tympani aut nimis relaxari, aut nimis adſtringi, aut prorſus rumpi, et inde ex varia hac laeſione vario modo auditus ſenſum laedi, Cl. Auctor docet. Ipſius vero tympani cauitatem atque labyrinthum propter oſſeam eorum ſubſtantiam non quidem multum ad auditus morbum conferre putat, interim tamen dolorem iſtum, omnium fere diriſſimum, otalgiam nempe, perioſtio, quo dictae hae partes circumcinguntur, male adfecto, adſcribit.

p. 23. Neruo acuſtico laeſo, auditus quoque ſenſum facile aboleri recte Noſter docet, quamuis ipſum neruum vix ab interna cauſſa, fluido ſcilicet nerueo ſpiſſius reddito et canalem obſtruente, ſed ab externa tantum preſſione laedi poſſe ſtatuat. Tubam Euſtachianam tandem duplici ratione vitiari, et ea, aut obſtructa, aut eroſa, ſurditatem producere poſſe recenſet. Poſtquam itaque varias illas cauſſas, ſenſum auditus adficientes, expoſuit, ad ipſius parentis exemplum progreditur, et quaenam huius fuerunt cauſſae, et detecti remedii natura et indoles, diſquirit.

p. 26. Non vero haereditarium malum adfuiſſe, ex organi huius habitu vsque ad vigeſimum annum ſano vegetoque concludit, ſed potius largam narium haemorrhagiam, et lapſum ex alto praegreſſum, vt cauſſas malí huius occaſionales aſſumit Noſter. In remedii tandem natura et indole explicanda, eo praecipue Cl. Auctor reſpicit, vt ex phyſicis diſciplinis demonſtret, cur vox articulata a parente ſuo tunc demum percipi potuerit, quando corpus durum atque elaſticum, neutiquam vero molle, pro adminiculo, malum hoc leuando, fuerit adhibitum. Hanc vero rem ita exponit, vt ad omnem percipiendum ſonum,

ſonum, neceſſario opus eſſe medio quodam, minimas aeris particulas trementes, verſus aurem propellendi, iudicet. Et medium illud eſſe aerem, tanquam corpus elaſticum, cui vero quodlibet aliud elaſticitate praeditum poſſe ſubſtitui, ex doctrinis muſicae et praecipue machinarum, ſonos muſicos efficientium exemplo comprobat. Quod p. 36.
vero ſonus non ſolum per auditus organon propagari atque percipi, verum etiam per alia corpora, elaſticitate quadam praedita, produci poſſit, ex partium praecipue duritie et apto ad ſuſcipiendos motus aeris tremulos ſitu declarat. Et cum dentes talia ſint corpora, machinae noſtrae duriſſima, ſonum ope tubuli cuiusdam non ſolum facile ſuſcipientia, verum etiam curioſiſſima ratione tandem cum ipſo auditus organo aliquam connexionem habentia, et inde ſonum verſus hanc partem propagantia, eos quoque vt media, ſurdidatem ſubleuantia, Noſter conſiderat. Quoniam vero inferioris p. 39.
maxillae dentes nulla cum oſſe temporum continuitate gaudent, tubulo quoque iis adplicato, nullam ſoni ſenſationem oriri poſſe demonſtrat. Quaenam tandem ſint requiſita medii illius, ſonum in auditus organo producentis, porro perpendit, et parentis ſui exemplo comprobat, illud debere eſſe in omnibus ſuis partibus continuum, elaſticum, et determinata quadam denſitate praeditum, vt tremor aeris iuſto ſufficiens inprimi et per illud verſus dentes propagari poſſit. Metalla minus apta p. 45.
pro hoc adminiculo iudicat, quoniam nimia horum denſitas, rigiditas et fragilitas iuſto maiorem requirit aeris trementis vim quae, dum longe validius continuat, nimis quoque validam dentibus adplicat ſoni actionem, et hinc diſtinctionem neceſſariam tollit. Aſſertum medicorum quorundam et phyſicorum, ipſum ſonum per tubam Euſtachianam

diſtinctius poſſe percipi, aperto ore non aſſumit Noſter, niſi leuis quaedam auris ſtructurae laeſio adſit, cum in grauiori organi huius vitio tale adminiculum fruſtra exſpectetur. Quae vero phaenomena in exemplo parentis ſui obſeruata adhuc reſtant, ea ita Cl. Auctor explicat, vt ſemper ad corpus quoddam molle, digitos e. g. vel labia intermedia, aut ſaltem ita adplicata, vt omnem tremoris quantitatem recipere poſſint, et ſonum intercipiant, porro quoque ad tubulum, dentibus tantum admotum, reſpiciat. Duo tandem adhuc argumenta monet, primum, quod in artificiali hac audiendi methodo neceſſario requirantur dentes maxillae ſuperioris firmi, nec vacillantes, quoniam ad propagandum ſonum continuitas partium requiratur, qua vacillantes deſtituuntur dentes. Alterum eſt, quod oſtendat, ſonum tali ratione impreſſum, non in aure, ſed in ipſius cerebri poſtica parte iuxta medullam oblongatam percipi, eam ob cauſſam, quoniam acuſticus neruus ex medullae oblongatae baſi et quidem ſuperiori parte oritur, ibique ſpirituum animalium impreſſionem in cerebrum et animum fieri oportet. Qui vero locus ab iis tantum accurate poſſit diſtingui, quibus non diuturna conſuetudo, ſed minus conſueta quaedam ſenſatio contigit.

IV.

De ratione audiendi per dentes. Programma. Auctore IO. HENRICO WINCKLERO, Ordinis Philoſophici h. t. Procancellario. Lipſiae, 1759. 4. pl. 1.

Ob argumenti ſimilitudinem huius quoque ſcripti mentionem facere, non inutile putamus, praecipue cum in eo Cl. Auctor non ſolum rationem, qua ſonus per dentes ad aurem propagatur, egregie ex phyſicis illuſtret, verum quoque ad ipſum paullo ante a nobis commemoratum exemplum IORISSENI prouocet illudque adducat. Quo itaque comprobet, dentes, et ad percipiendum ſonum, et ad intelligendas voces atque ſermones, eſſe idoneos, experimentum deſcribit, cum horologio viatorio inſtituendum. Illud in baculo, ex ligno tiliaceo confecto, quadrangulo, quinque lineas lato et ſeptem pedes Pariſinos longo, collocatur. Obturatis nunc auribus, admouetur iſtius extremum alterum dentibus nudis, et crepitans horologii tinnitus adeo diſtincte percipietur, vt in ipſo baculi extremo inter dentes videatur excitari. Ex qua methodo apparet, ſonum horologii, dentibus exceptum, validius ſentiri, quam ſi aures ipſae vni fini baculi adplicarentur. Baculus, pluribus ſuis extremitatibus brachiatus, tinnitum horologii ad plures quoque dentes, finibus iſtis ſimul admouentes, propagat. Quod ſi voces humanas ope dentium percipere cupimus, opus eſſe Cl. Auctor docet baculo quodam immobili, cuius extrema ita aptata ſunt, vt adplicata dentibus anticis ſuperioribus, vocum formationem non impediant; in vnum baculi extremum, itidem ſuperieribus dentibus adiunctum, verba quis dimittit, quae alter, auribus antea occluſis,

clare intelliget, et ſi reſpondet, prior quoque reſponſionem audiet. Viam nunc, qua ſonus per dentes in aurem internam propagatur, Cl. Auctor disquirens, primum ipſius ſoni generationem explicat, eamque motibus tremulis, quibus partes corporis ſonantis disiunguntur rurſusque coeunt, adſcribit. Talis partium colliſus atque concuſſio tympani membranam adficiunt, quippe quae, cum aeque corpus ſit ſonorum et aeri contiguum, ſimiles motus accipit, concutitur, et concuſſionem hanc cum tenerrimis iſtis oſſiculis, malleo, incude, ſtapede, et ope huius cum feneſtra ouali, et inde cum neruo acuſtico communicat.

Vltimo tandem Cl. Auctor exponit, cur neruuli auditorii ſonum per corpus quoddam dentibus ſuperioribus adplicatum aeque clare percipiant, ac ope ipſius organi auditus. Scilicet, tanta eſt inter dentes et oſſa temporalia oſſium connexio, vt vnum quaſi os conſtituant, per quod aeris tremores, a corpore ſonante orti, dentium ope ad labyrinthum peruenire poſſunt. Cur hoc ita eueniat, cauſſam in firmitate et duritie oſſium ponit, quae ab aere contremiſcente comprimuntur, et propria vi iterum ſe dilatant, elaſticitate ſua itaque ſonum per baculum aeque elaſticum accipiunt dentes, eumque ad contigua oſſa promouent, inde neruuli, canales ſemicirculares labyrinthi circumeuntes, ſentiunt.

V.

Diſſ. inaug. ſiſtens experimenta quaedam circa corpus calloſum, cerebellum, duram meningem, in viuis animalibus inſtituta. Praeſide ALBERTO de HALLER. Reſpondente et Auctore IOANNE GODOFREDO ZINN, Suabacenſi. Gottingae, 1749. 4. pl. 7.

Cum diuerſae ſint medicorum, inprimis recentiorum, ſententiae in variis phaenomenis, quae ad corpus calloſum, cerebellum et duram matrem pertinent, b. ZINNIUS, ſuaſu Ill. HALLERI, qui tunc temporis in academia Gottingenſi profeſſoris munere fungebatur, varia experimenta circa has partes in viuis animalibus inſtituit illaque loco diſſertationis inauguralis, quam eo tempore moliebatur, deſcripſit.

Ea vero ratione primum de corpore calloſo, deinde de aliis partibus agit, vt ante omnia experimenta accurate enarret, deinde ſubiiciat ſcholia, in quibus phaenomena explicantur concluſionesque variae inde formantur. Quod vero primo attinet ad p. 4. corpus calloſum, ad quod ſeptem priora experimenta pertinent, notum eſt, Cl. Viros, LANCISIUM, MAZINI, et maxime Cl. DE LA PEYRONIE, poſuiſſe animi ſedem in eo corpore, eamque hypotheſin confirmaſſe variis argumentis, inprimis ex morte, quae, illo corpore laeſo, in variis morbis confeſtim ſequitur, ſumtis. Hoc vero aſſertum minime verum eſſe, Noſtri tentamina probant, cum in canibus et columba illud corpus pertuſum et diſciſſum ſit, ſenſu motuque integerrimis, atque animalia ad vnum alterumue diem adhuc vixerint. Addidit vero Cl. Auctor alia, quibus vel Cl. DE LA PEYRONIE

argumenta refellit, vel ex paruitate corporis calloſi, vel ex variis hiſtoriis morborum, in quibus, eo laeſo vel compreſſo, tamen aegri vixerunt, vel ex anatome comparata probat, neutiquam animi ſedem in eo corpore collocari poſſe, quod magis anatomica inſpectio confirmat, quae docet, multos neruos, vti tamen de omnibus Cl. DE LA PEYRONIE aſſeruit, non ex corpore calloſo, ſed ex aliis cerebri locis oriri, quae cum corpore calloſo parum coniuncta ſunt.

p. 24. Ipſum vero vſum huius corporis cum HALLERO in eo ponit, vt ſit communicatio motuum et ſenſuum inter vtrumque hemiſphaerium. Ex narratis quoque experimentis patet, vulnera medullae oblongatae non tam ſubito eſſe lethalia, vti nonnul-
p. 25. lis viſum eſt, atque nulli ſingulari cerebri particulae eam poſſe adſcribi monarchiam, vt, ea laeſa, ſtatim quoque vita tollatur, ſed Noſter cum HALLERO putat, vbique eſſe animi ſedem, vbi initium eſt nerui cuiuscunque, atque omnium neruorum iunctas primas origines efficere verum ſenſorium commune. Reliqua huius ſectionis ad lethalitatem vulnerum ſinuum cerebri ſpectant: Noſter enim oſtendit, ſinu longitudinali laeſo, mortem non eodem temporis momento ſecutam eſſe, ſed exempla vulnerum eiusmodi ſanatorum apud auctores inueniri.

p. 28. Altera huius diſſertationis ſectio agit de cerebello, dura matre, et neruis diaphragmatis, et
p. 32. quinque experimenta continet. Ex iis patet, 1) cerebello vehementer laeſo, vitam per multas horas ſupereſſe, ita vt nerui, organa inuoluntaria adeuntes, minime ex ſolo cerebello oriantur, quod magis adhuc variae morborum hiſtoriae confirmant, in quibus, cerebello morbo affecto, tamen vitales
p. 38. functiones integerrimae perſtiterunt. 2) Vitalitatis ſedem

ſedem non quaerendam eſſe in cerebello, atque ipſa medullaris cerebri ſubſtantiae vaſcula per anaſtomoſin inter ſe iungi. 3) Neruis phrenicis ligatis p. 39.
vel abſciſſis, iisque deinde infra ligaturam vel locum amputatum irritatis, diaphragma manifeſte conſtringi. Hinc neruis, omni cum cerebro commercio ſublato, tamen ineſt vis excitandi motus, ſi irritatio quaedam acceſſerit. Atque hac occaſione Cl. Auctor de irritabilitate in vniuerſum disputat, et ad effectus eius alternum pulmonum motum in reſpiratione refert. Putat enim, ſanguine in vaſis pulmonum ſtagnante, neruos pulmonum irritari eamque irritationem ope intercoſtalis nerui tranſire in muſculos, reſpirationi dicatos, eorundemque perennem motum hac ratione produci. 4) Duramp. 43.
matrem ſenſu deſtitutam eſſe, neque illam neruos habere, ſed ex celluloſa tela ſtipata conſtare, atque in phrenitide corticem cerebri ipſum eſſe inflammatum, non membranas. 5) Laeſa medulla cerebri, p. 51.
maximum oriri dolorem, non tamen in omni medullae laeſione ſtatim conuulſiones ſubſequi.

VI.

Disput. med. de irritabilitate, Praeſide GEORGIO CHRISTIANO OEDER, M.D. Reſpondente PETRO ASCANIO. Hafniae, 1752. 4. pl. $3\frac{1}{2}$.

Cum inter primos auctores, qui de nouo tunc temporis irritabilitatis argumento ſcripſerunt, Cl. OEDER omnino referendus ſit, de eius diſſertatione hic loci ad lectores referre omnino pretium eſſe duximus. Scripta vero illa eſt ante, quam Cl. ZIMMERMANNI de irritabilitate libellus ad OEDERUM peruenisſet. Primo vero Noſter pro- p. 1.
bare

bare annititur, *irritabilitatem* ſiue *ſtimulum*, vti ab antiquis dicitur, ex parte veteribus iam fuiſſe cognitum. Deinde experimenta profert, quae demonſtrant, irritabilem fibrarum muſcularium vim inter *principia*, vnde phaenomenorum ratio petenda eſt, referendam eſſe. Ea partim ab aliis ſumta, partim ab Auctore Cl. ipſo inſtituta ſunt. Notum illud in phrenicis neruis inſtituendum experimentum
p. 5. Auctori Cl. non perfecte ſucceſſit. Ex experimentis vero concludit: *fibris muſcularibus eam datam eſſe facultatem, vt ad contactum omnium fere corporum, quibus non ſemper continguntur, moueantur: hanc facultatem muſculos a neruis habere: in muſculis tamdiu irritabilitatem ſupereſſe, quamdiu fluidi neruei aliqua pars in iis ſuperſit, neque ad ſingulas muſculorum actiones ſingulis influxibus nouae portionis ſpirituum animalium opus eſſe*, vti BOERHAAVIUS in explicatione reſpirationis aſſumſit. Addit, irritabilitatem maiorem ab aliis corporibus, ab aliis e contrario minorem oriri et reperiri corpora, quae irritabilitatem tollant. Deinde oſtendit, irritabilitatem a neruis prouenire, quia, neruis irritatis, muſculus contrahitur,
p. 13. hincque animalibus tantum propriam eſſe. Tandem actiones vitales rationemque illarum ope irritabilitatis ſimili fere modo explicat, circulationem ſcilicet ſanguinis, et reſpirationem, vti Cl. ZIMMERMANNUS fecit, atque in fine huius libelli plures eiusdem argumenti diſſertationes promittit.

VII. Sulla

VII.

Sulla inſenſitivita ed irritabilita Halleriana opuscoli di vari Autori raccolti da GIACINTO BARTOLOMEO FABRI, Fiſico Chirurgo. P. I. nella quale ſi contengono tutte le coſe favorevoli al ſiſtema del Chiar. Sign. HALLER. P. II. nella quale ſi contengono tutte le coſe oppoſte al ſiſtema del Chiar. Sign. HALLER. Con Supplemento. In Bologna, per G. Corciolani, 4. Tom. I. 1757. Alph. 2. tab. aen. 1. T. II. 1757. Alph. 2. tab. aen. 6. Supplem. 1759. Alph. 1. pl. 22.

i. e.

Variorum Auctorum de inſenſibilitate et irritabilitate opuſcula collecta, ab H. B. FABRI. P. I. continet ea ſcripta, quae ſyſtemati Cl. HALLERI fauent. P. II. ea, quae contra illud pugnant. Cum Supplemento.

Licet aliquot iam anni praeterlapſi ſint, ex quo haec auctorum, qui de irritabilitatis et ſenſibilitatis doctrina, ab Ill. HALLERO noſtro demum aeuo propoſita, ſcripſerunt, collectio publici iuris facta eſt, nosque variis in locis horum commentariorum de plurimis libellis, in ea contentis, expoſuerimus, operae tamen pretium eſſe duximus, etiam de vniuerſo illo opere denuo ad lectores referre. Eſt enim in vniuerſum huius argumenti ſumma dignitas, cum ea re multis capitibus doctrinae phyſiologicae, pathologicae et chirurgicae accenſa ſit lux, atque praeterea multa adhuc in ea collectione ſuperſunt ſcripta, de quibus conſulto antea non

expoſuimus. Ne vero, quae iſto tempore, quo primum ſcribebantur iſti libelli, noua erant et lectu iucunda, nunc vero nimis nota et vulgaria, praeter neceſſitatem atque ſine lectorum vſu et voluptate repetamus, breuius in iſtis nouis libellis indicandis verſabimur, quam poſtulare dignitas huius doctrinae videri poſſet. Suſcepit vero, vt primo de hacce collectione in vniuerſum exponamus, verſionem variorum ſcriptorum, gallice antea editorum, atque collectionem totius huius operis Cl. FABRI, medicus et chirurgus Bononienſis, poſt editionem aliquam primorum auctorum de irritabilitate et inſenſibilitate auctorum, quae etiam Italica lingua conſcripta Romae anno huius ſeculi quinquageſimo quinto prodiit ſtudio Cl. I. V. PETRINI, profeſſoris philoſophiae et matheſeos in collegio Nazareno Romano, ita tamen, vt Cl. FABRI in altera hac editione ſcriptores, a Cl. PETRINI ex Gallica lingua translatos, denuo in Italicam linguam verteret.

T.I.p.1 Praemiſſa vero eſt ipſa Cl. PETRINI praefatio ex Romana editione, in qua ille de dignitate huius inuenti in vniuerſum exponit.

p. 15. Hanc excipit Cl. TISSOT praefatio, praefixa Lauſannenſi editioni *diſſertationis* Ill. HALLERI *de partibus ſenſilibus et irritabilibus*, quae anno 1755 prodiit, de qua iam alibi expoſuimus *).

p. 33. Sequitur nunc *commentarius* ille, qui in commentariis ſocietatis Gottingenſis ad annum 1752 continetur, et de quo **) atque de *ſupplemento* contra Cl. LE CAT, eidem a Cl. TISSOT in editione Lauſannenſi adnexo ***), aliis in locis fuſe ad lectores retulerimus. Adnexa eſt breuis HALLERI *diſſer-*

*) vid. Commentar. hor. Vol. V. p. 695 ſeq.
**) vid. Comment. Vol. II. p. 695 ſeq.
***) vid. Comment. Vol. V. l. citato.

diſſertatio de motu cordis a ſtimulo nato, voluminip. 71.
primo commentariorum ſocietatis Gottingenſis inſerta, cuius praecipua contenta iam enarrauimus *).

Cl. I. G. ZIMMERMANNI *de irritabilitate* diſ-p. 74.
ſertatio Gotting. 1751 publicata **).

Cl. P. CASTELL *experimenta, quibus varias cor-*p. 125.
poris humani partes ſentiendi facultate carere conſtitit ***), quae Gottingae anno 1753 prodierunt.

Cl. VRBANI TOSSETTI, profeſſoris phil. et p. 164.
matheſ. in collegio Nazareno Romano patrum ſcho- 173.
larum piarum, *epiſtolae tres* ad Cl. IOS. VALDAM- 189.
BRINI, medicum Cortonenſem, *de inſenſibilitate variarum partium in animalibus*, in editione Romana anno 1755 publicatae. Licet Cl. TOSETTI ipſe non ſit medicus, tamen in quorumque corporum naturalium disquiſitione occupatus atque ill. HALLERI experimentis excitatus, illa primus forte in Italia repetiit eorumque ſummam hic declarat. Experimenta vero in prima epiſtola ad inſenſibilitatem tendinum et durae matris pertinent, et illa, quae ab HALLERO propoſita erant, magis confirmant. In altera epiſtola haec planius explicantur, quibus tamen varia addita ſunt, quae ad motum cordis in animalibus diu poſt mortem ſuperſtitem et inſenſibilitatem pericranii pertinent. Tendo Achil-p. 181.
lis diſciſſus in cane poſt triginta dies gummoſa quaſi ſubſtantia iterum conglutinatus erat. In tertia epiſtola aliorum Cl. Virorum PALIANI, GRATIANI, VARI, MORANDO et BIANCHI de inſenſibilitate tendinum, pericranii, durae matris pleuraeque experimenta enarrantur, quae Hallerianorum

*) vid. Commentar. hor. Vol. II. p. 19 ſeq.
**) vid. Comment. Vol. II. p. 323 ſeq.
***) vid. Comment. Vol. III. p. 101 ſeq.

p. 192. rum experimentorum veritatem confirmant. Tendinum ſenſum obſcurum eſſe, GALENUS iam propoſuit, ac varia, quae ad inſenſibilitatem tendinum et ligamentorum pertinent, ante auctorem, varii alii auctores Italici habent.

p. 201. Cl. FABRI editoris huius collectionis *litterae ad Patrem Lectorem Anonymum*, quae forte tantum ob reſponſionem iisdem ſubnexam huic volumini inſertae ſunt, cum proprie, quia contra HALLERI ſyſtema directae ſunt, ad alterum volumen, quod aduerſariorum ſcripta continet, pertineant. Varium exitum experimentorum, quae inprimis Noſter ad ſenſibilitatem durae matris declarandam inſtituit, fuiſſe aſſerit, eamque omnino ſenſu praeditam eſſe contendit.

p. 210. *Reſponſio Patris Lectoris Anonymi* ad Cl. FABRI, quae Halleriano ſyſtemati ita fauet, vt in ea theoria irritabilitatis ad vniuerſam naturam extendatur, et varia, quae in aliis corporibus naturalibus obueniunt, phaenomena eius ope explicentur.

p. 230. Cl. CAES. POZZI, mathef. profeſſ. *litterae* ad Cl. THOM. LAGHI, latino idiomate ſcriptae. Cl. POZZI Florentiis experimenta de tendinum inſenſibilitate inſtituit, et cognouit, dolores, qui nonnunquam in animalibus, quorum tendines irritantur, obſeruari ſolent, a cute ſimul tacta produci. Pericranium quoque et duram matrem omnino ſenſu eſſe deſtitutam, expertus eſt, illaque experimenta omnia coram multis aliis eruditis aliquoties repetiit.

p. 237. *Quarta epiſtola* Cl. TOSETTI ad Cl. VALDAMBRINI, quae inprimis contra Cl. Virorum LAGHI et BIANCHI experimenta directa eſt. Maxime vero in ea notatu dignae ſunt Cl. PALIANI obſeruationes, quibus declaratur, neque neruos ad tendines diſtribui, ſed tantum ad eorum inuolucra, id quod

quod de tendine Achillis adiecta figura explicatur, neque ad duram matrem. Epiſtola vero haec in inſtituto Bononienſi anno 1756 menſ. nov. praelecta eſt.

Cl. MARC. ANT. CALDANI *litterae ad* Ill. HALLERUM, *de inſenſibilitate et irritabilitate nonnullarum partium in animalibus* ſcriptae, et praelectae in inſtit. Bononienſi menſ. nov. 1756. Elegantes omnino ſunt magnumque experimentorum continent numerum, quae Cl. CALDANI ſumma cum diligentia inſtituit. In vniuerſum autem in hac epiſtola confirmatur, tendines, ſi in experimentis nullae aliae partes ſimul irritentur, omnino ſenſu deſtitui, animaliaque, tendine vulnerato, nulla doloris ſigna edere. Confirmatur quoque, nullos neruos ad ipſorum tendinum ſubſtantiam tranſire, nec pericranium, nec duram matrem, ſi pertunditur, ſentire. Attamen in inſerta alia Cl. CALDANI ad HALLERUM epiſtola, ille, narrato quodam experimento, probare annititur, internam durae matris laminam ſenſu aliquo praeditam eſſe, quod vero HALLERUS in adiecta reſponſione ſe obſeruaſſe negat. Nullos etiam Cl. CALDANI in dura matre neruos vel microſcopio detegere potuit. Animal quoque cerebri vulnera ſentire, experimentis Noſter probat, ſi vero vlcera aut aliae laeſiones cerebri non dolorem excitauerint, id adſcribendum fuiſſe calloſitati et inflammationi partium circumiacentium, aſſerit. Peritonaeum non ſentire, experientia, occaſione herniae cuiusdam curationis per ferrum facta, probatur. Reliqua pertinent ad irritabilitatem cordis, cuius motus nunquam ſponte, ſed ſemper ab alio ſtimulo aut aere reuocatur, inteſtinorum porro, ventriculi et veſicae, quae partes inteſtinis minus irritabiles ſunt, et iridis irritabilitatem, quam Cl. CALDANI plane negat.

p. 269.

p. 293.

Cl.

p. 337. Cl. I. FR. CIGNA, M. D. *theſes de irritabilitate* menſ. april. 1757 in academia Taurinenſi defenſae. Epitome eſt experimentorum, ab HALLERO eiusque diſcipulis inſtitutorum, eaque ad praxin medicam et phyſiologiam a Cl. Auctore adplicantur. Diſtinctionem inter neruos vitales et animales plane reiicit, atque cuilibet parti propriam quandam irritabilitatem adſcribit, irritabilitatemque vnius eiusdemque partis in diuerſis indiuiduis differre contendit.

P. II. Altera huius collectionis pars, quae ſcripta, contra HALLERUM directa, continet, licet ex iis, quae euulgata ſunt, varia adhuc deficiant, ſequentibus libellis componitur.

p. 1. *Epiſtola prima* Cl. IO. BA. BIANCHI ad Cl. BASSANI *ſuper ſenſibilitate et irritabilitate partium in hominibus et brutis.* Cl. Auctor emeritus profeſſor anatomiae in academia Taurinenſi, ſenex ſuisque quondam cum Cel. MORGAGNI controuerſiis clarus, iterum occaſione Hallerianae ſenſibilitatis in arenam deſcendit, occaſione litterarum Cl. BASSANI, quibus hic illum de ſuis et Cl. TOSETTI circa ſenſibilitatem et irritabilitatem experimentis certiorem reddit. Putat autem, totum corpus ex neruis conſtare et ſenſum habere, ſola epidermide excepta. Hinc tendines, duram matrem, peritonaeum et corneam etc. ſentire, quod magis ex doloribus, qui in his partibus morboſe affectis oriuntur, v. c. in arthritide, malo iſchiadico etc. probat. Varia quoque in animalibus experimenta inſtituta fuerunt, quorum tamen euentus incertus et varius fuit. Adiicit, omnes partes, quae ſentiunt, etiam irritabiles totumque corpus irritabilitate praeditum eſſe, cum omnes eius partes, ſi diſſecentur, in viuis ſe retrahant.

Secunda

Secunda EIUSD. Cl. BIANCHI *ad Collegas epiſtola*, in qua acrius ſyſtema Hallerianum perſtringit, oſtenditque neque irritabilitatis theoriam nouam eſſe, neque inſenſibilitatis, cum illam GALENUS iam cognouerit. Porro probare annititur, huius theoriae auctores inter ſe discrepare et contra ſe dicere, hancque theoriam in vniuerſum, potiſſimum in medicina facienda et chirurgia, nocere atque per eam tirones confundi. p. 24.

Cl. SYLVESTRI PONTIULLI *epiſtola* ad Cl. BIANCHI. Breuiſſima eſt nihilque noui continet. p. 53.

Octo obſeruationes practicae Cl. IOA. MICH. LAMBERTI, chirurgi Alexandrini. Ex iis quinque ad pericranium pertinent et confirmant, eo inciſo, ſummos oriri dolores. Tres reliquae tendinum ſenſibilitatem confirmant. p. 56.

DOMINICI SANSEVERINI, medic. Neapolit. *de fibrarum ſenſibilitate et irritabilitate pauca.* Vix ad hoc volumen pertinet. In experimentis enim hic enarratis dura mater ſenſu deſtituebatur, cerebrum ipſum indolens fuit, verum, vbi cerebellum tangebatur, ſtatim animal conuulſionibus corripiebatur. p. 67. p. 70.

Cl. CAIET. TACONI diſſ. *de gangraenis elapſis proxime annis viſis curatisque.* Plane illa ab huius operis inſtituto aliena eſt, cum ne verbum quidem in ea de ſenſibilitate vel irritabilitate contineatur. Obſeruatum vero eſt, ab a. 1749 annisque ſequentibus Bononiae omnes fere externas corporis partes vulneratas ſtatim gangraena corripi, ita vt morbus hic epidemicus quaſi graſſaretur et contagioſus eſſet. De reliquo haec diſſertatio multas notatu dignas obſeruationes exhibet, ſatisque de Auctoris Cl. doctrina teſtatur. Inter illas omnino referri meretur hiſtoria foeminae, in qua caries cranii magnam partem, atque gangraena duram matrem p. 79.

matrem abſumſerat, quae tamen cranii portio maxima ex parte iterum reſtituta eſt, quod, figura adiecta, magis explicatur.

p. 110. Cl. THOM. LAGHI ad Cl. CAES. POZZI epiſtola. Aſſerit, experimenta ſe ſumma cum diligentia inſtituiſſe et deprehendiſſe, tendines omnino quidem ſenſum habere, nihil tamen in hac re perpetui eſſe, cum ne ipſa quidem cutis perpetuo ſenſitiua videatur. Obſcurus euentus experimentorum circa pleuram et peritonaeum fuit, duram vero matrem, pericranium et cerebrum ipſum ſentire confirmat. In tabula adiecta prima nerui ex trunco cruralis poſtici, tendinem Achillis adeuntes, atque in altera rami delineantur neruei, quos Cl. Auctor e trunco paris quinti et ſeptimi ad duram matrem diſtribui putat.

p. 117. *Commentarius* Cl. CLAUD. NIC. LE CAT, *de ſenſibilitate durae et piae matris etc. academiae Berolinenſi transmiſſus et nunc Italice verſus* *).

p. 131. Cl. ANTON. ARRIGONI *epiſtola* ad Cl. FABRI, *de irritabilitate et ſenſatione partium in viuis.* Irritabilitatis ſedem in muco, partes iungente, ponit, negat vero, irritabilitatem a ſenſibilitate partium ſeparari poſſe, ita, vt, ſenſu ſublato, irritabilitas ſupereſſe poſſit.

p. 141. Cl. IO. BAPT. FE' *defenſio* HERM. BOERHAAVII *aduerſus* HALLERUM. Acrius Ill. HALLERUM diſcipulumque Cl. ZIMMERMANN impugnat. Disputatur vero in hac diſſertatione potiſſimum, an BOERHAAVIUS dixerit, totum corpus neruis conſtare et ſentire? atque HALLERUS reprehenditur, quod varia contra praeceptorem monuerit.

p. 178. *Series nouorum experimentorum circa ſenſibilitatem et irritabilitatem partium corporis animalis*, Auct. Cl.

*) vid. Comment. hor. Vol. III. p. 426 ſeq.

Cl. LORRY, ex diario Cl. VANDERMONDE *) sumta.

Cl. LUD. MAR. GIRARD DE VILLARS *dissertatio medica, an vt sensibilitas, sic irritabilitas a neruis?* Parisiis, sub praesidio Cl. CAR. GEILLE DE SAINT LEGER defensa **). Confirmatur in ea, tendines, ab omni inuolucro separatos, nullum sensum habere, atque eadem res de ligamentis, glandulis mucilaginosis, periosteo, pericranio, visceribus et dura matre confirmatur experimentis, in viuis animalibus et hominibus captis, et argumentis ex variis morbis repetitis. Cerebrum nullum sensum habere Noster asserit. Irritabilitatem vero a neruis esse, vt sensibilitas, Cl. Auctor affirmat, hoc vsus argumento, sensatione in neruis excitata, fibras musculosas demum ad contractionem determinari. p. 198.

Cl. DOM. VANDELLII *epistola ad* ANTON. VANDELIUM *de sensibilitate pericranii, periostei, medullae, durae meningis, corneae et tendinum*, atque EIUSDEM *altera ad* EUNDEM *epistola de sensibilitate et irritabilitate* ***). p. 213. p. 231.

Anonymi epistola ad anonymum. p. 244.

Doctoris medicinae anonymi animaduersiones anatomicae ad dissertationem HALLERI. Ab aliis accepimus Auctorem huius libelli esse Cl. PETRIOLI, pauca tamen, vti praecedens epistola, noua continet. p. 249.

Cl. CAR. MICH. LOTTERI, professoris chirurgiae in academia Taurinensi, *sermo de sensibilitate et irritabilitate partium in brutis et hominibus.* Elegans p. 278.

est

*) vid. *Recueil periodique* 1756. mens. nov. et dec. et mens. ian. 1757. conf. Commentar. hor. Vol. VII. p. 483 seq.

**) vid. Comment. hor. Vol. VIII. p. 50.

***) vid. Comment. hor. Vol. VII. p. 506 seqq.

eſt huius argumenti tractatio, atque inprimis multas morborum hiſtorias continet, in quibus, ex Cl. Auctoris mente, dolor in iis partibus deprehenſus eſt, quas HALLERUS ſentire negat. Adeo late patere ſenſibilitatem per omne corpus Noſter putat, vt ne ipſam quidem telam celluloſam ſenſu carere credat.

p. 307. Cl. MICH. LAMBERTI *nouae obſeruationes circa ſenſibilitatem perioſtei, ligamentorum, membranarum etc. factae.* Oſſa ipſa neruos habere ex ſenſibilitate carnearum illarum papillarum, quae ex ambitu vulnerati oſſis ad callum formandum excreſcunt, concludit. Varias deinde proponit obſeruationes de pericranii ſenſu, de telae celluloſae et peritonaei ſenſibilitate, quam ex eo confirmat, quod in homine, cuius abdomini vulnus inflictum erat, obſeruauerat, de ligamentorum, iridis, corneae et perioſtei ſenſu. Ipſas quoque membranas, quae viſcera inuoluunt, ſenſu haud deſtitui, ex eo probat, quod illae peritonaei propagines ſint.

p. 326. Cl. TH. LAGHI *ſermo alter ad* Cl. IAC. BARTH. BECCARI *de ſenſibilitate atque irritabilitate Halleriana.* Incertam eſſe neruorum inſenſitiuitatem concludit, atque experimenta multum variare. Duram matrem vero ſentire confirmat, e contrario peritonaeum, pleura et in nonnullis experimentis ipſi muſculi, inſenſiles deprehenſi ſunt. In figura adiecta nerui, tendinem adeuntes, aliique ad duram matrem ex trunco quinti paris neruorum cerebri protenſi, delineantur. Multa quoque circa ſenſibilitatem medullae cerebri experimenta inſtituit, in primis ope cuiusdam peculiaris inſtrumenti, ad hunc ſcopum a Comite CASALIO inuenti, quod etiam hic depictum eſt. Tentamina vero illa eum docuerunt, cerebri compreſſiones ad

ſex

ſex fere lineas et ipſius medullae vulnera non ſemper conuulſionibus ſtipari.

Cl. IOA. MICH. LAMBERTI epiſtola ad Cl. DOM. VANDELLI. Inſertae ſunt in illa epiſtola litterae anonymi cuiusdam, quae contra Cl. CIGNA potiſſimum, ni fallimur, directae eſſe videntur. Adiecta tandem eſt epiſtola Cl. GIRARD DE VILLARS ad Cl. BIANCHI, in qua hic laudatur, quod *venenatam* HALLERI *opinionem, cuius dominium iam latius aequo patebat, achillaeo alexipharmaco generoſe debellauerit.* p. 346. p. 357.

Supplementum huius collectionis, quod anno huius ſaeculi 1759 prodiit, in duas partes diuiſum eſt, quarum prior ſcripta, quibus ſyſtema irritabilitatis et ſenſibilitatis defenditur, poſterior vero ſcripta, quibus illud impugnatur, continet.

Initium facit *epitome ſecundi commentarii de partibus ſenſilibus et irritabilibus* Cl. HALLERI ex Cl. VANDERMONDE diario *). p. 1.

Cl. ZINN *commentarius de inuolucris neruorum* inſertus commentariis acad. Berolinenſis ad annum 1753 **). p. 81.

EIUSD. *experimenta quaedam circa corpus callo-ſum, cerebellum et duram meningem, in ipſis viuis animalibus inſtituta.* Diſſertationis inauguralis huius ſub Cel. HALLERI praeſidio defenſae epitomen modo dedimus ***). p. 94.

Cl. G. C. OEDER et Cl. P. ASCANII *diſſertatio de irritabilitate* ****). p. 127.

*) vid. Comment. hor. Vol. V. p. 697.
**) vid. Comment. hor. Vol. V. p. 206.
***) vid. Comment. hor. Supplem. III. p. 405.
****) vid. Comment. hor. Supplem. III. p. 407.

p. 143. Cl. I. B. VERNA *litterae* ad Cl. HALLERUM. Cl. VERNA, qui Taurini chirurgiam docet et nosocomii cuiusdam directionem habet, varia experimenta, ibidem in hominibus instituta, cum HALLERO communicat, quae periostei, durae matris et tendinum insensibilitatem confirmant. Obseruationem quoque infantis proponit, in quo anus quidem aperturam naturalem habebat, intestinum vero rectum paullulum supra anum contractum et clausum erat, vt faeces exire haud possent.

p. 154. Finem supplementi huius facit Cl. HORAT. MARIA PAGANI et Cl. CAMILL. BOINOLI *commentarius theoretico-practicus de partibus insensilibus et irritabilibus animalium*, contractus et adnotationibus illustratus, a C. M. M. Pertinent experimenta, in hoc libello contenta, potissimum ad tendinum, durae matris, peritonaei, pleurae et medullae in-
p. 177. sensibilitatem demonstrandam. Distinguunt porro Cl. Auctores inter irritabilitatem, quam vim cor, musculi, ventriculus et intestina tantum habent, et inter vim mere contractilem, quam arteriae, ductus excretorii, venae, vesicula fellea, vesica vrinaria, vreteres et vterus ostendunt. Additae ab anonymo adnotationes contra Cl. Auctores satis acres sunt, nihil vero noui continent, ita vt a Cl. Editore commode omitti potuissent.

p. 7. In supplemento, quod ad secundum volumen huius sectionis pertinet, primum locum occupat *dissertatio altera* Cl. LE CAT, *de sensibilitate durae et piae matris, membranarum, ligamentorum, tendinum, de insensibilitate cerebelli, et de irritabilitate Halleriana.* Cl. LE CAT postquam sua dissertatione de motu musculari praemium ab academia regia Berolinensi reportauit, alteram de sensibilitate durae et piae matris dissertationem ei transmisit, quae volumi-

volumini ſecundo collectionis huius inſerta eſt, et T. II.
de qua alio loco fuſius ad lectores retulimus *). p. 17.
Ab eo vero tempore, quo primum illa in lucem edita eſt, multum illam auxit Auctor Cl. tum ſuis, tum aliorum experimentis, atque ad Cl. BIANCHI epitomen et adumbrationem ſecundae editionis huius commentarii longe auctioris transmiſit, quo in hancce collectionem a Cl. Editore inſeri poſſit. Agit vero primum de ſenſibilitate durae matris, atque ad varia dubia, ab Ill. HALLERO contra obſeruationes, a Noſtro in priore editione huius commentarii commemoratas, prolata reſpondet. Cerebelli compreſſionem non cauſſam eſſe dolorum, qui, dura matre preſſa, oriuntur, oſtendit, multasque alias obſeruationes ad durae matris ſenſibilitatem confirmandam in medium profert. Animaduerſiones quoque ad obiectiones HALLERI contra theoriam Auctoris de tetano ſubiungit, atque membranas, ligamenta et tendines ſentire, multis experimentis, in hominibus captis, morborumque hiſtoriis probat. Tandem p. 31.
concedit, nonnullas ex his partibus per accidens inſenſiles fieri poſſe, neruo obſtructo, vel eius actione laeſa, aut ſenſatione *aequiuoca* facta, id eſt, quae non reſpondeat dolori, in cute vel muſculis excitato; cerebellum vero perpetuo ſenſu deſtitui confirmat. Vltima ſectio varias animaduerſiones in Halleria- p. 37.
nam theoriam de inſenſibilitate in vniuerſum continet.

Cl. FABRI editoris huius collectionis *litterae* p. 42.
ad Cl. HERC. CELLI. Continet experimenta, in aegro quodam circa ſenſibilitatem tendinum inſtituta, ex quibus probatur, tendinum laeſionem vel attactum acute ſentiri.

*) vid. Comment. hor. Vol. III. p. 326.

p. 51. Cl. DELII *animaduerſiones in doctrinam de irritabilitate etc.* *).

p. 73. *Eiusd. obſeruatio de perioſteo admodum dolente,* ex diſſ. inaugurali Cl. VILLESAVOYE *pentas obſ. medico-chirurg.* ſumta eſt, atque in aegro, qui maximum circa tibiam vulnus acceperat, inſtituta eſt.

p. 76. Cl. DOM. VANDELLI ad Cl. LAMBERTI *epiſtola.* Corneae et durae matris ſenſibilitatem experimentis probare annititur auctor, quae in viuis hominibus inſtituta ſunt.

p. 81. Cl. BIANCHI *litterae* ad Cl. LE CAT. Acerbius eae ſcriptae ſunt, nulla vero experimenta continent.

p. 92. *Medici cuiusdam anonymi litterae ad* Cl. FABRI. Animaduerſiones varias ad Cl. ZIMMERMANNI libellum inprimis comprehendit.

p. 97. Cl. GAET. ROSSI *epiſtola* ad Cl. FERD. MARCHESINI. Nihil noui in ea proponitur, ſed fatetur tantummodo Cl. ROSSI, ſe plus fauere Cl. LAGHI, quam Cl. CALDANI.

p. 105. *Litterae* Cl. IOS. BERTOSSI *ad amicum de ſenſibilitate et irritabilitate partium c. h.* De irritabilitate et ſenſibilitate in vniuerſum definitioneque harum qualitatum disputat.

p. 121. Cl. LE CAT. ad Cl. BIANCHI *epiſtola.* Continet varia tum Cl. LE CAT, tum variorum ex diſcipulis eius obſeruationes, quae ad durae matris et pericranii ſenſibilitatem ſpectant. Adnexa eſt Cl. BIANCHI ad hanc epiſtolam reſponſio.

p. 127. Cl. CASALI ad Cl. TH. LAGHI epiſtola et EIUSDEM ad illam reſponſio, rectius, vti alia, omitti potuiſſent, cum iocos tantum tradant.

Anony-

*) vid. Comment. hor. Vol. III. p. 98 ſeq.

Anonymi animaduerſiones ad epiſtolam Cl. BA. VERNA. Varia contra experimenta et euentum eorum, a Cl. VERNA deſcriptum, monet. 10. p. 133.

Cl. DU VERNEY *obſeruatio de medullae ſenſibili tate,* ex actis acad. Pariſinae a. 1700 ſumta. p. 141.

VIII.

A Treatiſe on biliary concretions: or, Stones in the Gall-Bladder and Ducts. By THOMAS COE, M. D. London, printed for D. Wilſon and T. Durham, 1757. 8. Alph. 1. pl. 3. tab. aen. 2.

i. e.

Diſſertatio de concretionibus bilioſis, ſiue calculis in veſicula fellea et ductibus biliariis. Auctore THOMAS COE, M. D.

Animaduerterat Cl. Auctor, eruditorum hactenus neminem ſatis, atque peculiari ſcripto de calculis felleis, qui grauiſſimorum morborum cauſſa haud raro eſſe ſolent, diſputaſſe. Sumſit itaque ſibi id argumentum tractandum ita, vt non ſolum aliorum auctorum, quos viderat omnium, ſententias et obſeruationes, ſparſim prolatas, colligeret, ſed et, quae ipſe hac de re in medicina facienda expertus eſſet, adderet. Atque hac in re ita verſatum eſſe Virum doctiſſimum in libri huius perluſtratione cognouimus, vt opus hoc omnium medicorum attentione omnino dignum iudicandum ſit.

Praefatio continet hiſtoriam et iudicium de ſcriptoribus pene omnibus, qui de calculis biliariis egerunt. Neque poſſumus facere, quin cum Auctore

Cl. vehementer miremur, medicos antiquiores, in perſcrutandis morborum cauſſis alias ſatis accuratos, nihil omnino de calculis iſtis adnotaſſe; ita vt FALLOPIUS, VESALIUS et FERNELIUS primi fuerint, qui illorum mentionem fecerint, a quo tempore medici magis ad hoc phaenomenon attenderunt. Veroſimile autem videtur, veteres ideo de hiſce calculis ſiluiſſe, quia mortuorum hominum corpora rariſſime ſecarunt, licet in brutis quoque non raro obuios eosdem eſſe experientia doceat.

Ipſi tractationi autem praemiſſa eſt introductio, in qua Auctor Cl. de occultis morborum chronicorum cauſſis eleganter disputat, methodumque illas cauſſas cognoſcendi explicat, atque exemplo colicae declarat; qua occaſione quoque de paraphrenitide et hepatitide, qui morbi haud raro cum colica confunduntur, diſſerit, tandemque ad calculos biliarios tranſit, cum haud raro accidat, vt ſymptomata, per eos calculos excitata, pro colicis doloribus habeantur.

p. 49. Caput primum agit de bile in vniuerſum, ſaponacea eius indole et vſu, qui praecipue ex morbis a bilis vitiis oriundis cognoſci poteſt. Inter morboſas vero degenerationes eiusdem Cl. COE ad illam potiſſimum attendit, qua bilis, vti extra corpus facere ſolet, in eo iam ad concretiones formandas apta deprehenditur. Atque huius morboſae concreſcentiae cauſſas praedisponentes et occaſionales Noſter ex HOFFMANNO potiſſimum et SWIETENIO recenſet. Inprimis autem ad calculorum horum geneſin confert peculiaris quaedam corporis diſpoſitio, profecta a cauſſis, quae non explicari poſſunt, cum haud raro in iunioribus, atque eiusmodi hominibus reperiantur, qui corpus ſatis exercent. Omnino tamen notandum eſt, frequentius

tius illos calculos poſt quinquageſimum annum, porro in foeminis crebrius, quam in viris inueniri, ita vt quinque mulieres, citius vno viro, hoc morbo laborent. Nunquam Cl. Auctor illos in pueris aut adoleſcentibus vidit, alii tamen auctores, in his quoque obſeruarunt.

Secundo capite de formatione et natura concre- p. 69.
tionum bilioſarum disputatur. Ex omnibus calculis, quibus corpus humanum obnoxium eſt, tantum praeſentia calculorum, qui in bilis et vrinae viis et receptaculis deprehenduntur, per certa ſigna dignoſci poteſt, vti nulli quoque alii, praeter modo dictos, atque inteſtinales et pancreatici ex corpore eliminantur. Vt plurimum vero per inteſtina exeunt, interim vomitu quoque illos reiici poſſe et aegros inde leuari, poſt HOFFMANNUM et RIVE- p. 73.
RIUM probatur duabus obſeruationibus, a Cl. HUXHAMO cum Auctore communicatis. Adſunt tamen etiam obſeruationes docentes, ex abſceſſu in hypochondrio dextro nato, protractos quoque eosdem fuiſſe. Maxime in veſicula fellea et ductu cyſtico, rarius in ductu hepatico eiusque ramis occurrunt. Qui vero in hepatis ſubſtantia aut ſub membrana eius exteriore reperti ſunt, calculi fellei, ii in poris biliariis nati maioresque redditi, in carnoſam viſceris ſubſtantiam penetrarunt. Modus vero ipſe, quo calculi biliarii generantur, difficulter cognoſcitur, certum tamen eſt, maximam conuenientiam eſſe inter geneſin horum calculorum, atque calculorum vrinariorum nec non tophorum podagricorum, cum in vno eodemque aegro diuerſae illae ſpecies harum concretionum inueniantur. Neque mirum eſt, ſanguine ad eiusmodi concrementa formanda dispoſito, talia circa hepar naſci, cum circulatio ſanguinis in hoc viſcere lente tantum fiat. Componuntur vero calculi ex tenacioribus bilis par-

ticulis, nec non ex terrea materia, quae cum terra calculorum vrinariorum conuenit, atque ex ipſo
p. 83. ſanguine ſecernitur. Cum autem partes iſtae in diuerſis calculis diuerſam ad ſe inuicem rationem habeant, mira illa varietas horum calculorum oritur, qua magis aut minus terreſtres vel inflammabiles, molliores et duriores deprehenduntur, pro vario gradu denſitatis et qualitatis bilis ipſius, cuius color quoque cum colore calculorum, qui in ea ſunt, ſemper conuenit. Plurimi ex iis, ſi in aquam iniiciuntur, fundum vaſis non petunt, quod et in nigris nonnullis obſeruatur. Maxima tamen illorum pars, ſi in minora fruſtula diffringuntur, ſubſidet. Fere omnes calculi cruſta teguntur, quae vt plurimum laeuis eſt, et tactu examinata pinguis quaſi apparet, atque ab ipſa calculorum ſubſtantia multum differt, quae nonnunquam in ſtrata diſpoſita eſt, nonnunquam vero irregularem maſſam oſtendit. Saepius variegatum colorem oſtendunt, venisque nonnullis haud raro ſatis regulariter ductis diſtinguuntur. In mollioribus calculis vt plurimum cruſta, modo deſcripta, adeſt, quae molliora fruſtula continet, ſolidiores vernice tantum obducuntur. Neque adeo rarum eſt, in ſuperficie illorum ſalina
p. 98. corpora cryſtalliſata apparere. In aqua, ſpiritu vini et aqua calcis non ſoluuntur, ſolutionem tamen in nonnullis ſalis tartari lixiuium praeſtat. Siccati, exceptis albis terreſtribus, omnes flammam concipiunt, figura multum variant. Oritur vero haec diuerſitas a variis cauſſis, inprimis vero a preſſione, quam tunicae veſiculae in hos calculos, dum molliores adhuc ſunt, exercere ſolent. Atque eadem varietas ratione magnitudinis et numeri horum calcu-
p. 120. lorum deprehenditur. Nonnunquam cauitates quasdam habent, in quas eminentiae aliorum calcu-
p. 121. lorum recipiuntur. In fine autem huius capitis Cl. Auctor

Auctor de alio calculorum genere, qui a biliariis quidem differunt, ſed etiam colicos dolores producunt, agit, de calculis ſcilicet inteſtinalibus. Ii ex faecum aluinarum partibus, muco connexis, orti, circa nucleum, a nucleo pruni vel ceraſi aut oſſiculo quodam vel calculo biliario etc. formatum, in ſtrata ita disponuntur, vt calculum forment, qui vel inteſtinorum membranis adhaeret, vel inflexu aliquo ad valuulam inteſtinorum craſſorum retinetur. Per continuam vero inteſtinorum contractionem eiusmodi concretiones ita compinguntur, vt cruſta in iis naſcatur, cuius denſitas reſorptione particularum liquidarum magis adhuc augetur. Quae vero ex eiusmodi calculis proueniunt ſymptomata, et methodus curationis neceſſaria, ea omnia, fuſius hic a Noſtro deſcripta, inuenies. Signa eorum diagnoſtica maxime incerta ſunt, interim Cl. Auctor monet, in omnibus colicis doloribus, qui ſaepius recurrunt, medicum ad eiusmodi calculi praeſentiam attentum eſſe debere. Docet praeterea, inter ſigna referri p. 130.
debere dolorem per omne paroxyſmi tempus in vno loco fixum, aut tractum inteſtini coli ſequentem: colicos dolores ſaepius ſine manifeſta quadam cauſſa recrudeſcentes: abſentiam ſignorum inflammationis vel obſtructionis bilis, aut calculi vrinarii vel ſpaſmi neruoſi: dolorem ſubito ſine ſenſibili euacuatione ceſſantem, tumorem denique et duritiem in parte affecta. Reliqua ſigna hic enarrata, deſcenſum calculi per coli flexum finiſteriorem ad inteſtinum rectum indicant.

Caput tertium de ſignis concretionum bilioſa- p. 142.
rum inſcribitur. Eorum ſignorum alia calculum per ductum cyſticum et choledochum ad inteſtinum duodenum tranſire indicant, alia praeſentiam calculorum in veſicula fellea declarant. Inter priora referuntur: dolor acutus ſubitaneus et profundus

ad

ad dextrum latus ſcrobiculi cordis perceptus, qui exacerbatur vel remittit, ſine febris aut inflammationis ſignis, nullaque alia cauſſa euidente: nauſea porro et vomitus, ſyncope et vehementes anxietates: obſtructio aluina cum faecibus albis argillaceis: vrina et color cutis, vti in ictero, atque ſubitanea omnium ſymptomatum remiſſio. Inter omnia vero ſigna iſta, aliaque ab Auctore relata, nullum eſt, quod vt vnum pathognomonicum conſiderari poſſit, ſed nonnulla, ſimul ſumta, colicam a calculis bilioſis prouenire declarant. Color tamen cutis et faecum vti in ictericis, dolor vehementiſſimus et abſentia febris, vt praecipua ſymptomata conſiderari merentur. Tempus durationis paroxyſmi, ſpatiumque
p. 162. inter duos paroxyſmos vehementer differt. Occaſionalis vero cauſſa, quae paroxyſmum tunc producit, quando calculi eius magnitudinis adſunt, vt per ductus tranſire poſſint, quaerenda eſt vt plurimum in vehementi quadam animi aut corporis commotione, vti pluribus Noſter tradit, qui etiam de omnibus iſtis ſignis copioſe agit, quibus colica talis ab hepatis, ventriculi et duodeni vel pleurae inflammatione, nec non a doloribus poſt venenum adſumtum, vel ictero poſt demorſum animalis venenati orto, diſtingui poſſit. Si dolor ſimilis a ſpaſmis prouenit, excrementa aluina non alba ſunt, qui color tantum in eiusmodi aegris obſeruatur, qui calculis bi-
p. 178. liariis laborant. Obſcuriora vero ſunt adhuc ſigna, quae calculos tales in veſicula latere oſtendunt, cum ſaepe nulla ſymptomata producant. Adeſt tamen nonnunquam tumor in hypochondrio dextro, ponderis ſenſus, et dolor punctorius: nonnunquam icterus quoque accedit, atque in nonnullis aegris, qui calculos in veſicula fellea geſtabant, Cl. Auctor peculiarem quendam dolorem in humero et brachio dextro, rheumaticis doloribus ſimilem, obſeruauit.

Quarto

Quarto capite Noſter de effectibus, quos con- p. 193.
cretiones tales, in veſica latentes, in totum corpus exſerunt, disputat. Quodſi enim vel ob nimiam magnitudinem, vel ob alias cauſſas ex corpore eliminari non poſſunt, cacochymia, icterus chronicus, tabes et hydrops in eiusmodi aegris oriuntur. In iis vero, qui, licet eiusmodi calculos habeant, tamen ſatis bona de reliquo ſanitate gaudent, vel ductus non perfecte clauſus eſt, vt aliqua bilis pars ad duodenum tranſire poſſit, vel bilis hepatica, acrior reddita, cyſticae bilis vicem ſupplet. Subitaneam mortem ex calculis talibus oriri poſſe, Cl. Auctor contra Cl. BIANCHI negat, licet bilis vitia ad apoplexiae varias ſpecies quodammodo praedisponere poſſe negandum non ſit. In vniuerſum vero Cl. Auctor eos anatomicos reprehendit, qui vel omnia corporis reliqua vitia, ſi calculi ſimul fellei reperti ſint, ex iſtis deducere volunt, vel ſi nulla icteri ſigna in cadaueribus talibus deprehendunt, cum hiſtoriam morbi ignorent, calculos illos nocuiſſe plane negant. Si aegri eiusmodi hydrope pereunt, vt plurimum alia quoque vitia in variis viſceribus, inprimis in hepate, ex calculoſa diſpoſitione profecta, reperiuntur. Nonnunquam vero in aegris ex iſta cauſſa hydropicis aut aliis morbis laborantibus, poſt mortem tamen nulli calculi inueniuntur, cum ante mortem ex corpore expulſi ſint.

Ad quintum tandem caput accedimus, quod cu- p. 225.
ram horum calculorum in ſe continet. Oſtendit vero Auctor Cl. primum, eos errare, qui calculos felleos nullis remediis expelli, aut icterum inde natum curari poſſe aſſerunt, cum maxima pars aegrotorum, ex ictero in ſanitatem reſtitutorum, vel calculis iſtis, vel pituitoſa obſtructione horum ductuum ex viſcido, in duodeno collecto, laborauerit. Deinde pro- p. 242.
pius ad curationem accedit, cuius indicatio, ſi morbus

bus ſimplex eſt neque cum aliis complicatus, in eo conſiſtit, vt calculi expellantur, ſymptomata mitigentur, dispoſitio corporis ad calculos tales generandos immutetur, vel ſi alia curatio locum non
p. 242. habet, palliatiua tantum cura adhibeatur. In paroxyſmo, ſi inflammationis periculum vrget et aeger plethoricus eſt, nonnunquam venaeſectio locum habet, minime tamen ſemper ea neceſſaria eſt, cum in hoc morbo in vniuerſum, vti ſupra iam adnotauimus, pulſus tardus vt plurimum ſit et mollis, atque aeger magis adhuc per venaeſectionem debilite-
p. 244. tur. Vomitoriorum vero in hoc morbo vſus ſummus eſt, cum vomitu excitato, hepar quoque et veſicula, nec non duodenum vehementer agitentur, et bilis in veſicula ſtagnans calculique fellei, ſi non adeo magni ſunt, vt per ductum tranſire nequeant, expellantur. Atque cum ob hanc cauſſam vomitoria in ictero omni ſummam vtilitatem habeant, omnino mirum videtur, neminem medicorum vomitoria ad calculos expellendos adhibuiſſe, licet SWIETENIUS agnouerit, vomitus, qui in paroxyſmo, a calculis felleis excitato, fieri ſolent, ſalubre eſſe naturae molimen, et optime conducere, vt loco ſuo calculi moueantur. Oſtendit autem Cl. Auctor, vomitoria in morbo non adeo confirmato, nec calculis nimis magnis praeſentibus, plurimum iuuare, ante illorum vero vſum in paroxyſmo pro varia indicatione venaeſectionem in plethoricis, vel, ſi ſpaſmi vrgent, opiata praemittit, aut purgans cum iis coniungit. Etiam extra paroxyſmum ad recidiuas praecauendas bilemque viſcidam, quae coagula formare poſſit, euacuandam vomitoria multum conducunt. Vtitur Cl. Auctor vulgo ipecacuanha, frequentius vero ei grana aliquot tartari emetici addit,
p. 261. aut loco illius doſin vini antimonialis porrigit. Poſt vomitorii vſum purgans requiritur, quod haud raro quo-

quoque vices eius ſupplet, vel actionem eius adiuuat, licet frequentius purganti remedio falſo adſcribatur calculorum expulſio, quae iam ante eius actionem ad inteſtina tranſierant. Extra paroxyſmum quoque purgantia, in doſi refracta data et cum alterantibus miſta et reſoluentibus, multi vſus ſunt, quapropter nonnulli quoque aquam marinam vehementer extollunt. Multum quoque commendat Cl. Auctor clyſmata emollientia, et fomentationes topicas, quibuscum interna quoque medicamenta lubricantia et relaxantia, emulſiones ſcilicet et oleoſa, nec non opium coniungit. Atque hoc vltimo medicamento tum ad vomitus minuendos, tum ad ſpaſmos mitigandos doloresque ſopiendos, in hoc caſu plane carere non poſſumus, cum ad illud, tanquam ad ſacram anchoram, confugiendum ſit. Exhibere vero ſolet opium Auctor Cl. in forma pillularum, a grano vno incipiens, minime tamen negat, ab imprudenti vſu huius medicamenti magna quoquo damna proficiſci. Quod ad medicamenta extra paroxyſmum exhibenda attinet, quorum actio non adeo euidens eſt, omnino maximo ſpecificorum, in hoc caſu commendatorum, numero Cl. COE non confidit, ipſamque curcumam adeo a nonnullis laudatam aliquid praeſtare poſſe, inprimis ſi parua tantum eius doſis porrigitur, dubitat. Ex reliquis vero remediis reſoluentibus inprimis ſaporem laudat, qui in primis non ſolum viis, ſed et in ſanguinem receptus, in hoc morbo egregios vſus praeſtat. Coniungit tamen cum eo Auctor Cl. etiam alia remedia reſoluentia. Debile tamen graminis aut alius cuiusdam herbae reſoluentis decoctum, inprimis ſi illud non ſufficiente in copia adhibetur, multum praeſtare poſſe, Auctor negat. Magis confidit ſero lactis et aquis mineralibus, effectus vero pareirae brauae nondum ſatis confirmatos eſſe, putat.

p. 275.

p. 279.

p. 281.

p. 287.

p. 295.

putat. De millepedum quoque virtute in hoc morbo dubitat, neque ſemper hoc medicamentum diureticam vim habere, obſeruatione confirmat. Interim iubet, vt, ſi experimentum cum millepedibus aliquis ſuscipere cupiat, ille eos, vel lumbricos terreſtres, qui etiam in hoc morbo laudantur, magna
p. 314. in doſi porrigat. Neque mercurialia medicamenta parua in doſi data, Noſter reiicit, et gummata reſoluentia; balſamo vero de copaiba, etiam a non-
p. 321. nullis commendato, minus fauet. Ante omnia vero corporis exercitationem commendat, ſine qua medicamenta omnia nullum vſum habere, poſſunt.
p. 334. Tandem de methodo calculos felleos ex veſicula, peritonaeo adhaerente, poſt inflammationem ſectio-
p. 340. nis ope extrahendi breuiter diſputat, ſuamque in calculis bilioſis expellendis et praecauendis medendi methodum breuiter deſcribit. In tabula aenea prima veſicula fellis, cuius collum calculus occupat et ductus biliarii, delineantur. Secunda ex REVERHORSTIO ſumta, quatuor exempla calculorum biliariorum, in poris biliariis et veſiculis repertorum continet.

IX.

IX.

Genuina ratio, cur pleuritide vera saeuiente, venaesectio adfecti lateris, alias deriuatoria dicta, praeoptanda sit, auctore D. DAVID. WIPACHERO iuniori libro singulari complexa. Lugd. Batau. typis Eliae Luzac iun. 1756. 12. pl. 8.

In duas partes libellus hicce distributus est, quarum prior generatim de phlebotomia adfecti lateris in pleuritide exponit, posterior vero specialiori examine eiusmodi curandi methodi rationem declarat. Quamnam viam Cl. Auctor in conscribendo hoc opusculo elegerit, vt adpareat, summam capitum perlustremus, et, quo ordine sint proposita, dispiciamus. Primum itaque caput praecipuas omnis venaesectionis diuisiones continet, et trifariam hanc a veteribus iam assumtam, reuulsoriam scilicet, euacuatoriam, et deriuatoriam explicat. Vltimam hanc Noster ita describit, vt dicatur, quando sanguis e priuato, in quo aggestus est loco, aut saltem eidem proximo educitur. Perpendit praeterea, quamnam *Hippocrates* et *Galenus* de deriuatoria venaesectione sententiam fouerunt. In secundo capite Arabum aliorumque medicorum errores, qui in pleuritide reuulsoriam venaesectionem deriuatoriae praetulerunt, refutare Auctor conatur. Iis porro, qui vtrique sententiae fauent, et reuulsoriae et deriuatoriae phlebotomiae in inflammata pleura locum relinquunt, ita in tertio capite contradicit, vt praecipue ex grauissima et velocissime fatali exitu terminanda morbi indole, demonstret, venam non in opposito, sed proxime in dolente latere esse secandam. Quartum et vltimum prioris partis caput p. 13.

variis argumentis eorum medicorum placita refutat qui nullum in pleuritide ſpecialem venae pertundendae ſelectum aſſumunt, ſed quae aptiſſima ad ſanguinem proliciendum videtur, eligunt. In poſteriori opuſculi huius parte, propius ad venaeſectionem in inflammatione pleurae Noſter accedit, et primo capite, quae ad anatomen et phyſiologiam
p. 40. huius membranae ſpectant, recenſet. Indicat ſimul, quanta ſit minimorum vaſorum omnis generis ramulorum, inter ſe anaſtomoſibus implicatorum, copia, ipſi ſubſtantiae pleurae mirifice inſerendorum. Ad quas conuolutiones, capite ſecundo, vbi morbi, quibus pleura obnoxia eſt, recenſentur, Cl. Auctor praecipue prouocat, et ex illis facilem ad
p. 51. ſtaſes et obſtructiones pronitatem deducit. Moleſtam reſpirationem, pleuritidi ſuperuenientem, praeter propinquitatem pulmonum facillime eryſipelate adficiendorum, ipſi quoque horum perpetuae expanſioni adſcribit, qua pleura inflammatione et tumore decuplo craſſior reddita, attingitur, atrociſſimus inde dolor excitatur, hinc decumben-
p. 61. tes non niſi anxie auram trahere poſſunt. In tertio capite ſpecialiſſimam indicationem Noſter format, et diuerſis argumentandi rationibus comprobat, eſſe in pleuritide, medianam venam dolentis lateris pertundendam. Harum ſumma eo redit, vt Cl. Auctor ideo huius venae ſelectum commendet, quoniam non ſolum inuentu facilis, ſed cum duabus brachialibus venis ſimul in connexionem abit, quae dein ſurſum aſcendendo in axillarem, haec in ſubclauiam, et deinde ipſam venam cauam ſuperiorem terminantur. Ex qua venarum via, et ſi mediana ſanguine depletur, eo melius ſalubre illud omen doloris ſcilicet ad clauiculas adſcenſum, explicare
p. 84. poſſe Noſter demonſtrat. Sat copioſis capite quarto exemplis aliorum partim practicorum, partim

ſuis

ſuis ipſius, Cl. Auctor deriuatoriae in pleuritide venaeſectionis praeſtantiam oſtendit. Et vltimo tandem capite quarundam cautelarum circa phlebotomiam in pleuritide mentionem facit, quorſum referuntur, contraindicantia, probe attendenda, quibus venaeſectionem omittendam eſſe docetur, e. l. ſint, critici motus, ipſaeque criſes variis colatoriis excretae, grauiditas, et ipſa pleuritis ex alio morbo praegreſſo orta. Num et morbi grauitate vrgente? p. 168.

X.

Memoire ſur une queſtion chirurgicale relative à la jurisprudence. Par M. LOUIS, Prof. et Cenſ. Roy. de Chir. Chirurg. Maj. Adj. de l'Hôpital de la Charitè de Paris, 12. pag. 36 ſ. anno et loco.

i. e.

Commentarius ſuper quaeſtione chirurgica, quae cum iurisprudentia relationem habet. Auctore Cl. LOUIS.

Iuuenis quidam Autunenſis duos alios ſtricto gladio aggreſſus, ab iis enſe ſpoliebatur, atque in hac rixa ſupinus in terram cadebat. Nihil tamen inde incommodi ſentiit, ſed optima ſanitate gaudens, negotia ſua ſolito more egit. Tandem poſt 16 dies ſubito variolis corripiebatur, adeo quidem malignis, vt ipſo eruptionis die e viuis diſcederet. Cadauer poſt 37 dies a morte effoſſum eſt. Inueniebantur in eo hinc inde variae maculae rubrae, atque inprimis in occipitali regione ſanguinis extrauaſati ſatis magna copia. Sanguis hic niger erat et quodammodo fluidus. Calua ipſa illaeſa erat, neque

in cerebro eiusque membranis aliae detegi poterant laesiones, quam quae a putredine prouenerant. Haec sectio et iudicium latum de accusatis originem dederunt magnae controuersiae inter medicos et chirurgos Autunenses variarumque aliarum vrbium, atque inter medicos Parisinos, Montispessulanos et Nemausiacos. Priores, sanguinis hasce effusiones pro effectu ictuum, mortuo ab accusatis in conflictu illatorum, habebant, et hosce ictus vt mortis eius caussam considerabant. Posteriores contendebant sanguinis extrauasationem pendere a putredine, aegrumque ex varioloso morbo periisse. Post varia in vtramque partem prolata argumenta, quae Cl. LOUIS hic solita elegantia recenset, supremum tandem iudicium accusatos a crimine absoluit.

XI.

A new and general Syſtem of Midwifery. In four parts. By BRUDENELL EXTON, M. D. of Kingſton upon Thames. The ſecond edition. London, printed for W. Owen, 1752. 8. pl. 13.

i. e.

Syſtema nouum et vniuerſale artis obſtetriciae, in quatuor partes diuiſum. Auctore BRUDENELL EXTON, M. D.

Cl. Auctor, qui ſe diſcipulum profitetur CHAPMANNI et MANNINGHAMI, clariſſimorum quondam magiſtrorum artis obſtetriciae inter Anglos, ipſamque hanc artem per plures annos Kingſtoni exercet, praecipua artis momenta in breue hocce compendium obſtetricum potiſſimum in vſum

vſum ita redegit, vt paſſim nonnullas adderet obſeruationes, ex quibus tamen paucae praecipua aliqua attentione dignae ſunt. Vniuerſum autem opus in quatuor partes diuiſit, quarum prima agit de grauiditate et grauidarum morbis, ſecunda de iis, quae in partu difficili agenda ſunt, tertia de puerperarum et quarta de infantum morbis. Singulis vero morborum deſcriptionibus ſtatim additae ſunt plures formulae medicamentorum, vt ſatis appareat Auctorem tironibus et mulieribus, non vero eruditis ſcripſiſſe. Corporis exercitationem, quam per omnem reliquam grauiditatem multum commendat, octauo menſe prohibet, cum hoc tempore foetum, cuius caput ante hunc menſem verſus fundum vteri directum eſſe ſolet, ita ſe circumuoluere putet, vt nunc orificium ſpectet, atque ipſa haec foetus circumuolutio et verſio, ſi matris corpus agitatur, facile turbari et praeternaturalis foetus ſitus oriri poſſit. Atque hoc ipſo tempore circumuolutionis nonnunquam per dolores ſpurios, aut cum veris mixtos, ex hac vteri irritatione, inprimis ſi foetus ſolito maiores ſunt, orificium vteri ita dilatatur, vt caput et membranae digito explorantis ſe offerant, et partus proxime futuri ſigna adeſſe videantur. Quodſi tamen tunc dolores per apta remedia ſopiuntur, orificium quoque vteri iterum perfecte clauditur, et reliquum grauiditatis tempus optime ad finem perducitur. In agrippparum partu brachia non ante capitis in vtero retenti extractionem, Cl. Auctor ſoluit, ſed ad DEVENTERI conſilium ea vna cum capite extrahit, atque ſi vnum ex brachiis ſponte prolabitur, ſtatim manum vtero immittit, ne orificium vteri circa collum foetus contractum illum iugulet. Gemellorum adfert exemplum, quorum vno in lucem edito, duo dies praeter lapſi ſunt, antequam alter in lucem obſtetricantis

p. 40.

p. 51.

p. 69.

p. 84.

p. 99. ope protraheretur. Eam vteri obliqui ſpeciem, qua fundus verſus os ſacrum directus eſt, orificium vero ſupra os pubis poſitum eſſe ſolet, aliquoties p. 109. vidit. In vniuerſum inſtrumentorum applicationi non multum fauet, excepto perforatorio, cuius loco cultrum linteo obuolutum adhibet, atque in caſibus, vbi nunc forceps aut vectis ROONHUYSII adhibetur, ſola manu ad caput ſoluendum vtitur. p. 133. Placenta in vtero ex ſpaſmodica eiusdem conſtrictione retenta, expectationem commendat. In caſu capitis abrupti et in vtero relicti AMANDI reticulum adhibere iubet. In haemorrhagia poſt partum lintea Oxycrato madida abdomini puerperae adplicata egregium vſum ſibi praeſtitiſſe aſſerit.

XII.

Die Eisgebirge des Schweitzerlandes: beſchrieben von GOTTLIEB SIGMUND GRUNER, *Fürſprech vor den Zweyhunderten des Freyſtaates Bern, I. Theil, Bern, bey Abraham Wagner, Sohn,* 1760. 8 mai. pl. 15. tab. aen. XV. *II. Theil,* ib. eod. pl. 14. tab. aen. VI. *III. Theil,* ib. eod. pl. 14.

i. e.

Montes glaciales Heluetiae, deſcripti a GOTTLIEB SIGM. GRUNERO. Tom. I. II. III.

Multi quidem ſcriptores iam varias partes montium glacialium Heluetiae, inprimis Pagi Bernenſis, deſcripſerunt, Cl. vero Auctor primus eſt, qui ex eorum ſcriptis et collectaneis, vel ei ab aliis communicatis, vel in ipſius itineribus factis, hauriens, integram deſcriptionem montium glacialium totius

totius Heluetiae hic nobis offert, quae eorum ambitum, nexum ac differentiam accurate explicat, atque simul mineralia, quae ibi inueniuntur, indicat. Diuidit vero hoc opus in tres tomos, quorum priores descriptionem historico-geographicam montium glacialium eorumque rerum maxime notabilium continet, tertius vero nonnullas obseruationes physicas huc spectantes tradit. Praecipuos etiam montes et eorum glaciem congestam *Gletscher* in elegantibus iconibus ad naturam delineatis declarauit, omnemque impendit operam, vt vniuersum hoc opus lectoribus suauissimum, et naturae cultoribus vtilissimum redderet. Nos autem praecipua tantum, et ea inprimis, quae physicam partem spectant, ex hoc eruamus ac breuiter recensеamus.

Tomum Imum in octo sectiones diuisum Cl. Auctor incipit, ab itinere ad montes glaciales pagi Bernensis; progreditur ad eos, qui in valle Haselae superioris conspiciuntur; deinde ad eos, qui in Grindelia valle eminent; postea ii considerantur, qui in vallibus Lauterbrunnensi, Candelensi, Fruttingensi et Simmea apparent; tandem ii describuntur, qui in ditione *Sanen* et *Aelen* inueniuntur; denique adduntur montes glaciales Valesiae, et septentrionales, et meridionales s. Alpes Penninnenses. Titulum huius tomi exornat tabula aenea prima, quae sistit elegantem iconem vallis Lauterbrunnensis. Vt autem nexus omnium montium glacialium Heluetiae magis pateat, Cl. Auctor adiecit mappam geographicam, qua pagos Bernensem, Vnterwaldensem ac totam Valesiam, cum eorum montibus glacialibus et signis mineralium ibi detegendorum delineat. In tab. III. egregie depingitur mons *Lauteraar* eiusque glacies congesta atque paries eius glacie obtectus sub nomine *Aar* s. *Zinke-* T. I.

Gletſcher in tab. IV. oſtenditur; ſequitur poſtea in tab. V. glacies accumulata montis *Scheideck*, quod *Roſenlavigletſcher* dicitur; deinde in tab. VI. eadem ſyluae nigrae ſ. *Schwarzwaldgletſcher*. Tab. VII. ſiſtit montes glaciales Grindeliae, qui oculis iucundiſſimum ſpectaculum praebent. Tab. VIII. oſtendit coaceruatam glaciem inferiorem Grindeliae. In tab. IX. videmus totum apparatum montium glacialium Grindeliae. Tab. X. ſiſtit cataractam riuuli *Pletſchbach* prope Lauterbrunnen. Tab. XI. delineat montes glaciales et glaciem congeſtam montis *Strubel*, vbi vortex latiſſimus glacie obtectus et montibus altiſſimis cinctus conſpicitur; ſequitur in tab. XII. proſpectus glaciei vallis Simmeae, quod *Raezliberggletſcher* dicitur; in tab. XIII. glacies accumulata montis *Gelten* apparet, et tab. XIV. Rhodani originem ex eius glacie, *Rhone* ſ. *Furkengletſcher* dicta explicat, tandemque tab. XV. icone exprimitur glacies coaceruata Foſſigniaca.

Attamen, cum vix accuratam harum rerum deſcriptionem hic tradere poſſimus, potius ex hoc primo tomo hinc illinc ea excerpturi ſumus, quae
p. 17. prae reliquis notatu digna videntur. In valle *Gentelboden* deprehenditur fons mirabilis Engſtlanus, qui ab auguſto vsque ad maium ſicceſcit, et a quarta hora pomeridiana vsque ad octauam matutinam
p. 49. aquam, quae nocte congelaſcit, effundere deſinit. Triplicem originem Arolae fluminis eiusque progreſſum accuratius deſcripſit Cl. Auctor, quam SCHEUCH-
p. 54. ZERUS. Praeter mineralia copioſa, in valle Haſela ſuperiori inprimis cryſtallifodinae variae notandae ſunt, quarum vna ante 40 circiter annos in monte *Vorderzinkenſtock* detecta eſt, quae omnium maxima putatur, cum orgyas 20 profunda ac 3 lata eſſet, et ad mille vsque centenas cryſtallorum contineret, quarum vna octo centenas, plurimae 4-5

cente-

centenas pondere aequarent. Cryſtalli et quarzoſae concretiones tantum generari ſolent in lapide, ex granulis maioribus conſtante, duro, quarzoſo, albidouiridi, *Geißbergerſtein* dicto, e quo plurimi altiorum montium Heluetiae conſtant, in lapidibus vero calcareis generantur concrementa lapidea ſpatoſa. Cl. Auctor ipſe vidit iucundiſſimum ſpectaculum, cum ingens moles niuis a monte *Scheideck* maximo cum fragore delaberetur aeremque obſcuraret, quod phaenomenon *Schneelavinen* dictum in tab. VI. icone ſimul expreſſum eſt. Vt rem ſingularem adnotat, baſin montis *Scheideck* conſtare ex ardeſia tegulari coerulea et nigreſcente, cuius laminae ſaepe decliues, interdum perpendiculares ſunt. Flumen Litſchina nigra, dictum a congerie glaciei Grindeliae ortum, non ab hac congerie, quae ardeſia nigra nititur, vti ALTMANN falſo putauit, particulis vitriolicis et ſulphureis impraegnatur hinoque nigro colore tingitur, ſed potius a riuulo montis *Scheideck*, ſuper ardeſiam nigram diu progrediente, nigredine afficitur. Ad radicem montis *Vieſcherhorn* notandus eſt locus niue ſemper deſtitutus, *heiſſe Blatten* cognominatus, qui marmore nigro conſtat, ac pyrites ſulphureos continet, humiditate incaleſcentes. Aqua Litſchinae albae, a congerie glaciali inferiori Grindeliae proficiſcentis, turbida quidem eſt et alba, attamen non, vti ALTMANN credit, ab alueo ſuo calcareo et marmoreo hunc colorem accipit, ſed vti omnis aqua, ex glacie congeſta orta, alba eſt ac turbida. In valle Grindelia inuenitur pyrites cubicus, antimonium, marmora varia, ſpata, quarza et mica. In valle Lauterbrunnenſi maxime notatu digna eſt cataracta, quae *Staubbach* dicitur, quam riuulus *Pletſchbach* ſuper enormes rupes cadens ita format, vt in vapores ſoluatur aqua, ac ſolis radii in illis ſplendidiſſimam iridem ſiſtant, vti

p. 72.
p. 74.
p. 78.
p. 82.
p. 89.
p. 95.
p. 104.

tab. X. clarius docet. Altitudo huius cataractae 1100 pedes Bernenſes aequat. Ibi reperitur etiam maſſa nigra, quae atramento Chinenſi valore vix
p. 127. cedit. Hos montes glaciales habitat capricornus, qui maior eſt rupicapra, femoribus gracilibus, capite paruo, ceruino ſimili, cornibus ornato valde nodoſis, iisque ſaepe 18 libras pondere aequantibus, vngulis biſulcis, acutis, quibus loca maxime accliuia adſcendit, isque ob velocitatem ſagacita-
p. 152. temque difficillime capi poteſt. In Simea valle inferiori prope *Diemtigen* ſcatet fons ſebaceus, *Unſchlitbrunnen*, cuius aqua, per ſe inſipida, ad latera vaſis, vbi continetur, materiem pinguem, albam, ſaepe rubeſcentem deponit, quae breui tempore odorem carnis putridae aſſumit. In eadem valle deprehenduntur thermae Weiſſenburgenſes, quarum aqua puriſſima odorem vitriolicum et ſaporem lenem ac pinguem habet, tepida prorumpit, atque 1) ſpiritum ſulphuris et vitrioli ſubtiliſſimum, 2) limum fuſcum et flores, quibus ſulphur minerale auratum ineſt, 3) ſedimentum album, pauco ſale commixtum continet, eiusque vis cum vi thermarum Piperinarum conuenit. Circa has thermas abundat petroleum, aſphaltum, pyrites ſulphureus et vitriolicus, atque in vicina ſpelunca multum la-
p. 156. ctis lunae reperitur. A monte *Lavenhorn* in ditione *Saanen* proficiſcitur riuulus incruſtans, qui lapides materia nigra, picea, ſulphurea obducit, et pyritem cubicum ſulphureum in lapide nigro calcareo
p. 181. ſecum ducit. In hac ditione, praeter plura alia, inprimis notari merentur ſalinae ditiſſimae, ad Aquilegiam et *Bevieux* reperiundae, e pluribus fontibus compoſitae, quarum centum librae ſalis exhibent viginti quinque. Multum praeterea ibidem inuenitur ſalis gemmae, nec minus aqua ſulphurea, quae ſulphur copioſe deponit. Hae ſalinae olim omni anno

anno 38000 centenas ſalis, nunc vero vix 9-10000 ſuppeditarunt. In Valleſia ad oppidum Leucam ſi- p. 194.
tae ſunt aquae Leucenſes et frigidae, et calidae; priorum fons vnus in monte *auf der Alp* inuenitur, ſulphureus eſt, et in cutaneis aliisque morbis ſalutaris, alter *fons virginis Mariae* dicitur, vere tantum ſcaturit et autumno ſicceſcit; poſteriorum quinque ſunt fontes, prope Leucam prorumpentes aqua feruente, rubeſcente, pura, inodora, menſe maio albida et turbida, ſpiritu vitrioli terraque martiali impraegnata. Eandem fere indolem habent p. 197.
thermae Brigianae, attamen parum in vſu ſunt. E glacie congeſta montis Furcae ſ. Bicornis, quae in tab. XIV. delineatur, Rhodanus oritur, qui totam transgreditur Valleſiam, donec lacum Geneuenſem attigerit. Hic arenam auream ſecum ducit, et e lacu modo dicto rurſus egrediens, quatuor circiter horas vltra Geneuam, per ſpeluncam petroſam valde anguſtam ac profundam magna cum velocitate fluit. Prope oppidum *Champeiry*, non procul ab p. 221.
vrbe St. Mauritii in Valleſia, cataracta inſignis, *Piſſevache* dicta, ſilentio non praetereunda eſt, vbi ſcilicet aqua ab altitudine 800 pedum perpendiculariter in rupem obliquam deſcendit, tandemque Rhodanum petit. Iter ſuper montem St. Bernhardi ob eius creberrimas moles niuis delabentis periculoſum eſt.

In tomo IIdo, in nouem ſectiones diſtributo, de- T. II.
ſcribit Cl. Auctor montes glaciales praefecturarum Helueticarum in Italia ſitarum, ſ. partem niue obtectam alpium Lepontiarum maiorum, deinde eos, qui in pago Vrienſi inueniuntur, ſ. alpes Lepontias minores, Rhaeticas poſtea, ſ. montes glaciales Griſonum, additis iis, qui in pago Glaronenſi, Abbatiscellenſi, Schwiza, Vnterwaldenſi, et ditione

Ange-

Angelimontana notatu digni ſunt, tandem comparat montes glaciales Helueticos cum ſeptentrionalibus. Vt horum nexus magis intelligatur, adiecit mappam geographicam pagorum Schwizae, Glaronae, Vriae, Abbatiscellae et Griſonum, in qua ſimul indicantur montium tractus et nomina, ac mineralia ibi latentia. Tab. II. oſtendit pagi Vrienſis montem *Gitſchenen*, atque eius glaciem coaceruatam iuxta poſitam. Tab. III. ſiſtit eam molem glaciei, quae *Blümlisalpgletſcher* dicitur, ac ibidem reperitur. Tab. IV. eam indicat, quae in Paradiſo Griſonum ſub nomine *Rheinwaldgletſcher* occurrit. In tab. V. videmus congeſtam glaciem, quam Griſones *Berninagletſcher* appellant, tandemque in tab. VI. delineatur glaciei congeries montis Abbatiscellenſis, *hohe Saentis* cognominati.

p. 11. In valle ſic dicta *Meythal* effoditur lapis lebetum, albogrifeus, fixus, e genere cretae cimoleae, pinguis, nec ab aqua ſoluendus, e quo ollae aliaque
p. 14. vtenſilia apyra fabricantur. Accuratam hic inuenimus deſcriptionem montis St. Gotthardi montiumque vicinorum ad hunc pertinentium, eiusque lacuum et mineralium, nec minus originis variae fluminum, Ticini, Vrſae, Rhodani ac Rheni, eorumque progreſſus et vallium, quae tranſeunt, quae tamen, cum breuiter vix recenſeri poſſint, hic praeterimus.
p. 46. In valle *in der Schoellenen* via per ſubterraneum montis *Kilcherberg* ducit, nec procul ab hoc deprehenditur pons diaboli, quae arcu maximo vnam rupem cum altera coniungit, ſub eaque cata-
p. 60. racta inſignis eſt fluuii Vrſae. In loco *Unterſchaechen* in pago Vrienſi eſt balneum minerale ſatis celebre ac ſalutare, quod olim calidae naturae fuerat.
p. 70. Incolae vallis Rheni in Rhaetia, *Paradiſum* dictae, ſunt rudiſſimi, colore nigro flauo, propter clima valde frigidum, et carne ouium frigore demortuorum viuunt

pulmento, quod praeparant ex farina et ſale cum aqua feruente mixto, idque poſt colaturam loco panis edunt. Prope *Splügen* ſcaturit aqua martialis, p. 78.
ſub nomine *Solterwaſſer* cognita, et prope *Madeſin* alia acidulata; prope *Vogtswald* eſt fons tepidus ac ſalutaris. Duplex origo Rheni hic accurate disquiritur. Porro notatur in valle Letſchia acidulus non p. 80.
diu detectus; prope *Anders* balneum *rubrum* dictum, p. 90.
quod ſiſtit fontem ſulphureum frigidum; nec procul ab hoc fons *niger*, aeſtiuo tempore frigidiſſimus, ſpectatur. Alpes Iuliae Rhaeticae proferunt flumina p. 97.
Oonum et *Mairam*, in earumque radice gignitur fons acidulus St. Mauritii, qui in paludoſo humo ebullit cum ſpuma copioſa, et vitriolo martis imbutus eſt. Ad pagum *Schuls* in Rhaetia duo fontes ſalini inue- p. 117.
niuntur, vnus purus, alter turbidus griſeus, quorum vis purgans eſt; nec procul abinde ſeptem aciduli fontes proſiliunt. Ditio *Brettigeu* dicta qua- p. 124.
tuor balnea egregia continet. Prope oppidum *Balzers* prorumpit fons St. Catharinae tam copioſus, vt flumen exhibeat, et in eius vicinia inuenitur ſic dictum *Flaeſcherbad*. Ad villam Flemium plurimi p. 128.
riuuli frigidiſſimi adſunt, quorum vſu incolae citius calui redduntur. In pago Glaronenſi in alpibus p. 134.
Wichlerberge appellatis inuenitur balneum *Wichlerbad*, quod ſal, vitriolum et ſulphur continet, et inprimis vlcera ſanat. In monte Flimſenſe notari meretur ſpelunca perforata St. Martini, *Martinsloch* dicta. In monte *Wepcha* conſpicitur balneum frigi- p. 136.
dum, e glacie liquefacta exortum, quod *Krauchthalerbad* appellatur, et in morbis oculorum auriumque ac arthritide commendatur. Pons *Bantenbruk*, p. 148.
qui duas immenſas rupes vno arcu connectit, valde p. 150.
notatu dignus eſt, vt et bina loca linctoria montis *Fiſmat*, ſ. rupes, ſale ac nitro imbutae, quae a magnis gregibus rupicaprarum, inprimis tempore plenilunii

nilunii ac nouilunii, frequentantur et lambuntur, quae facile ibi capiuntur. Rupicaprae huius montis ſemper lapidibus bezoardicis, quos aliae gerunt, deſtitutae ſunt, ac vt plurimum gregatim inueniuntur, et ſemper cuſtodem exponunt, nec canibus, ſed inſidiis potius capiuntur, vel ad loca deiiciuntur,
p. 160. vbi non amplius effugere poſſunt. In monte *Suada* reperitur fons maialis, in quo nec ſapo ſolui, nec legumina coqui poſſunt, quod WILLISIUS et PLOOT acido eius vitriolico, HOFFMANNUS tartaro eius tribuit, WALLERIUS vero, cui aſſentitur Cl. Auctor, eius partibus conſtituentibus nimis
p. 162. craſſis adſcribit. Balneum minerale *Lochſeiten* parum adhibetur; crebrius frequentatur ac praeſtantius eſt balneum inferiorum Vrienſium, quod cuprum, martem, alumen, vitriolum et aurum continet. In pago Glaronenſi, qui vndecim horas longus et nouem latus eſt, tanta alpium fertilitas adeſt, vt ibi quindecim millia pecudum plurimaeque oues rupicapraeque nutriantur, ibique etiam praeparetur caſeus optimus *Schabziger* dictus, qui herbis odoratis, loto hortenſi, trifolio odorato, cet. mix-
p. 168. tus eſt. In monte *Gunzenberg* ad *Sargans* creſcit lignum duriſſimum et maxime ponderoſum, quod Cl. Auctor adſcribit exhalationibus mineralibus et ſuccis huius montis, quippe qui multas mineras martis continet. Thermae Piperinae oriuntur ad radicem montis *Galanda* dicti, nec ſaporem, nec odorem, nec ſedimentum habent; caloris ſunt mutabilis, leuitatis inſignis magnaeque efficaciae in
p. 178. morbis, ab acrimonia vel infarctu oriundis. In montibus pagi Abbatiscellae occurrunt variae ſpeluncae, quae cryſtallis, ſtalactytibus, lacte lunae, cet. incruſtantur, quarum praecipuae ſunt in monte *Camor* prope balneum *Kobelweis;* porro alia *Wetterloch* dicta; *wilde Kirchlin* prope Abbatiscellam; *Zigerloch*

in

in monte *Altenalp*; alia in monte *Hohenfletſchen*.
In monte *Kronberg* eſt locus linctorius *Kronblatten* di- p. 181.
ctus, et fons mirabilis St. Iacobi, ob inſigne frigus
ſaluberrimus; praeter ea varii fontes cuprei, ſa-
lini, ſulphurei aluminoſique ibidem deteguntur.
Pagi Schwizae mons *Mytenberg* ſ. *Schweuzerhöken* p. 186.
olim igniuomis fuiſſe videtur, ac in hoc pago etiam
frequentatur fons frigidus *Rigibad* appellatus, in p. 190.
cephalaea, morbis renum et vteri praeſtantiſſimus,
nec minus balneum, quod *Rungengullerbad* nuncu-
patur, atque duo aciduli montis *Satelegg*. In pago p. 199.
Vnterwaldenſi atque valle Angelimontana varii fon-
tes maiales reperiuntur.

Finito tandem itinere montium glacialium totius p. 204.
Heluetiae, Cl. Auctor hos montes cum illis regio-
num ſeptentrionalium comparat, iis nimirum, qui
in Noruegia, Suecia, Islandia, Lapponia, Groenlandia,
Nouazembla, cet. ſunt, eosque quoad naturam, al-
titudinem, gradum congelationis, vel cum Helue-
ticis conuenire, vel eos ſuperare, quoad fertilita-
tem vero Helueticis, multo inferiores eſſe iudicat.
Hi montes glaciales non oriri ſolent propter ſitum
verſus ſeptentrionem, cum Heluetiae montes, niue
obtecti, magis verſus merediem ſpectent, ſimilesque
et in aliis regionibus inueniantur, veras autem
cauſſas eorum originis Cl. Auctor in tertio tomo vl-
terius diſquirit.

Tomus enim tertius continet ſeptem diſquiſi- T. III.
tiones, quarum 1) concernit ſitum, partes con-
ſtituentes, formam, pulchritudinem et altitudinem
montium glacialium in genere, eorumque originem
in ſpecie; 2) valles glaciales, campos glacie obte-
ctos et congeries glaciei conſiderat, eorumque or-
tum examinat; 3) de aetate montium glacialium;
4) de glaciei natura et differentia agit; 5) res acci-
denta-

dentales montium glacialium et glaciei coaceruatae explicat; 6) vſum et 7) pericula horum montium enarrat.

p. 1. *Disquiſitio I.* Totum nexum montium glacialium diuidit Cl. Auctor 1) in montes petroſos, quorum ſuperficies niue perpetua obtecta eſt, *Eisberge*; 2) in valles, glacie perpetua repletas, quas interſtitia eorum ſiſtunt, *Eisthaeler;* 3) in planities et campos parietum horum montium, niue et glacie nunquam liqueſcente tectos, *Eisfælder;* et 4) in glacies congeſtas, quibus interſtitia eorum replentur, *Gletſcher.* Priora pertinent ad partes eſſentiales montium glacialium, quartum ad eorum accidentales. Porro diuiduntur hae glacies congeſtae 1) in montes, e mera glacie compoſitos, *Gletſcherberge;* 2) in ſic dicta *Eisſchründe*, quae in montium glacialium interſtitiis gignuntur; 3) in parietes glaciales
p. 4. *Eiswände;* 4) in ſtrata glaciei *Eislagen.* Situs montium glacialium maxime quidem diuerſus eſt, altiſſimi tamen Heluetiae montes verſus meridiem ſpectant. Vt plurimum conſtant e ſaxo duro, inprimis e petroſilice vitreſcente, altiſſimi autem e lapide quarzoſo *Geisbergerſtein* dicto, quem LINNAEUS *ſaxum micaceo-corneum, granulis puculatum,*
p. 12. appellat, rarius e calcareo vel ardeſiis. Forma horum montium inprimis in illis lateribus maxime accliuis eſt, vbi flumina magna valles transgrediuntur. Mons St. Gotthardi, nec minus ſic dictus
p. 26. *Iungfrauenhorn*, atque *Furca* reliquos altitudine ſuperant, quorum prior, ſecundum MICHELI calculum, 2750 orgyas Gallicas, alter et tertius 2670 aequat, omnesque montes, ad niuem perpetuam retinendam, ad minimum 1500 orgyas altitudinis habeant, neceſſarium eſt, minores punctum congelationis vix attingunt, nec niue ſempiterna teguntur. Cauſſa, cur nix et glacies perdurent?

eorum

eorum ſitui altitudinique et inde pendenti aequali gradui frigoris adſcribenda eſt, cum faſtigia eorum ſupremum frigidioremque aerem attingant, quem ſolis radii vix calefacere poſſunt, vnde vapores adſcendentes congelaſcunt. Eadem profecto eſt ratio montium, niue tectorum, ſub zona torrida.

Disquiſitio II. Valles glaciales oriuntur, ſi aqua p. 46.
ex interſtitiis montium glacialium non libere effluere poteſt, ſed quaſi in ciſterna colligitur, ibique in glaciem mutatur, donec ad tantam altitudinem increuerit, vt aqua ſuperflua liberius defluere queat.
Campi glaciales in latis planis montium altiorum, p. 50.
plerumque inter duos montes, interuallo plus minusue plano coniunctos, inueniuntur ac oriuntur, ſi nix interdiu ex parte liqueſcit et nocte rurſus congelaſcit, vt hinc ſenſim miſcela niuis et glaciei haec plana obtegat. Ex his autem partibus eſſentialibus montium glacialium ſenſim enaſcuntur aliae congeries glaciei accidentales, quas Cl. Auctor *glaſſaria* ſ. p. 53.
Gletſcher appellat, quarum Ima ſpecies *Gletſcherberg* ſiſtit molem glaciei in montis formam redactam atque hoc modo efficitur. Scilicet ab altitudine montium, qui valles glaciales cingunt, aeſtate aqua vndique defluit, qua moles glaciei ſenſim a lateribus rupis tantopere ſoluitur, donec montis figuram acquirit, inprimis cum ſemper monte altiſſimo a calore meridionali defendatur. Species II. *Eiſchrün-* p. 59.
de appellata, oritur, ſi aqua ex vallibus glacialibus in valles inferiores defluit, congelat, easque ſenſim glacie, tanquam tegmine, obtegit. Haec aqua, ſi rupem offendit, citius congelaſcit; ſin humum fertilem tangit, ſerius in glaciem mutatur, nec vnquam in humo fertili glacies coaceruari poterit.
Cum vero haec aqua per interualla tantum defluat, p. 61.
haec ſenſim ſulcos profundos ducit in hac lamina glaciei, hinc generantur tandem ab incremento

perpetuo ſuperiori, et decremento inferiori, ab aqua defluente excitato, moles glaciales turriformes, quae decreſcunt, quo magis glacies congeſta increſcit. Haec tegmina glacialia ſuperius ampliora ſunt, quam inferius, hinc deſcendendo maiores fiunt iſtae moles turriformes, cum aqua inferius
p. 65. profundiores ſulcos ducat, quam ſuperius. Spec. III. Parietes glaciales oriuntur a defluente aqua vallium glacialium, quae ſubito in parietem praecipitem finiuntur, nec moles glaciales formant, et ob ſitum ſoli, a quo defluens aqua proficiſcitur, et ob acceſſum ſolis minus aequalem. Glacies vero horum parietum e tubulis perpendicularibus conſtat, nec
p. 67. facile liqueſcit. Spec. IV. ſtrata glacialia fiſtit, quae vario modo generantur. Etenim, ſi valles glaciales decliues finiuntur, nec aqua defluens ſufficientem quietem habet, vt congelaſcat, tunc tam diu progreditur, donec ad loca planiora accedat ibique in glaciem conuertatur. Vel oriuntur niue diu perſiſtente, quae propter vicinos montes altiores a ſole plane liquefieri non poteſt, ſed interdum a pluuiis induratur et ſenſim congelat; ad quae quidem ſtrata augenda inprimis moles niuoſae ab alto delabentes plurimum conferunt. Sed procul dubio plures etiam ſpecies glaciei accumulatae, a ſitu diuerſo variisque rebus pendentes, inueniuntur. Refutat deinde Cl. Auctor varias eruditorum opiniones, quae originem montium glacialium ſpectant.

p. 90. *Diſquiſitio III.* Ab initio mundi montes adfuerunt, iique vel in aqua, vel eius ope, orti et coaceruati ſunt; quod ex theoria globi terreſtris, ex angulis diuerſis ſerierum montium ſibi oppoſitorum, eorum formis, ſtratis horizontalibus, mixtione, atque corporibus naturalibus ibi incluſis, patet. Heluetia, quamquam altiſſima eſt regio Europae, tamen quondam a mare obtecta fuiſſe videtur, ſiue

fuerit

fuerit in creatione, ſiue in diluuio, ſiue alio tempore. Magna copia corporum marinorum in eius montibus, vel altiſſimis, inueniuntur, ac inprimis res ſingularis eſt, magnam copiam concharum marinarum vnius eiusdemque generis reperiri, vti demonſtrant v. c. ſtrata oſtreis plena prope *Heutligen*, cornua ammonis in fodina ardeſiae nigrae prope *Meyringen*, cochlitae, ſtrombitae, conchae Veneris, corallia, helicitae, cet. in ſtratis ſemper ſolae reperiundae. Ex his vero ſtratis conchaceis, atque ex ſtratis ardeſiae, quibus mons *Scheideck* componitur, non niſi in fundo maris generandis, concludit Cl. Auctor, mare olim diu has regiones tegiſſe, et in ipſo diluuio ad alia loca tranſiiſſe. Tum enim, vti Noſter cum SCHEUCHZERO putat, motus terrae circa axin ad tempus ceſſauit, hinc aquae ex alueis effluxerunt, punctum grauitatis globi terreſtris mutatum eſt, et mare littora transgrediens hanc vniuerſalem inundationem effecit. Hinc autem ſuperficies terrae ſoluta, dirupta et ad alia loca deducta eſt, ac noui montes vallesque, e ſtratis minus ordinatis et corporibus marinis plenis compoſitae, oriebantur.

p. 93.

p. 108.

Diſquiſitio IV. Triplicem aſſumit Cl. Auctor ſpeciem glaciei montium glacialium. In altioribus enim montibus eorumque ſummitatibus non glacies, ſed indurata tantum et maxime compacta nix adeſt, quae primam ſpeciem ſiſtit; altera in vallibus et campis glacialibus reperitur, quorum nix interdiu liqueſcit et noctu congelat, vt lamellae glaciei opacae hinc oriantur; tertia in glaciei aceruis et defluxu vallium glacialium inuenitur, firmiſſima eſt, ſed parum pellucida. Omnes hae ſpecies duriores, leuiores, conſtantiores et perfectiores ſunt glacie vulgari, ſed minus pellucidae. Cl. Auctor ex hac glacie ſpeculos cauſticos fecit. Aqua huius glaciei

p. 118.

p. 124.

multo leuior et ſalubrior eſt vulgari, eaque in loco clauſo demum poſt tres menſes turbida fit, nec niſi poſt tres annos ſedimentum deponit tenue, virideſcens, terreum.

p. 132. *Disquiſitio V.* Montes vero glaciales et glaciei cumuli plurimis rebus accidentalibus obnoxii ſunt, cum ſaepe in montibus aequalis altitudinis nix non aequaliter perduret, id quod inprimis tribuendum eſt ſolo diuerſo, ſiue petroſo, ſiue fertili, ſiue mi-
p. 134. neris referto. Inter accidentalia glaciei congeſtae porro referuntur fiſſurae, quae ibi ſaepe magno cum fragore oriuntur, v. c. ſi nimis haec glacies premitur a tegminibus glacialibus dependentibus, atque tum in loco debiliori, in quo nimirum maxime retinetur, finditur; vel, ſi tegmen glaciale a defluente aqua vel nimia pluuia ſurſum tollitur, aut ſuperius ab hac obtegitur, tunc venti occluſi tandem findunt hanc glaciem, ac ſaepe magno cum tremore; vel, ſi interdiu laminae glacialis fiſſurae aqua replentur, quae nocte congelat, atque tunc, ob eius amplius
p. 140. ſpatium, lamina finditur. Alia accidentalia exhibent venti et flatus, e fiſſuris aceruorum glaciei exeuntes, qui plerumque pluuiam ac tempeſtates prae-
p. 142. nunciant. Incrementum et decrementum huius glaciei etiam ad accidentalia eius pertinet, quippe quae congeries glaciei, quamquam in dies maius ſpatium occupant, tamen inconſtanter quolibet anno vel augentur, vel imminuuntur. Corpora peregrina, quae interdum in fiſſuras glaciei accumulatae illabuntur, vento ex his reiiciuntur.

p. 160. *Disquiſitio VI.* Vſus montium glacialium eſt multiplex. Suppeditant enim toti Heluetiae aerem purum, temperatum, ſanum, copioſis effluuiis aereis ac ventis. Originem praebent quinque fluminum maiorum pluriumque minorum, quod duplici modo efficitur; 1) ex aquis internis in his montibus copioſe

copiose contentis, quarum vapores a niue et glacie colliguntur, inspissantur et in riuulos perpetuos mutantur; 2) vel ex montium, vallium et aceruorum glacialium glacie liquefacta; vel ex eorum speluncis subterraneis, aqua plenis. Hyeme quidem parum aquae hinc proficiscitur, nunquam tamen fontes fluminum plane exarescunt. Praeterea sustentantur etiam flumina ab his montibus perpetua quidem, attamen moderata copia aquarum, ad leges hydrostaticas vlterius distribuendarum, eorumque celeritas progressus retardatur vel varia incuruatione ac profunditate aluei, vel stagnatione aquae in lacubus, vbi simul depuratur. Hinc etiam enascuntur fontes minerales ac thermae copiosae, quae ad eorum radices prorumpunt. Cum enim isti montes contineant multas marcasitas, mineras sulphuris et martis, alumen, ardesias, lithanthraces, quae humectatae incalescunt: facile ab illis defluens aqua calorem constantem accipere potest. Nec minus balnea frigida saluberrima ex his montibus niue atque glacie obtectis gignuntur, adeoque ipsa aqua glaciei congestae in plurimis morbis vtilissima est, v. c. in dysenteria, diarrhoea, cephalalgia, odontalgia, cet. ac negat Cl. Auctor, huic aquae tribuendas esse incolarum strumas, quae potius ab vsu aquae tophaceae pendeant. Cl. LANGHANS ex hac glacie liquefacta spiritum eduxit antiphlogisticum. Fontes periodici ab iisdem montibus prosiliscuntur, iique vel vernali tempore prosiliunt, et sub finem aestatis exsiccantur, atque dicuntur *maiales;* vel quotidie interrumpuntur, ac *temporarii* appellantur; vel incerto tempore fluunt, quibus nomen *Hungerbrunnen* tribuitur. Priores e cauis subterraneis nimis repletis aquam accipiunt, quae hyeme, vbi nix non liquescit, exsiccantur; secundi e similibus receptaculis aquam hauriunt, et vsque ad

p. 169.

p. 173.

p. 178.

p. 180.

depletionem eorum fluunt; tertii vel a nimiis pluuiis ſuſtentantur, vel, iis deficientibus, exſiccantur,
p. 186. et in vtroque caſu annonam grauem indicant. Porro hic inueniuntur copioſa metalla mineraeque, v. c. cupri, plumbi, martis, ſulphuris, vitrioli, aluminis, quarum venae hos montes perreptant. Haec metalla hic facilius generari ſolent, ob duritiem rupium, quae vapores minerales melius recipiunt eosque diutius retinent ſub tegminibus niuis et glaciei.
p. 192. Subterraneae cryptae, cryſtallis incruſtatae, ſaepe ibidem inueniuntur, quippe quae non raro horum parietibus horizontalibus adhaerent, interdum tamen in luto pingui fundi cauernae latent. Hi ventres cryſtallorum cognoſcuntur e lapide petroſo *Geisbergerſtein*, et ex eius venis quarzoſis, quae ligamenta cryſtallorum dicuntur. Ibidem denique aluntur plurima animalia ferocia, v. c. vrſus, capricornus, ceruus, rupicapra, lupus, vulpis, caſtor, marmotta, cet. nec minus animalia volatilia, vt perdrix, tetrao, phaſianus, pauo, aquila, vultur, vpupa, cet.
p. 196. *Disquiſitio VII.* Varia etiam pericula cum his montibus glacialibus coniuncta ſunt. Vernali enim tempore venti, inprimis fauonius, tantopere ſaeuit, vt ſaepe domos deſtruat, atque, cum calidae indolis ſit, niuem liqueſcat et inundationes flumi-
p. 198. num excitet. Pericula eorum porro augent moles niuis, ab alto delabentes, *Schneelavinen* dictae, quarum tres ſpecies ſunt; prima *Windlavinen* conſtat e paruis moleculis niuis recentis, quae a vento ex altitudine montium hyeme deiiciuntur, et in delapſu ab adhaerente niue inſignem magnitudinem attingunt; ſecunda, *Schlag*, *Schloß*, *Grundlavinen* appellata, ſiſtit moles niuis inueteratae, quae hyeme pondere ſuo recta via cadunt et omnia, quae iis obuiam veniunt, deuaſtant; tertia dicitur *Staublavinen*

et

et niuem minus cohaerentem continet, quae delabens in puluerem ac vapores diſſipatur, vti aeſtate crebrius fieri ſolet. Priores omnia quidem obuenientia inuoluunt, facilius autem euitari poſſunt, cum directa via progrediantur, quam tertia ſpecies a vento dirigenda. Priores hyeme excitari ſolent ab omni re, quae aerem mouet, v. c. lapidum delapſu, ſono campanularum mulorum, clamore viatorum, pluuia, ventis, rupicapris, auiculis, cet. tertia vero aeſtate a leui aeris motu accidit, ſcilicet, ſi lamina glaciei, qua niues montium altiorum cohaerent, liquefacta eſt. Si cadit eiusmodi moles niuis, ſpectatores auertant faciem, ne ſuffocentur; ſi conſtat e niue indurata, ſuffocatio vix effugitur; facilius, ſi e recente niue compoſita eſt. Homines ab eiusmodi mole inuoluti, atque hinc effoſſi, frigidae aquae immergantur, vt corpus glacie obducatur, poſtea tepidae, tandem balneo calido, atque ſic plerumque refocillantur. Alia pericula profici- p. 207.
ſcuntur a borea horum montium glacialium, quo homines mox rigeſcunt, indormiſcunt, ac miſere pereunt. Alia pendent a ſulcis ſ. fiſſuris profundis glaciei coaceruatae, quae ſaepe niue obtectae ſunt, in quibus homines illapſi ſine auxilio moriuntur, vario tamen modo ab incolis praecauentur. Ignes p. 210.
ſubterraneae horum montium interdum tremores terrae excitant ac montium partes deiiciunt, nondum vero montes igniuomi in Heluetia detecti ſunt. Tandem reiicit Cl. Auctor querelam conſuetam incolarum, qui credunt, magnam iſtius regionis partem ab his montibus glacialibus plane inutilem reddi, atque comparando incommoda eorum cum commodis, illa ab his quam maxime ſuperari putat, omniaque ad naturae leges prudentiſſimas, et ad declarandam ſummam Dei ſapientiam eſſe ordinata.

XIII.

An eſſay towards a complete new Syſtem of Midwifry, theoretical and practical. In four Parts. By IOHN BURTON, M. D. London, printed for I. Hodges, 1751. 8. Alph. 1. pl. 5. tab. aen. 18.

i. e.

Tentamen noui et completi ſyſtematis theoriae et praxeos artis obſtetriciae. Auctore IOH. BURTON, M. D.

Ex ſatis magna ſcriptorum, per hocce decennium editorum, atque ad artem obſtetriciam pertinentium, copia, quorum cenſuram deſiderare adhuc lectores noſtri facile poſſent, non dubitauimus prae caeteris commemorare opus hoc Cl. BURTONI, qui artem medicam in vniuerſum et in ſpecie illam chirurgiae partem, quae parturientibus auxilium promittit, Eboraci in Anglia exercet. Egregie enim illud teſtatur de Auctoris Cl. diligentia in ſcriptorum optimorum lectione, et de inſigni, quam tenet, artis theoria; licet de nouis inſtrumentis plurimisque artificiis, ab illo propoſitis et commendatis, fatendum nobis ſit, ea nobis vix videri ita comparata, vt aſſenſum poſſint mereri eorum, qui ipſi illa inſtrumenta adhibere tentauerint. Diuiſum vero eſt vniuerſum hocce opus in quatuor partes, quarum prima agit de pelui foeminarum, vtero, grauiditate, partu naturali, iisque, quae in illo agenda: ſecunda de grauidarum morbis, tertia de iis, quae in partu difficili, ſine obſtetricantis ope non abſoluendo, fieri debent, et quarta tandem de abortu et puerperarum morbis.

Ex

Ex pluribus vero vtiliſſimis obſeruationibus, quas liber hicce comprehendit, praecipue nobis attentione digna viſa ſunt ea, quae Auctor Cl. ſtatim ſub initio de pelui foeminarum oſſea diuerſisque eius dimenſionibus protulit, inprimis ſi comparantur cum iis, quae alio loco de diametro aperturarum peluis ſuperiore et inferiore, et dimenſione capitis foetus, eiusque ad aperturas haſce proportione disputat. p. 1. Os coccygis vix vnquam putat cauſſam partus difficilis eſſe poſſe, cum diameter aperturae peluis inferioris, linea ab oſſibus pubis ad os coccygis ducta, maior ſit diſtantia, quae eſt in ſuperiore apertura, inter ſummam oſſium pubis partem et os ſacrum. p. 6. Hinc quoque retropreſſionem oſſis coccygis ope digiti, in vaginam immiſſi, quae ad caput ex inferiore apertura excutiendum vulgo commendatur, vt inutilem et noxiam reiicit, putatque ſemper, ſi caput in inferiore apertura retinetur, cauſſam huius morae poſitam eſſe vel in humero ſupra oſſa pubis adhuc haerente, vel in nimia introitus vaginae anguſtia, ob quam caput perinaeo vehementer apprimitur. Exemplo gemellorum, quorum alter iam in lucem erat editus demonſtrat, neglectam deligationem funiculi vmbilicalis, a placenta in vtero relicta propendentis, non nocuiſſe, neque matrem vllam haemorrhagiam inde paſſam eſſe. p. 59. Narrat autem gemellos hoſce habuiſſe duas placentas, a ſe inuicem plane diſtinctas. Nutritionem foetus in vtero ſolius funiculi vmbilicalis ope fieri contendit, et exemplum adfert foeminae, quae, licet nullae plane ſub partu aquae profluxiſſent, vegetum tamen viuumque foetum peperit. p. 71. In partu naturali parturientis ſitum in dorſo et latere reliquis omnibus praefert. p. 105. Orificium vteri, ſi retro ca put foetus per illud tranſiens nimia violentia premitur, tam valide interdum ſe contrahere ſolet, vt p. 111.

collum foetus conſtringat eumque iugulet. Quam ob rem haec ipſa retropreſſio moderate tantum, vt Auctor ſuadet, inſtituenda eſt.

p. 120. Porro refellit Noſter Cl. OULD, qui ab initio partus alium capiti, alium thoraci foetus ſitum tribuit, vt ex eius opinione facies foetus non verſus os ſacrum conuerſa ſit, ſed ad latus, aurisque vna anterior oſſa pubis, altera poſterior os ſacrum reſpiciat, atque hac ratione minor capitis diameter minori diametro ſuperioris aperturae peluis, maior maiori reſpondeat. Docet enim foetus mentum ſemper thoraci eius appreſſum eſſe, neque vllam adeſſe vim, quae ſub partus initium, hanc mutationem inducere poſſit; porro ſitum ab OULDIO vt naturalem deſcriptum, praeternaturalem eſſe, et partum difficilem inde reddi, cum caput, hac ratione ſitum, orificium vteri non ſatis expandere valeat.

p. 163. In partu ex nimia aperturae peluis anguſtia difficili, ſtatim poſt primum aquarum effluxum verſionem inſtituit Noſter. Docuit enim eum experientia in hac partus difficilioris ſpecie, caput foetus, ſi partus agripparum in modum abſoluitur, facilius ex anguſta pelui protrahi, quam ſi partus naturali ratione capite praeuio abſoluitur. In verſione nunquam foetum vnius tantum pedis ope extrahere tentat, vti alii iubent, ſed ſemper alterum quoque pedem quaerit, atque ad caput in agripparum partu excutiendum conuerſionem faciei ad latus, et digitorum, manu ita immiſſa, vt dorſum eius ventrem foetus reſpiciat, adplicationem ad aures, vt optima

p. 199. adminicula commendat. Contendit illam ſpeciem peruerſi ſitus foetus, in qua abdominis pars anterior ſe digito explorantis offert, pedes vero extenſi in rectum ſunt, fictitiam tantum eſſe, pedesque, abdomine ad orificium conuerſo, ſemper eius lateribus appreſſos et flexos eſſe. Ceteras vero regulas

in

in verſione foetus obſeruandas omnes, cum in compendium vix redigi queant, praeterimus.

De inſtrumentorum autem vſu in partu difficili, manus auxilio non abſoluendo, tenendum eſt, Auctorem Cl. vncos plane reiicere, cum volumen capitis per inſtrumentum et manum augeatur, vncus vero verticem capitis ex axi peluis dimoueat et mater facile laedi poſſit. p. 211. Neque magis fauet vncis duobus, forcipis in modum iunctis, quos delineat, cum ex eorum vſu facile perinaeum dilaceretur. Reiicit quoque vſum, qui ante aliquot annos in Anglia inprimis inualuerat, inſtrumenta ferrea obducendi ope corii, ſpirae in modum circa illa ducti, cum rugae facile oriantur, corioque madefacto iterum ſiccato, illud rigidum et aſperum fiat, et liquores intra corium penetrantes chalybem rubigine afficiant. p. 215. Forcipis vſum ſaepe dubium, nonnunquam noxium eſſe aſſerit, eandemque ſententiam de perforatoriis plurimis fert, tandemque nonnulla inſtrumenta noua proponit, quae tamen ex noſtra quidem mente vſui, ad quem a Noſtro commendantur, minus apta iudicanda ſunt. p. 218. Primum ex his eſt perforatorium vaginae incluſum, quod extractorem dicit, cui alae duae vnciformes adfixae ſunt, quae vna cum perforatorio in cranium immiſſae, lancea retracta proſiliunt, et oſſibus caluariae adhaerentes extractioni capitis inſeruiunt. Alterum eſt p. 277. alia extractoris ſpecies, ex quatuor vncis compoſita, qui etiam a ſe inuicem ſeparantur, vt aquilae pedem fere referant, quod inſtrumentum ex PAREI inſtrumento, pes gryphi dicto, natum eſſe videtur. Huius quoque inſtrumenti ope, placenta poſt partum retenta, orificium vteri clauſum, cum vnguibus clauſis glandem fere referat, aperit et placentam protrahit. Tertium eſt grallae ſiue fulcri ſubalaris p. 255. ſpecies, qua, ſi brachium foetus ſe offert, ſub ala eius adpli-

adplicata, foetum reprimi ſitumque eius ita corrigi poſſe ſibi perſuadet, vt verſio commode inſtitui poſ-
p. 383. ſit. Quartum tandem eſt ſpecies forcipis recti, ad caput inclauatum excutiendum, quam omnibus aliis praefert. Dolores nimis vehementes poſt partum difficilem oriundos praecaueri vel tolli poſſe contendit, manu obſtetricantis in vterum immiſſa et rotatorio quodam motu ita circumducta, vt grumi ſanguinei, intra ſinus vteri retenti, qui dolorum cauſſa ſunt, a manu et vtero ipſo, lente ſe contrahente, in cauitatem vteri exprimantur et ex hac ipſa cauitate manus demum ope protrahantur. Quod ad tabulas aeneas, huic libro iunctas, attinet, earum multae ab aliis ſumtae ſunt. Reliquae continent varias figuras, quae pertinent vel ad inſtrumenta ab Auctore propoſita, vel ad vteri deſcriptionem anatomicam, vel ad diuerſas ſpecies peruerſi ſitus foetuum in vtero. Minime tamen illas Smellianis aequiparandas eſſe, nemo negabit.

XIV.

A Letter to WILLIAM SMELLIE, M. D. containing critical and practical Remarks upon his Treatiſe on the Theory and Practice of Midwifry. By IOHN BURTON, M. D. London, printed for W. Owen, 1753. 8. pl. 17. tab. aen. 1.

i. e.

IOH. BURTON, M. D. Epiſtola ad GUIL. SMELLIE, M. D. continens varias obſeruationes criticas et practicas in eiusdem tractatum de theoria ac praxi artis obſtetriciae.

Encomia, quibus Cl. SMELLIE liber de theoria et praxi artis obſtetriciae, de quo alio loco ad lectores retulimus *), in diario *Monthly Review* dicto ornatus fuit, et vituperationes, quas Cl. BURTONI tractatus, quem quoque indicauimus, ibidem expertus eſt, ita commouerunt animum viri doctiſſimi, vt peculiari hacce epiſtola SMELLII merita deprimere, praeſtantiamque libri ſui demonſtratam facere Cl. Auctor decerneret. Nos quidem, quamquam etiam hoc exemplo didicimus, quantum plerumque in eiusmodi ſcriptis polemicis, ab aemulationis atque inuidiae potius, quam veritatis ſtudio profectis, iniuriae aliorum famae ac meritis fieri ſoleat, quippe etiam hic Cl. BURTON, SMELLIUM iniuſte ſaepe reprehendere videtur, leuesque errores nimis amplificare; tamen nec hoc negamus, BURTONI in SMELLII librum animadverſiones ſaepe quoque bono fundamento niti, multa-

*) vid. Comment. noſtr. Supplem. P. II. p. 195 ſq.

adplicata, foetum reprimi ſitumque eius ita corrigi poſſe ſibi perſuadet, vt verſio commode inſtitui poſ-
p. 383. ſit. Quartum tandem eſt ſpecies forcipis recti, ad caput inclauatum excutiendum, quam omnibus aliis praefert. Dolores nimis vehementes poſt partum difficilem oriundos praecaueri vel tolli poſſe contendit, manu obſtetricantis in vterum immiſſa et rotatorio quodam motu ita circumducta, vt grumi ſanguinei, intra ſinus vteri retenti, qui dolorum cauſſa ſunt, a manu et vtero ipſo, lente ſe contrahente, in cauitatem vteri exprimantur et ex hac ipſa cauitate manus demum ope protrahantur. Quod ad tabulas aeneas, huic libro iunctas, attinet, earum multae ab aliis ſumtae ſunt. Reliquae continent varias figuras, quae pertinent vel ad inſtrumenta ab Auctore propoſita, vel ad vteri deſcriptionem anatomicam, vel ad diuerſas ſpecies peruerſi ſitus foetuum in vtero. Minime tamen illas Smellianis aequiparandas eſſe, nemo negabit.

XIV.

A Letter to WILLIAM SMELLIE, M. D. containing critical and practical Remarks upon his Treatiſe on the Theory and Practice of Midwifry. By IOHN BURTON, M. D. London, printed for W. Owen, 1753. 8. pl. 17. tab. aen. 1.

i. e.

IOH. BURTON, M. D. Epiſtola ad GUIL. SMELLIE, M. D. continens varias obſeruationes criticas et practicas in eiusdem tractatum de theoria ac praxi artis obſtetriciae.

Encomia, quibus Cl. SMELLIE liber de theoria et praxi artis obſtetriciae, de quo alio loco ad lectores retulimus *), in diario *Monthly Review* dicto ornatus fuit, et vituperationes, quas Cl. BURTONI tractatus, quem quoque indicauimus, ibidem expertus eſt, ita commouerunt animum viri doctiſſimi, vt peculiari hacce epiſtola SMELLII merita deprimere, praeſtantiamque libri ſui demonſtratam facere Cl. Auctor decerneret. Nos quidem, quamquam etiam hoc exemplo didicimus, quantum plerumque in eiusmodi ſcriptis polemicis, ab aemulationis atque inuidiae potius, quam veritatis ſtudio profectis, iniuriae aliorum famae ac meritis fieri ſoleat, quippe etiam hic Cl. BURTON, SMELLIUM iniuſte ſaepe reprehendere videtur, leuesque errores nimis amplificare; tamen nec hoc negamus, BURTONI in SMELLII librum animadverſiones ſaepe quoque bono fundamento niti, multa-

*) vid. Comment. noſtr. Supplem. P. II. p. 195 ſq.

multaque huic epiſtolae ineſſe, quae obſtetricantibus omnibus ſcitu maxime ſint vtilia futura. Cum vero ſpatium hiſce relationibus praeſcriptum vix patiatur, vt omnes animaduerſiones atque ſingula capita ordine recenſeamus, in quibus Cl. BURTON a Cl. SMELLIE diſſentit; praecipua ſaltem adduxiſſe ſufficerit, addito paſſim noſtro de iisdem iudicio, paucis tantum verbis expreſſo.

p. 1. 56. Prima et grauiſſima reprehenſio, quam Auctor contra Cl. SMELLIE profert, verſatur circa hiſtoriam artis obſtetriciae et catalogum auctorum, qui de ea ſcripſerunt, qua in re SMELLIUM ſaepe erraſſe, multaque omiſiſſe vel non accurate expreſſiſſe, recte Noſter aſſerit. Inprimis autem id agit, vt oſtendat, SMELLIUM auctores ipſos, quos adducit, non legiſſe, ſed plurima ſumſiſſe ex SPACHIO, FREINDIO, et LE CLERC. Dum vero Cl. BURTON ad hunc defectum ſupplendum nouum catalogum ſcriptorum, a SMELLIE omiſſorum, adducit, ex hoc nouo catalogo non ſine veritatis ſpecie coniecerit aliquis, ipſum quoque Cl. BURTON eundem ex aliis, et niſi vehementer fallimur, ex Cel. p. 23. HALLERI methodo ſtudii medici exſcripſiſſe. Gra- 111. uia omnino argumenta Auctor Cl. adfert contra methodum a SMELLIE commendatam, qua ille in foetu debiliore vel mortuo ſimili non reſpirante in lucem edito, funiculum vmbilicalem non ligat, et placentam in vtero adhuc per aliquod tempus relinquit, aut ſi ea ſubito vna cum foetu egreſſa eſt, eam vino tepido fouet, vt vis circulationis in foetu au- p. 32. geatur. Neque minori cum iure obliquitatem vteri, quam SMELLIE quodam loco negauit, licet alibi eandem pro vera agnouerit, fortiter defendit. p. 48. Idem quoque valet de reprehenſione methodi, qua 183. Cl. SMELLIE in haemorrhagiis grauidarum, quae vltimis geſtationis menſibus accidunt, vterum tantum

tum aperit et aquarum veſicam rumpit, ipſam autem verſionem non inſtituit, ſed reliquum partum naturali modo naturae abſoluendum relinquit. Minoris momenti eſt defenſio Cl. LA MOTHE, contra SMELLIE, qui eundem in ſuo libro hoc nomine accuſauerat, quaſi eos tantum caſus commemoraſſet, qui fauſtum exitum habuerunt, ſtudio vero reliquos ſilentio oppreſiſſe. p. 51.

Anatomicas deſcriptiones a Cl. SMELLIE datas omnes acriter reprehendit, qua in re omnino ei concedendum eſt, illas, ſi ad ſubtilioris anatomes regulas exigantur, erroribus non deſtitutas eſſe. Attamen vix putamus, deeſſe in iis aliquid, quod obſtetricanti ad excolendam artem ſuam neceſſarium ſit. p. 74.

Coccygis officulum parum mobile eſſe, vlterius adhuc Noſter confirmat et artificium, quo illud a multis retropremitur, inutile arbitratur. Atque eodem modo ſentit etiam de deſcriptione ſitus foetus in vtero a Cl. SMELLIE data, diuerſaque huius ſitus pro diuerſis grauiditatis temporibus mutatione. p. 80.

Negat caput infantis iam ſexto menſe ad octauum vsque ab obſtetricante, explorationem inſtituente, tangi poſſe, putatque caput ſemper per omnem grauiditatem fundum ſpectare, ſub initium vero partus ad orificium deſcendere, atque hoc tempore, quo ſupra os ſacrum deſcendit, illud ab rotundo tubere huius oſſis delabi et ad latus conuerti. Minime concedit Noſter, chorion cum interna vteri ſuperficie cohaerere, a qua illud muco quodam interiecto ſeparatum eſſe aſſerit; aut placentam ex parte ſeparatam cum vtero iterum quodammodo conglutinari poſſe. p. 103. p. 107.

Acriter quoque vt inutile et noxium reprehendit artificium a SMELLIE commendatum, in ea partus ſpecie, quae retardatur a funiculo vmbilicali, circa collum foetus circumuoluto, qui efficit, vt poſt quemuis dolorem caput ex orificio

orificio iam expreſſum iterum adſcendat, vbi Cl. SMELLIE duobus digitis recto inteſtino immiſſis ſemper caput, durante dolorum acceſſu, retinet, ne
p. 109. iterum adſcendere poſſit. Negat quoque orificium vteri, capite iam in lucem edito, circa collum foetus ſe contrahere et partui abſoluendo impedimento eſſe poſſe, qua in re Cl. BURTON illis, quae in tentamine, de quo paulo ante retulimus, aſſeruit *),
p. 111. repugnat. Errat quoque Noſter, dum contra Cl. SMELLIE negat, dolores ad partum in plethoricis accelerari poſſe venaeſectionis ope, quod tamen frequenter fieri et ratio ſuadet et experientia docet. Magis nobis placent, quae contra artificia profert, quibus Cl. SMELLIE placentam aut caput abruptum extrahere tentauit, in quibus potiſſimum fortiorem compreſſionem abdominis puerperae, quam SMELLIE ab adſtante vult exerceri, vt noxiam damnat. Tuſſim vero, quam multi obſtetricantes puerperis ad placentae expulſionem exercendam ſuadent, tantopere noxiam iudicare vix poſſumus, licet concedamus, parum tantum ex hac re commodi exſpectari poſſe.

p. 118. Accedit tandem ad verſionem, de cuius vſu et periculis multa notatu haud indigna adfert, eiusque vſum forcipis vſui multum praefert. Putat enim forcipis applicatione cerebrum foetus ita comprimi, vt ei pereundum ſit, compreſſionemque talem longe vehementiorem eſſe ea, quam caput foetus educti verſione per anguſtam peluis aperturam patitur. Plures tamen ſub verſione, quam ſub forcipis adplicatione infantes perire, res eſt noſtris obſtetricibus experientia comprobata. Iubet quoque Cl. Auctor, vti iam alio loco fecit, vt in omni peluis anguſtia ſtatim verſio inſtituatur, atque narrat, ſe ipſum hac ratione

*) vid. Eſſay p. 111.

ratione infantes viuos in lucem protraxiſſe, quorum capita circumferentiam 19 pollicum habebant.

Vrget dolores, quos patitur puerpera, dum perforatione volumen capitis foetus minuitur, vt praeſtantiam huius artificii magis dubiam reddat, cum tamen notum ſit, verſione dolores vix minores a puerperis generari. Nouam porro faſciam, ſtilo elaſtico munitam, ad caput excutiendum proponit, quae a Smelliana parum differt *), atque vbi de forcipis adplicatione disputat, ſaepe res leuiſſimi momenti tanquam grauiſſimos errores reprehendit, v. c. dum SMELLIE vas, aqua calida repletum, in cubile portare iubet, cui inſtrumenta immittit, cuius aquae vapores puerperae lethales futuros eſſe Noſter putat. Forcipem Cl. SMELLIE Noſter puerperae primo ex eo nocere putat, quod, cum dimenſiones eius non ad diuerſam dimenſionem partium in diuerſis foeminis adaptari poſſint, ille puerperam, cuius partes anguſtae ſunt, facile laedere queat, et deinde, quod corio obductus ſit, cuius rei noxam alio loco declarauit. Hinc Cl. BURTON, quam ipſe propoſuit forcipis ſpeciem, Smelliano longe praeferendam iudicat, vti et ſuam methodum adplicandi eam, quam cum Smelliana comparat. Caput infantis, ſupra aperturam ſuperiorem poſitum, forcipis ope, vt vult Cl. SMELLIE, retrudi paullulum et ita dirigi poſſe, vt minor capitis diameter minori aperturae diametro reſpondeat, dubium Noſtro quam maxime videtur.

p. 133.

p. 136.

p. 144.

Forficis Smellianae vſum quoque damnat, quia illa ſine operculo intra vterum dimittenda foret, eumque adeo facile laedere, vel in perforatione ipſa a cranio degliſcere, aut, brachiis expanſis, vterum vulne-

p. 160.

*) vid. Supplem. P. II. p. 209.

vulnerare poſſit; porro etiam, quia aperturam non ſatis magnam efficiat, vt digitus vel vncus vix per illam inferri poſſint. Praefert etiam, vti vbique, ita etiam hic artificia et inſtrumenta ſua, extractorem
p. 178. ſcilicet, eiusque adplicationem longe faciliorem et breuiorem eſſe Smelliani perforatorii vſu, comparatione harum methodorum facta, probare annititur. Capite in agripparum partu retento, digitos non ori immittit, ſed alio artificio vtitur, quod in *tentamine* ſuo iam explicauit. Caput et humeros, dum in verſione pedes quaeruntur, non violentia quadam reprimendos eſſe docet, cum vterus hoc modo laedi poſſit, quod et de omnium remediorum externorum adplicatione in haemorrhagia, partum inſequen-
p. 227. te, valet. In meconii expulſione leniora purgantia reiicit, et potu tantum diluente et clyſmatibus eius excretionem promouere tentat. Adnexa eſt defenſio prioris libri Auctoris Cl. aduerſus iudicium, quod Auctores diarii *Monthly Review* dicti, de eo tulerunt. Addita quoque eſt tabula aenea, in qua faſcia illa, ſtilo elaſtico inſtructa, quam Auctor ſuperius propoſuit, et varia inſtrumenta ALBUCASIS et PARAEI delineantur. Inter illa eſt *forceps longa et terſa* RUEFFII, quam Auctor in explicatione figurae falſo PARAEO adſcribit.

XV.

Dagbok öfver en Oſtindisk Reſa, Åren 1750. 1751. 1752. Med Anmärkningar uti Naturkunnigheten, främmande Folkslags Språk, Seder, Hushållning, m. m. På fleras Åſtundan utgifven af PEHR OSBECK, Kongl. Sv. Vettenskaps Societetens Ledamot. Jämte 12 Tabeller och afledne Skepps-Predikanten TORE'NS Bref. Stockholm, tryckt hos Lor. Ludv. Grefing, på deſſ egen bekoſtnad, 1757, 8 mai. Alph. 1. pl. 2.

i. e.

Diarium ſuper itinere in Indiam orientalem annis 1750, 1751, 1752 inſtituto, complectens obſeruationes, quae ad hiſtoriam naturalem, peregrinarum gentium linguas, mores, vitae genus etc. ſpectant, editum complurium exhortatione a PETRO OSBECK, additis 12 tabulis et litteris b. TORE'N, ſacerdotis naualis.

Praefuit Reu. Auctor, per tempus modo indicatum, rebus ſacris in nauigio Suecico, Indiam orientalem, Cantonum nominatim Chinenſis regni, petente, obeundis. Quae in hoc itinere obſeruauit notatu digniora cuiuscunque argumenti, litteris diligenter mandauit, quo et ipſe animum in nauigatione protracta moraque taedii plena recrearet, et ad patrios lares redux haberet, quod ad incrementum ſcientiarum offerret. Quod vero ſolet in remotiores regiones per mare peregrinantibus accidere, vt praeter locum ſibi praefixum ad alios neceſſi-

tate ducti in itinere appellant, alios insuper bene multos, licet e longinquo, salutent: hoc Nostro quoque contigit. Vnde factum, vt, quum nauis Sueciae Gothoburgi valedicens, cursum per mare Hispanicum ad portum Gaditanum flecteret, inque ea vrbe mora capta; insulas Canarienses, tum Bonae Spei Caput praeterueheretur, postquam denique per aliquot dies ad insulam Iauam substitisset, absque vlla vlteriori mora iter in Chinam conficeret; sub reditum vero Iauam iterum, dein Ascensionis insulam tangeret: nata Nostro gratissima opportunitas est, sciendi, quo stimulatur, desiderium demulcendi. Hoc vero licet non vna tantum in re defixum teneret: naturali tamen scientiae plurimum dedit, tam propria in eam propensione, quam Cl. Equitis A LINNE', cuius institutionibus in academia fruitus erat, incitamentis inuitatus. Nec in hoc campo trita modo et iam pluries indagata collegit, sed multa antea cognita curatius definiuit, alia plane noua detexit, iamiam in honorem inuentoris ab Ill. A LINNE' libro specierum plantarum titulo insigni-to et systemate naturae excepta. Prolixiores autem eorum omnium descriptiones hoc ipso opere comprehenduntur, quarum pleraeque latino idiomate concinnatae sunt. Huius generis obseruationibus nobis vnice hic loci inhaerere licet, quas, vt reliquas omnes, sparsim mixtimque secundum dierum seriem exarauit; quod scribendi genus id ad minimum commodi habet, quod grata varietate animum delectet.

Initium narrationis fiet ab iis, quae Auctori in Hispania, inprimis Gadibus et vrbe *Puerto de Santa*
p. 12. *Maria*, memoratu digniora obuenerunt. Ibidem stipa tenacissima loco cannabis pro conficiendis funibus nauium adhibetur, qui ipsi tantae firmitatis sunt, vt picis liquidae litura non indigeant. Haec

Noster

Noſter referens ſimul Elymum auenarium pro eodem ſcopo, periculi cauſſa, commendat. Ex eadem ſtipa etiam pauimentorum tegmina texuntur.
Loxiae cardinalis pabulum capſici fruteſcentis ſemina dicuntur eſſe. p. 16.
Matrimonia adeo mature apud Hiſpanos ineuntur, vt puero 14, et puellae 12 annorum coniugii ius concedatur. p. 20.
Origano cretico Hiſpani non ſolum cibos ſuos condiunt, ſed eius magnam partem, ad Chinenſes, quibus in deliciis eſt, transuehunt. p. 30.
Lignum, quod combuſtioni in aedibus inſeruit, non menſura, ſed pondere venditur, eiusque genera ſunt lignum oleae, pini Hiſpanicae, et vt Noſtro relatum, quoque ſuberis. p. 33.
Fumus tabaci infantibus aeque, ac adultis gratiſſimus, ad quem autem hauriendum, omiſſa fiſtula, conuoluta folia, vel eadem conciſa et chartae immiſſa, vſurpant. p. 36.
Magnis laudibus Noſter ſpartium monoſpermum prope mare creſcens, praedicat, cum ad arenam tenuem, vento nimium obſecundantem, compeſcendam, tum ad paſtum commodum capris conciliandum, quibus accedit vſus ramorum loco vinculorum pro vinciendis variis rebus, et totius plantae, ad vmbram capris ſuibusque, ſolis calore grauante, impertiendam. p. 39.
Folia crithmi maritimi ſub eſu carnis aſſae, acetarii loco, ſunt. p. 40.
Citrus medica, aurantium et ſinenſis plerumque iuxta ſe inuicem in hortis collocatae reperiuntur. Quarum arborum cultura ad tantum faſtigium fertur ibidem eſſe euecta, vt hortulani hoſpitibus ſuis fructum offerre queant, quarum vna pars ex malo citreo, altera ex aurantio, tertia ex ſinenſi conſtet. p. 41.
Phoenix dactylifera hinc inde in media parte hortorum, et ad monaſteria ſata Noſtro occurrit.
In vinetis autem amygdalus communis, et in campis ampliſſimis olea. p. 4
Creber vſus agaues americanae fit non ad ſepes modo, ſed inprimis ad varia texturae genera. Dolores quoque impo-

impoſitis foliis aſſatis, et luem veneream ſucco radicis apud Americanos curari, Auctori narratum
p. 45. eſt. Ita et cactus opuntia in aggeribus aptum mu-
p. 47. nimentum praebet. Arundinem donacem crebro ad ſcipiones et virgulas piſcibus capiendis idoneas adhibent. Ex foliis chamaeropis humilis ſcopae nectuntur eademque ad vincienda varia commoda ſunt, radix vero eius recens in cibum vertitur. Obuiam Noſtro venit alicubi ſylua pinea horti inſtar ſepibus ex agaue circumdata, quod raritatem pini indicat. Vnde et ciſtae ex hac arbore, in quibus mala citrea transmittuntur, pretio ſaepe ipſa
p. 50. mala ſuperant. Nomine Saltamatas veniunt gryllae quaedam inſignis magnitudinis in arboribus degentes, quae ipſa inſecta facile non attentos ſatis auis ſpecie fallunt. Eſt et alia gryllarum ſpecies,
p. 52. quam Hiſpani in peculiaribus caueis alunt. In inſula *Puerto de Santa Maria* detexit Noſter plantam a nemine ante viſam, verbaſcum OSBECKII.

p. 62. Mora per 10 hebdomadas in Hiſpania facta, iter continuatum eſt. Improuiſo vero accidit, vt ad lat. 33 gr. 15 min. vpupa, Suecica auis, naui menſe martio aduolaret, comitemque per plagam inſi-
p. 65. gnem ſeſe adiungeret. Haud procul ab inſulis Canarienſibus piſcis iſte volans, exocoetus, ſeſe conſpiciendum dedit. Gratior vero non potuit non eſſe Noſtro aduentus hirundinis madidae, quum de commoratione hirundinum per hiemem
p. 66. lucem accendat. Sepia loligo non minus ac exocoetus volandi vi inſtructa eſt. Chinenſibus ferunt
p. 70. iſtam in cibum tranſire. Ampla ſquali conducti (*Hay*), qui ex primariis piſcibus rapacibus eſt, legitur hiſtoria. Vix eius, niſi pars caudae proxima, comeditur; cutis vero ſub nomine *Chagrin* tanto notior eſt; et quae in ſinubus duobus ſuper oculis colligitur materia alba et ſpiſſa, ad menſes pellendos vſur-

vſurpatur. Socium ſibi continuum habet ſcombri ſpeciem, qui praedam illi monſtrare creditur, vtpote quum ipſe ſqualus ſegnioris naturae ſit.

Viciniam Capitis Bonae Spei nunciauit procellaria capenſis, quae ad lat. 33 gr. 16 min. magna copia aduolauit. Sub lat. gr. 34, quo peruenit nauis d. 6 maii, ob frigus aëris inſigne veſtimenta hiemalia induere oportuit. Procellariae aequinoctialis aduentus a nautis futurae tempeſtatis indicium habetur. p. 75. p. 77.

Plantarum auiumque Iauanenſium accurata legitur deſcriptio, licet dolendum, Auctori noſtro modo per breue tempus in inſula commorari, nec niſi extremam eius oram viſere licitum fuiſſe. Inter ſtirpes coccum nuciferam eiusque nucem, tam quoad ſtructuram, quam vſum varium fuſe perſequitur. Accedit ſuccus huius arboris ad praeparationem liquoris arrack. Nec medica arboris virtus minus inſignis eſt. De veſpertilionibus id ſingulare narrat Auctor, quod ſemper veſperi ex inſula Sumatra in Iauam ſeſe conferant, redituri proximo mane. Auem, diomedea piſcatoria dictam, radici, quaſi nauigio inſidentem, vento fuiſſe propulſam obſeruauit. Vorax iſtud praecipue pinguedinis inſectum, blatta orientalis, ex India Gothoburgum olim translatum fuit; cuius gratiſſima praeda cimex lectularius cenſetur, adeo vt, niſi ipſa eſſet metuenda, pro cimice domando inſeruire poſſet. p. 91. p. 105. p. 107. p. 109.

Quae nunc ſequuntur ad Chinam pertinent, quo Auctor, 5 menſibus exactis, poſtquam portum Gaditanum dimiſiſſet, peruenit. Eximia multa de ſtatu regni Chinenſis, de gentis ſagacitate et aſtutia, monetis, computandi ratione, opificiis, de nauium minorum et ſcapharum conſtructione et vſu apud eundem, de commercio Europaeorum etc. recenſentur,

ſentur, ſed, quod dolemus, a ſcopo noſtro aliena. Hinc, vt hucusque factum eſt, praecipua capita, quae naturalem cognitionem locupletant, excutie-
p. 128. mus. Oryza abundantiſſime Cantoni colitur et, annonae caritate orta, aliquot millia hominum huc al-
p. 134. licit. Lacertae Chinenſis tanta eſt in ſcandendo dexteritas, vt aulaea papyracea, parietibus affixa, ſumma
p. 144. velocitate aſcendat. Pharmacopolia Cantoni perquirens nunquam obſeruauit Noſter diuerſorum medicaminum miſcelam; ſed ſimplicia modo, ſine formula, ab aegris ſunt quaeſita. Radicem ninſi et ginſeng animaduertimus, Auctorem pro vna eademque habere; cuius ſemiuncia, quum Auctor Cantoni verſaretur, 30-48 ſemiunciarum argenti puri pretio vendebatur. Confirmat quoque bonam huius partem ex America transferri, licet Chinenſes vilioris eſſe virtutis Americanam, lucri ſine dubio cauſſa, aſſeuerent. Dolet vero, ſe tam ob inſcitiam Chinenſium in deſcriptione morborum et plantarum, quam ob nimiam taciturnitatem, nec raro falſas narrationes, nihil certi de virtute medicamentorum ex-
p. 149. plorare potuiſſe. De Chinenſium perſpicacia, qua omnia in ſuum commodum vertere norunt, vel hoc teſtari poteſt, quod tonſores ſedulo capillos et barbas pro agris ſtercorandis colligant. Hi homines, vt curſum ſanguinis quibusdam in morbis accelerent, fricant caeduntque corpus aegri pugnis, brachiaque aliosque artus extendunt grauiter. Diſtincti iſti catena, variis inſtrumentis inſtructa et humeris geſtata, in plateis incedunt, officia ſua in vnguibus praecidendis et pilis narium et ſuperciliorum
p. 151. reſecandis vltro offerentes. Ex oryza vinum iſtud aduſtum ſamſu parant, non vero, vt multi exiſtimant, liquorem arrack dictum, quem Chinenſes ex Belgio emunt, ſiquidem cocci nuces, ex quibus arrack fit, hic loci non creſcant. Laudat vero

Noſter

Noſter eorum in liquorum ſpirituoſorum vſu abſti-
nentiam, adeo vt ne vllum ebrium per totum tem-
pus, quo inter iſtos vitam degit, obſeruauerit. Mo- p. 157.
ſchus veſicis incluſum Cantonum Tonkino affertur.
Varia iſta theae genera et modum ciſtis eam im- p. 158.
mittendi curate Noſter deſcribit. Diſcrimen inter
theam boheam et theam viridem in vſtulationis
foliorum diuerſa ratione conſiſtere modo arbitratur,
et ad hanc laminam cupream, ad illam autem lami-
nam ferream adhiberi. Rhabarbari radices recen- p. 162.
tes Cantoni vidit, vnde probabile, non procul ab-
hinc creſcere. Paucis verbis repetit Auctor, quae
de fructus arboris arecae maſticatione nota ſunt.
Auium nidus, vt in officinis dicitur, coloris albi et
inſtar ichthyocollae pellucidus pro cibo, vtut pre-
tioſo, inſeruit. Feminae, loco manicae pelleae p. 170.
(*Muffe*), vt frigus hieme auertant, manibus cotur-
nicem tenent. Vngues, quos vilioris ſortis homi-
nes praecidunt, praeſtantioris fortunae homines
libere creſcere ſinunt, noctuque thecis ex ligno
bambu tegunt. Infantibus pauperum fructus cucur- p. 172.
bitae lagenariae (*Calabaſſ*) alligatur, vt, quodſi ſub
matrum, eos in ſuo dorſo geſtantium, in ſcaphis
negotiis in fluuium inciderent, fundum non petant.
Narrat quoque Cl. Auctor, quoniam ob nimiam
hominum copiam, alimenta haud raro deficiunt,
parentibus veniam eſſe datam puellas minores in flu-
uium proiiciendi; quod ſi fit, alligant tamen fru-
ctum dictum, vt ab homine ditiori et miſericordia
moto vitae poſſint diſpendio eripi. Pueri autem,
quos enutrire parentibus non ſuppetit, impenſis pu-
blicis aluntur. Papyrus Chinenſium maxime vul- p. 174.
garis ex cortice interiori arboris bambu conflatur,
valdeque tenuis eſt, vnde penicillis ad litteras in ea
exarandas vtuntur, atramento, Tuſch intinctis.
Virgas quoque, quibus criminis accuſati homines p. 182.

p. 187. caeduntur, ex dicta ſtirpe ſumunt. Cibis ter vel quater per diem vtuntur, eisque ſimpliciſſimis, ſed largis. His quoque ranae, et vt quidem retulerunt, equorum, canum, gliriumque carnes inſeruiunt.

p. 188. Ouium cornua exigua, earumque caudae breues et latae ſunt, et ex mera fere pinguedine conſtant. Ob earum culturam neglectam pretio maiori veneunt. Suibus inſignior, quam in Europa, fertilitas eſt, minorque ſordities, vnde inſtar canum in aedibus aluntur. Vt et hic exſtet Chinenſium aſtutiae ad lucrum faciendum exemplum, referre iuuat, quod haud raro pennas gallinarum vulgarium arte criſpent, vt pro gallinis criſpis (*purrhöns*) habeantur.

p. 190. Oeconomiam, in primis agrorum et hortorum culturam, commendatiſſimam ſibi Chinenſes habent, imperatoris exemplo et incitamento inflammati. Ex culinaribus plantis multae ſunt, alias non obuiae; quarum ſequentes praeter oryzam, cannam ſacchariferam et tubera conuoluuli botatos memorantur: Legumina dolichos ſinenſis, ex quo ferculum caſeum figura referens paratur, et phaſeoli max, fructus trapae bicornis, fructus komkatt, qui ſpecies citri eſt, fructus quidam ai-qua dictus, fructus pariter auerhoae bilimbi, aliusque fructus plantae läm-tjes, latjes, cuſſambii vt videtur RUMPHII, muſae paradiſiacae, mangiferae indicae, pſidii guaianae, ſinapis orientalis, fructus oleae chinenſis, radices nympheae nelumbo, bambu, dioſcoraeae alatae, arachis hypogaeae, zingiberis, tubera eſculenta, braſſica chinenſis, folia conuoluuli reptantis, piperis betles, agarici chinenſis. Ex plantis vero apud nos etiam vſitatis ſunt, piſa, fructus mali ſinenſis et citri grandis, variaque pomorum genera, cucurbitae, melones, cucumeres, allia varia, radix raphani ſatiui, rapae longae, dauci albi, ſpinacia, apium

apium dulce. Aqua nulla alia, quam ex fluuio hausta p. 196.
Cantoni exstat. Ad quam gratiorem reddendam
theam pro potu incoquunt. Theae infusum abs-
que saccharo et lacte bibunt. Vinum chinense ex p. 197.
fructu pausio dicto exprimitur, qui censetur cresce-
re in consueta vite vinifera. Quoniam autem in-
gratum est, ex Europa alia vinorum genera magna
copia transferuntur. Cereuisia nulla coquitur. Nec p. 197.
coffea hactenus genti arrisit.

Inter morbos magis istis familiaris est caecitas,
quam absit, vt ab oryza cum aliis multis Auctor de-
riuaret, vt potius vapores ex stercoribus ascenden-
tes, halitus vernicis acres, fumum ex accensis lignis
diis dicatis aëra replentem aliaque accusat. Pleri-
que tamen caeci, inde a natiuitate visu priuati, re-
periuntur. Phthisis pulmonalis glutine ex pelle asi-
nina, oki-ao dicto sanari dicitur. Frequens quo-
que malum vlcera et bubones sunt.

Lignorum defectum ad focos carbones supplent. p. 201.
Omittere oportet nos catalogum istum plantarum
Chinensium, quarum multas Auctor prolixe de-
scripsit, alias nomine modo indicauit, cancellis no-
bis praefixis impeditos. Qui ipsi nec permittunt
aues, pisces, insecta etc. reperta attingere. Aui- p. 207.
cennae officinalis fructu, pharmacopolis anacardium
orientale nominato, litteras suas pannis gossypinis
et mucciniis inscribunt, quae ne deleantur, dum ad-
huc madent, calce vina insperguntur. Digna imi- p. 211.
tatione Europaeorum sunt, quae de humatione
mortuorum Noster recenset, quod scilicet nunquam
nisi extra vrbes sepeliantur.

Ob eximiam rei herbariae scientiam, in hono- p. 213.
rem Auctoris, planta quaedam Osbeckiae chinen-
sis nomine ab Ill. A LINNE' nuncupata est, lysi-
machiae maxime affinis, quam et ipse Cantoni detexit
et fusa hic descriptione instruxit. In colica cum
specie

ſpecie quadam theae infuſa potatur, ad diſcutiendos vero tumores et hernias fomentum eius applip. 226. catur. Piſcis, diodon ocellatus, valde venenatus p. 231. pro arbitrio ſuo corpus inflare valet. Bäckea frutescens, in memoriam Ill. Regis Sueciae Archiatri nomen gerens, abrotanum refert et veſtimenta effip. 232. caciter contra infectorum vim tuetur. Rhamnus thea egenis loco theae verae eſt. Linum valde raro in China occurrit. Et plantarum ſiliquoſarum ne vnicam quidem; nec vllum Auctor ſcorbuto affp. 242. fectum vidit. Artemiſia vulgari contuſa vlcera ſanant. Pix Chinenſibus ignota eſt, cuius vero loco ad nauium rimas obturandas adhibent gluten quoddam ex caſſytha filiformi contuſa calceque miſta. Mucilagine huius plantae capiti illita, incrementum capillorum accelerari credunt. An Croton ſebiferum planta iſta ſit, ex qua candelae parentur, dubium adhuc relinquit.

p. 265. Mercibus neceſſariis intra 4 menſes et aliquot dies comparatis nauis reditum parauit. In quo iterum Noſtro contigit in inſulam Iauam exſpatiari, et largam ſtirpium meſſem ex ſylua denſiſſima, ſpinis confertiſſima et tigridum aliarumque ferarum caterua munita, reportare. Creſcentem ibi inuenit palmam baculum, cui arundo ſic dicta Hiſpanica (*Spaniſches Rohr*) ſcipionibus inſeruiens debetur.

p. 271. Ibi etiam creuit epidendron amabile, odore florum omnibus fere reliquis plantis praeſtans, quibus floribus ornari nonniſi principum feminis in inſula Ternata datum eſt.

p. 286. In itineris continuatione ſubſtitit per aliquod tempus nauis ad Aſcenſionis inſulam torridam iſtam atque ſterilem, gratam tamen nauigantibus ob teſtudinum ad eiusdem littora reperiundarum copiam, quarum captura hic delineatur. Denudata iam reperitur arboribus, quas vero olim adfuiſſe docent

variae

variae earum partes, iamiam in lapides induratae. Capris abundat a Gallis quondam illuc adductis, quae vero ad ſedandam ſitim aquae inopia preſſae nihil praeter portulacam habent. Glires autem, poſtquam DAMPIERII nauis appelleret, ſedem fixerunt, aues piſcesque inſecta varia rariora ibidem inuenit, paucas vero ſtirpes, quarum antiſtat reliquis pretio ariſtida aſcenſionis. Teſtudines hic maximae ſunt, ita vt vna pondus 500 ad 700 libras aequet, et ſufficiat praeſidio 130 hominum ſatiando. Caro griſeo vel nigro colore inſtructa, et vna cum teſtudinum ouis editur. Numerus ouorum vnius teſtudinis vsque ad 5 vel 600 ſupraque aſcendit. Sub lat. 22 gr. p. 303. copia fuci natantis appropinquauit naui, quam ex America appulſam exiſtimat inſectis, cochleis, piſcibusque variis hic nominatis refertiſſimam. Inſtar acetarii aceto condiri ſolet. Tandem Noſter ad finem iunii 1752 vna cum naue ſaluus incolumisque Gothoburgum reuiſit, poſtquam ex 132 iſtis hominibus, qui ex patria cum illo diſceſſerant, 8 in via interiiſſent.

Litterae TORENII affixae commercio cum p. 317. Ill. A LINNÉ enatae ſunt, et varia rei naturalis et politicae Chinenſis regni, Suratae, inſulae Aſcenſionis, et aliarum regionum momenta illuſtrant, quoad plurimam partem in itinerario OSBECKII memorata. Vſus eſt Auctor ſcribendi genere eleganti et faceto, et licet pauca, quae ad hiſtoriam naturalem pertinent, ea aſſiduitate concinnata ſint, quae elucet in hominibus, huic ſcientiae toto animo deditis, dignum tamen iudicauit meritorum in hoc campo acutiſſimus arbiter, Ill. A LINNÉ, ob ſtudium impenſum plantasque conquiſitas, cuius memoria poſt fata Torenia planta reuiuiſceret. Semina p. 397. glycines narrat Noſter Suratae ponderis genus eſſe in auro et margaritis librandis. Ibi mauſoleum

de

de re herbaria meritiſſimi viri V. REEDE TER DRAKENSTEIN ſcrutatus epitaphii partem deſcripſit; vitaeque alio fato certe digniſſimae finem maleuolorum arte acceleratum percepit.

Plantae, quarum effigiem Cl. OSBECK ſculpendam curauit, ſequentes ſunt: bäckea fruteſcens, osbekia chinenſis, pteris ſemipinnata, vtricularia bifida, pteris vittata, helicteres anguſtifolia, trichomanes chinenſis, rhamnus lineata, barleria criſtata, gerardia glutinoſa, carpeſium abrotanoides, clerodendron fortunatum. Accedit hiſce imago holuthuriae velificantis et ſcombri ductoris.

XVI.

Berättelſe om Koppors ympande, öfverlämnad till höglofliga Kongl. Sundhets-Commiſſionen af DAVID SCHULTZ, M. D. Stockholm, tryckt uti Konigl. Tryckeriet, 1756. pag. 119. 8.

i. e.

Narratio de inſitione variolarum, auctore DAVIDE SCHULTZ.

Ex praeſtantiſſimis eſt, qui hucusque de hac materie prodiere, libris, in quo, quicquid ad inſitionis artem rite peragendam, commendandamque ſpectat, optimo ordine et dictione maxime concinna Cl. Auctor explicuit, tam ſua, quam aliena experientia adiutus. Vt nimirum tanto exquiſitiorem nobiliſſimae huius artis cognitionem adipiſceretur, regiis impenſis iter Londinum ſuſcepit, in qua vrbe verſatiſſimorum in arte virorum manu, in noſocomio praecipue magno iſto, inſitioni dicato, inſi-

inſitionem peractam vidit, poſteaque in patria crebro exercuit. Quae hiſce adiumentis obſeruauit, iuncta optimorum auctorum lectione, mox poſt reditum typis euulgauit, ſermone quidem continuo, eo tamen, vt in 6 ſectiones, in quot etiam Cl. MURRAY verſionem *) huius libri germanicam diuiſit, commode diſpertiatur. Prima (a pag. 5 ad 24) de optima corporis ad inſitionem ſubeundam indole agit; ſecunda tempus maxime opportunum definit (ad pag. 31); tertia praeparationem corporis declarat (ad pag. 44); quarta ipſam chirurgiam tradit (ad pag. 62); quinta decurſum morbi arte excitati; ſecundum dierum ſeriem, et quae poſtea molienda, complectitur (ad pag. 90); ſexta difficultates inſitioni oppoſitas remouet (vsque ad finem).

Ne vero, quum ſerius, quam meretur, de hoc opuſculo referamus, taedium repetitione rerum iterata ſequentibus annis experientia confirmatarum pariamus: ſubſiſtendum nobis videtur in obſeruationibus quibusdam ſingularibus ponderis inſignioris.

Obeſos homines plerumque benignis variolis gaudere Cl. Auctor expertus eſt, quod et confirmat auctoritate Cl. HADOW, qui homines ponderis librarum 260 (18 *Stones pond. Angl.*) felici cum ſucceſſu inſitioni ſubiecit. p. 6.

Vlcera pone aures et exanthemata capitis nihil in artis ſucceſſu, obſeruante Ill. A ROSENSTEIN, et SCHULTZIO Noſtro, mutarunt. p. 15.

Morbillos quoque aeque ac variolas per tempus ſine turbis latere, vterque manifeſte cognouit. p. 16.

Nec malus fuit in ſcrophuloſis inſitionis euentus. Verum rachitide affectos repudiat, licet Cl. ARCHER Noſtro praeſente puerum rachiticum admit- p. 17.

*) Inſerta haec eſt promptuarii Hamburg. Vol. 26. Parti primae et ſecundae.

admitteret, in quo quidem modo 5 variolae emerſerunt, ſed ſuccedente poſtea febricula et bubone ſub axilla. Chloroticas puellas excludit, ſiquidem has in naturalibus quoque variolis poſtea febre lenta corripi notauit. Scorbutici, etſi aegrius inſitioni ſubmittantur, naturalem tamen morbum haud raro feliciter ſuperarunt. Exſtant hic quoque varia probi euentus apud homines venerea labe inquinatos exempla, qui ante inſitionem luem ſtudioſe celauerant. Qui vero ſpirituoſis potibus dediti ſunt, hos ſine exceptione ab iſto beneficio arcet, annuente expertiſſimo ARCHER. Sed tanto minus in rheumatiſmo obnoxios ſeueritas huius legis cadere debet, quum in Anglia quartus fere quilibet homo malo illo afficiatur. Facilius deuicerunt variolas inſititias paullo ante ex febre intermittente conualeſcentes. Profligatam plerumque fuiſſe febrem iſtam variolis accedentibus, aliquando vero, loco febris ſuppuratoriae incidiſſe, non minus cognouit.

p. 20.
p. 21.
p. 23.

In diptychis mortuorum, quae Londini concinnantur, id vitii committitur, quod, licet variolae ibi aeſtate rariſſimae ſint, eorum tamen, qui hocce morbo hieme moriuntur, magna pars in diptycha aeſtiua transferuntur, vt nimirum vulgi metus mitigetur.

p. 25.

Efficaciam pilularum praeſeruantium Ill. ROSENSTEIN debitis laudibus extollit. Ab Ill. PRINGLE autem de experimento a ſe facto certior euaſit, quo cinnabaris in corpore humano ſolutio adhuc magis confirmatur. Nempe cum ſaliua variisque partibus animalium atque vegetabilium commiſcuit, et calori commiſit, illi ventriculi haud abſimilem; quo ipſo adſcendit, praecedente fermentatione, odor ſulphureus. Aethiopem mineralem nonnunquam ptyaliſmum excitaſſe, Ill. Archiatri

p. 33.
p. 34.

A ROSENSTEIN et BAEK Noſtro narrarunt.
Vtut vero diaetam probam in praeparando corpore commendet: a nimio eius rigore tamen, ne debilitatem faceſſat, abſtinere medicum iubet noxamque, additis exemplis, vlterius demonſtrat. p. 37.
Pediluuiis praeparationis tempore ROSENSTEINII commendatione valde fauet, qui non tam ab iis reuulſionem ad pedes, quam emollitionem cutis auctamque tranſpirationem exſpectat. p. 40.

Filum inſitioni deſtinatum mauult in ſcatula lignea, quam vitro ſeruari, et antea ſiccari ad focum iubet. Nam et Cl. WALL et FOTHERGILL aperto vitro foetorem admiſſis naribus ſenſerunt. p. 44.
Horum poſterior inſtrumentum Noſtro a pharmacopola quodam ad inciſionem peragendam inuentum, et inſtrumentum ſcarificatorium referens, ſed vna modo lanceola inſtructum, monſtrauit. p. 53.
Qui praerogatiuam inſitionis vulneris beneficio tribuunt, hoſce et obſeruatione ſingulari et argumentis Cl. Auctor refellit. Nempe in puella Londini iam ante eruptionem vulnus omnino coaluit, ſubſequentibus tamen optimae notae variolis; nec hoc ipſum pus effundere ante eruptionem variolarum vel ſuppurationem ſolet. p. 55.
Inunctionis puris varioloſi vis inertior, quam alias ſolet, Londini in aedibus, quo derelicti infantes nutriuntur, reperta eſt; qui tamen modus variolarum impertiendarum ob multa generatim incommoda merito reiicitur. p. 60.

Senſus et geſtus ebrii quaſi hominis die 8 poſt inſitionem, quo plerumque morbus primum ſeſe exſerit, adeo vulgaris eſt, vt famuli in noſocomio Londinenſi ſtrepitu inſolito imminentem morbum praeſagiant. p. 65
Vsque ad tempus illud, quo librum hunc Cl. SCHULTZIUS exarauit, nunquam variolas contiguas, multo minus confluentes, ex inſitione exortas, obſeruauit. Narrauit Noſtro Ill. A

ROSENSTEIN, infantem quendam octennem inſitioni ſubiectum, nonniſi die 10 in morbum incidiſſe, 13 vero die variolas emiſiſſe. Ptyaliſmum in ancilla 22 annorum poſt inſitionem animaduertit, quamuis non ſupra 120 v. 150 variolas numerari poſſent.

p. 81. Bubonibus ſub axilla exortis, diu aperturam differre diſſuadet, ne in pectoris cauum pus eructent, quod quondam tradit, ROSENSTEINIUM in infante naturalibus variolis iisque non malignis decumbente

p. 88. obſeruaſſe. Hic idem Ill. Vir recens nati infantis corpus cruſtis et cicatricibus varioloſis diſtinctum ſemel obſeruauit.

Sollicite comparauit Noſter computos hominum variolis inſititiis cum iis variolis naturalibus demortuorum. Sub hoc negotio procliue maxime fuit in calculos Londini in noſocomiis factos delabi. Contra quos vero poſtea Cl. DE HAEN *) dubia nonnulla mouit, ſed a SCHULTZIO, interprete Cl. MURRAY **) diluta. Finem egregiae commentationi elegantiſſimis Cl. BOLAINE verbis imponit, quibus et nos ſubſcribimus: Natura expoſcit, ratio probat, religio permittit inſitionem variolarum.

*) Ration. med. Tom. IX. p. 290.
**) Hiſtoria inſitionis variolarum in Suecia p. 141.

XVII.

De alimentis farinaceis. Dissertat. inauguralis. Auctore IOH. SCHEUCHZER, Heluetо Tigurino. Lugd. Batau. 1760. 4. pl. 5. tab. aen. 1.

Vegetabilium farinaceorum, eximio vsu corpori humano inseruientium, quinque classes Auctor constituit, in quarum prima cerealia sic dicta enumerat, copiosissima semina, vel in spicis, vel in iubis suppeditantia, qualia sunt: *triticum*, *hordeum*, *secale*, *auena*, *milium*, *zizania*, et variae *polygoni* species, ex quibus omnibus decorticatis, et molendino subiectis, optima praeparatur farina; quibus subiunxit *rumicis*, *melampyri*, *sesami*, et *holci* nonnullas species, simili vsu sese commendantes. Altera classis continet plantas leguminosas, quarum semina, vel immatura adhuc vna cum valuis suis coquuntur, vel adulta, et exsiccata farinam praebent, veluti *phaseoli*, *lathyri*, *viciae*, *pisa*, *dolichos etc.* In tertia classe recensentur plantae partim indigenae, partim exoticae, ex quarum radicibus farina praeparatur alimento conducens; sic enim *curcumae rotundae* radix, pariter ac *dioscoreae oppositifoliae* farinam exhibent, sagou haud dissimilem, ex *cichorei*, *scorzonerae*, *conuoluuli batatas*, *helianthi tuberosi*, *pastinacae satiuae* aliarumque plantarum radicibus exsiccatis, variaque arte praeparatis, farina educitur. Quarta classis sistit plantas, quarum semina, in nucibus vel durioribus capsulis recondita, indolem habent farinaceam, quales sunt, *trapa*, *amygdalus*, *iuglans*, *corylus*, *cocos*, *pinus*, *pistacea*, et semina plantarum cucurbitacearum. *Pini syluestris* cortex vernali tempore deglubitus, siccatus et tostus, a

Dalekarliis in farinam redigitur, ex qua panis ipſis familiaris praeparatur. In quinta demum et vltima claſſe *palmae* enumerantur, ex quarum medulla alimentum iſtud farinaceum, ſagou dictum conficitur. Omnes hae plantae commemoratae emolumento hominum tanto magis proſpiciunt, quanto praeclarior eſt earundem nutriendi facultas, quam vt Cl. Auctor comprobet, partes conſtitutiuas farinaceorum disquiſiuit, et ex earum cum partibus hominis conſtitutiuis affinitate, facillimam digeſtionem, aſſimilationem, et inde conuenientiſſimi nutrimenti indolem declarat. Praecipue autem fuſius in panis, tanquam praeſtantiſſimi cibi farinacei deſcriptione moratur, ſingula non ſolum momenta, quae ad eius praeparationem ſpectant, indicans, ſed diuerſam quoque eius naturam, diuerſamque nutriendi virtutem, ex diuerſitate granorum, farinam ſuppeditantium, prouenientem, explicans, quae autem omnia ad artem piſtoriam magis pertinent, quam vt eorum mentionem hic facere poſſemus. Addita icon ſiſtit *zizaniam aquaticam* LINN. quam Auctor eam ob cauſſam delineauit, quoniam ex eius ſeminibus farinaceis panis confici poteſt, alimento inſeruiens.

XVIII.

Traité des Accouchemens, contenant des obſervations importantes ſur la pratique de cet art; deux petits traités, l'un, ſur quelques maladies de matrice; et l'autre, ſur les maladies des enfans du premier âge; quatre memoires, dont le premier a pour obiet les pertes de ſang dans les femmes groſſes, et les trois autres ſur les dépôts laiteux, par M. PUZOS, Chirurgien de Paris, et de l'Academie Royale de Chirurgie. Corrigé et publié par M. MORISOT DESLANDES, Docteur Régent de la Faculté de Médecine de Paris. Precedé d'une diſſertation de l'éditeur, ſur un point intereſſant, relatif aux Accouchemens et ſuivi de la traduction d'une diſſertation latine de M. CRANTZ, Médecin Allemand, ſur la rupture de Matrice. à Paris, chez Deſaint et Saillant et P. Ac. le Prieur, 1759. 4. alph. 2. pl. 18.

i. e.

Tractatus de arte obſtetricia continens obſeruationes magni vſus ad praxin huius artis. Auctore Cl. PUZOS.

Quod multis quidem eorum operum accidit, quae poſthuma in lucem eduntur, vt non ſatis reſpondeant famae et doctrinae Auctoris ſui, cum vel nondum ſatis limata et perpolita, vel haud raro ab imperitis manibus parum digne tractata ſint; id minime eueniſſe videmus huic libro Cl. PUZOS,

longo artis obſtetriciae exercitio, variisque in commentariis chirurgorum Pariſienſium editis libellis celeberrimo. Cum enim poſt mortem Cl. PUZOS theoria artis obſtetriciae orta ex innumeris fere obſeruationibus, per longam annorum ſeriem collectis, vna cum annotationibus de variis morbis mulierum et puerorum, nondum ita abſoluta eſſet, vt, nulla amplius admota manu, in lucem prodire poſſet; curam eius in ſe ſuſcepit Cl. GERVAIS diſcipulus Cl. PUZOS, qui etiam nonnulla addidit. Quum vero et negotiorum multitudine in hoc labore impeditus fuerit, traditus tandem eſt Cl. MORISOT DESLANDES, qui dicendi genus et ordinem hinc inde mutauit, nil vero, quod praxin artis attinet, ex ſuis addidit. Quae quidem res ita ceſſit feliciter, vt dignum tandem Auctore ſuo opus in lucem prodierit. Additae vero etiam ſunt huic operi duae Auctoris diſſertationes, quarum vna nondum publicata fuerat; aliaque inſuper de quibus omnibus nunc paullo vberius ad lectores referre operae pretium eſſe ducimus.

p. 1. Initium facit praefatio Cl. Editoris, in qua hi-
p. 17. ſtoriam operis refert. Sequitur tunc eiusdem Viri Cl. diſſertatio quaedam, in qua demonſtratur, probe poſſe medicum aliquem tenere chirurgiam et artem obſtetriciam, licet illas artes ipſe non exerceat. Quae disputatio eum fortaſſis in finem inſtituta eſt, vt fidem ſibi conciliet Auctor, ſe medicum editionem libri, ad artem obſtetriciam pertinentis, commode omnino in ſe potuiſſe ſuſcipere. Cuius rei demonſtratio in Gallia, vbi medicorum vulgus parum de hac arte ſcire ſolet, magis neceſſaria videbatur, quam in noſtris terris, vbi vtraque artis ſalutaris pars minus a ſe inuicem disiuncta eſt. Tandem
p. 53. elogium Cl. PUZOS auctore Cl. MORAND ſequitur,

tur, quod ex volumine tertio commentariorum academiae chirurgicae Pariſinae ſumtum eſt.

Ipſe vero tractatus de arte obſtetricia viginti et tria capita continet, in quorum primo oſſa peluis, vagina vteri et partes genitales externae pariter, ac internae omnes, ſolo vtero excepto, deſcribuntur, quatenus ad artem obſtetriciam relationem quandam habent. Explicatur itaque harum partium omnium vſus, quem in corpore ſano praeſtant, additaque eſt deſcriptio praecipuorum morborum, quibus illae affici ſolent. Gibberoſos facilius partum edere iis, quae rhachitide laborarunt, ita Noſter defendit, vt doceat ſpinam tantum incuruari quarto vel quinto aetatis anno, vbi oſſa peluis iam formata ſunt; rhachitidem autem oriri primis aetatis annis et oſſium ſubſtantiam ita laedere, vt in foeminis, quae rhachitide laborarunt, licet omnia reliqua oſſa debitam figuram recuperauerint, ſemper peluis oſſa aliquantum diſtorta remaneant. Ad quod malum augendum multum confert hoc, quod eiusmodi puellae fere ſemper ſedeant, et oſſa peluis corporis pondere magis adhuc comprimantur. In vniuerſum autem cauſſas, ob quas deterior peluis conformatio effici poſſit, diligenter Noſter explicat. Oſſa pubis in ſymphyſi ſua in partu diduci putat. p. 1. p. 17.

Secundum caput agit de vtero ipſo, quem ita fabrefactum eſſe Cl. PUZOS oſtendit, vt perfecte reſpondeat conſilio, ad quod ita formatus eſt. Collum vteri, quod alias in partu euaneſcit, in abortu excludendo multo longius ait fieri, vt ſaepe ouum, quod abortu reiicitur, fere totum in illo haereat, et digitus totus in vaginam immitti poſſit, qua illud continetur. Orificium vteri longe facilius ab interna parte, quam ab externa aperiri primus ſine dubio confirmat. p. 20. p. 26.

Porro pergit ad varias mutationes et motus deſcribendos, quos vterus

exercet, expanſionem ſcilicet, quae in grauiditate contingit, et contractionem. Expanditur autem vterus vi viua liquidi, in ouo contenti, quod aequaliter in omnem ſuperficiem vteri internam preſſionem ſuam exercet, et ex reſiſtentia vteri contra hanc expanſionem magnam partem ſymptomatum Noſter deducit, quae prioribus menſibus grauidis mo-
p. 30. leſta ſunt. Disputat deinde de vi muſculoſarum fibrarum earumque antagoniſmo inter ſe, oſtenditque fundum robuſtiſſimam eſſe partem, orificium vero debiliſſimam, inprimis, collo vteri ſenſim euaneſcente, vltimis grauiditatis temporibus. Hoc vero ſi ab exteriore parte aperitur, digito obſtetricantis inſignem reſiſtentiam opponit, quae adiuuatur vi
p. 33. reliquarum fibrarum vteri omnium. Cauſſa dolorum ad partum poſita eſt in contractione fibrarum ad definitum quendam gradum extenſarum. Vtero autem rotundiore facto et collo euaneſcente, orificiique reſiſtentia hac ratione quoque debilitata, debilior tandem pars fortiori fundo cedit, atque orificium iam dilatatur. Vires autem fundi ſemper, durante partu, augentur, pro ratione, qua plures fibrae dum ouum et foetus prodeunt, vi ſua fundi contractioni accedunt, vt ſub vltimis doloribus vis eius maxime inſignis ſit, et orificium paullulum apertum citiſſime praeter omnem exſpectationem in debitam magnitudinem extendatur.

p. 37. Tertio capite de menſtruis disputat, FREINDII potiſſimum theoriam ſecutus. Adiicit, vterum inter omnia abdominis viſcera illud eſſe, quod ſine metu inflammationis plurimum ſanguinis per aliquod tempus in ſubſtantia ſua continere poſſit, vaſis vero ad certum gradum extenſis, fibras irritatas contrahi et catamenia profluere. Parietes vteri, durante grauiditate, tenuiores fieri putat. In ſuppreſſione catameniorum cum alio morbo vniuerſali coniuncta,

iuncta, ſemper ad morbum illum non vt effectum, ſed vt cauſſam huius ſuppreſſionis reſpiciendum eſſe monet, qua ſublata, etiam effectus facilius tolli potuerit.

Signa grauiditatis, de quibus quarto capite disputat, cognoſcuntur vel ratione tantum, inprimis prioribus menſibus, vel ſenſibus. Priora incerta ſunt. p. 52.

Hinc fuſius quinto capite de praecipuo grauiditatis cognoſcendae auxilio, exploratione ſcilicet, disputatur. p. 55. Concedit tamen Auctor vel illam non ſemper ſufficere exacto de ſtatu vteri indicio ferendo, inprimis vero nihil eius ope ante tertium grauiditatis menſem cognoſci. Inſtituit vero illam hac ratione vt digitum indicem, vaginae immiſſum, orificio vteri applicet, alteram vero manum abdomini et fundo vteri, ſupra oſſa pubis eminenti, imponat, et ita vterum ſurſum deorſumque premendo de pondere et magnitudine eius iudicium ferat. Facilius tamen hoc in macilentis, quam in obeſis fieri poſſe concedit. Porro de explorationis vſu in partu et ad varios morbos vteri cognoſcendos disputat. Ad vitam foetus in vtero cognoſcendam palma vtriusque manus vterum comprimit, vt foetus in anguſtius ſpatium coactus ſe moueat, et ita motu ſuo ſe viuere oſtendat. Sextum caput de grauiditate inſcribitur, p. 67. quam Auctor Cl. in bonam ſiue veram, malam ſiue ſpuriam, et falſam vbi nil vtero ineſt, et foemina tantum putat ſe grauidam eſſe, diuidit. Exponit deinde de grauiditate vera in ſpecie. Licet poſt haemorrhagias ſaepe abortus ſequatur, tamen nonnunquam Cl. PUZOS obſeruauit, tales per omnem grauiditatem accidiſſe, neque tamen abortum inſecutum eſſe. Situs quoque in dorſo, qui in omni vteri haemorrhagia commendatur, non ſemper proficuus eſt, vt Cl. Auctor viderit, aegras demum, poſtquam e lecto ſurrexerint, conualuiſſe. Si poſt p. 70.

foetus abortiui excluſionem membranae vna cum placenta reſtant, ſuppuratio priorum medicum ita fallere poteſt, vt putet, placentam quoque ſuppuratione diſſolutam eſſe, licet ea integra adhuc in vtero ſuperſit. Exponit itaque Auctor ſigna, quibus pus, e membranis ortum, ab eo placentae diſtingui poſſit. In fine de expulſione et extractione placentae foetus abortiui exponit.

p. 73. Septimo capite de morbis grauidarum Cl. Auctor breuiter tantum disputat. Symptomata grauidis moleſta oriuntur vel a plethora, vel a reſiſtentia, quam vterus foetui, a quo diſtenditur, opponit. In vniuerſum magna eorum pars tertio vel quarto grauiditatis menſe ſponte ceſſat, ſi vterus viuum foetum continet, non aeque, ſi molam aut foetum mortuum includit, cum plethora, ſanguine copioſius nunc ad foetum tranſeunte, et vteri reſiſtentia conſuetudine et adfluxu humorum, fibras eas emolliente, minuatur. Vomitus grauidarum vel bilioſus eſt, matutino potiſſimum tempore accedens, vel alimentorum. Prior venaeſectionem et potum, acrimoniam bilis diluentem, exigit, poſterior venaeſectionem et lenia carminatiua. Nonnullae grauidarum, vomitu ſuppreſſo, peius ſe habent, atque in vniuerſum obſeruauit Noſter iis grauidis felix puerperium contingere, quae ſaepius vomitum iſtum expertae fuerint, cum ille primas vias a cruditatibus egregie purget, vt itaque vomitus tantum tunc ſupprimen-

p. 79. dus ſit, ſi grauidas nimis debilitat. Exponit deinde de doloribus infimi ventris grauidis moleſtis, in quorum ſedem et cauſſas ſedulo inquirendum eſt, cum eae in diuerſis ſpeciebus valde differant. Oriuntur nonnunquam ab vtero, diſtentionem ſuam moleſte ferente, qui venaeſectione leuantur. Haud raro in grauidis renes ob compreſſionem et ſanguinem ſpiſſum, illos tranſeuntem, nephritide afficiuntur.

Si

Si a faecibus aluinis induratis oriuntur colici dolores, tartari emetici paruam doſin ſali medio purganti iunctam egregios effectus praeſtare obſeruauit. Putat enim emeticum hoc tunc ſemper purgantem obtinere vim, neque vomitoriorum vſum in grauidis adeo eſſe reformidandum, cum experientia oſtendat, eas vomitum ſpontaneum, qui nonnullis quotidie moleſtus eſt, ſine noxa ferre. Non- p. 82.
nunquam ſanguis grauidarum tanta acrimonia afficitur, vt pruritus inde excitetur moleſtiſſimus, quem abortus cauſſam fuiſſe Cl. Auctor vidit.

Progreditur Cl. Auctor ad hydropem grauida- p. 48.
rum, atque in ſpecie de illo disputat, qui in ipſo vtero ſedem habet. Si foemina, quae eo afflicta eſt, gemellos intra vterum geſtat, extremitates quoque inferiores aquoſo tumore turgidae deprehenduntur, ſanitas vero corporis vniuerſi vix alio modo laeſa conſpicitur. Poteſt autem humor aquoſus non ſolum intra oui cauum ipſum, ſed et inter laminas membranarum aut membranas et vterum colligi, quod vltimum ſi acciderit, aquae ſic dictae ſpuriae haud raro aliquoties, nullo abortu ſequente, periodicae quaſi profluunt. Aquae enim, aliqua in copia collectae, orificium vteri diſtendunt, quod, iis effluxis, clauditur, vt de nouo alia copia iterum colligatur. Si hydrops inter laminas membranarum naſcitur, vt plurimum minor aquae copia in hac, quam in praecedente hydropis ſpecie, adeſſe ſolet, et veſica illa ſpuria ſub fine tantum grauiditatis ſponte disrumpitur, aquae lente effluunt, verique tandem ad partum dolores ſub fine huius effluxus accedunt. Cum tamen in hoc caſu parua tantum copia liquoris amnii adſit, poſt effluxum ſpuriae aquae veſica quoque eiusdem digito obſtetricantis ſe magis forma plana offert; et quia tunc haud raro iuſto denſior exiſtit, ab obſtetricante aperiri debet. In

ea

foetus abortiui excluſionem membranae vna cum placenta reſtant, ſuppuratio priorum medicum ita fallere poteſt, vt putet, placentam quoque ſuppuratione diſſolutam eſſe, licet ea integra adhuc in vtero ſuperſit. Exponit itaque Auctor ſigna, quibus pus, e membranis ortum, ab eo placentae diſtingui poſſit. In fine de expulſione et extractione placentae foetus abortiui exponit.

p. 73. Septimo capite de morbis grauidarum Cl. Auctor breuiter tantum disputat. Symptomata grauidis moleſta oriuntur vel a plethora, vel a reſiſtentia, quam vterus foetui, a quo diſtenditur, opponit. In vniuerſum magna eorum pars tertio vel quarto grauiditatis menſe ſponte ceſſat, ſi vterus viuum foetum continet, non aeque, ſi molam aut foetum mortuum includit, cum plethora, ſanguine copioſius nunc ad foetum tranſeunte, et vteri reſiſtentia conſuetudine et adfluxu humorum, fibras eas emolliente, minuatur. Vomitus grauidarum vel bilioſus eſt, matutino potiſſimum tempore accedens, vel alimentorum. Prior venaeſectionem et potum, acrimoniam bilis diluentem, exigit, poſterior venaeſectionem et lenia carminatiua. Nonnullae grauidarum, vomitu ſuppreſſo, peius ſe habent, atque in vniuerſum obſeruauit Noſter iis grauidis felix puerperium contingere, quae ſaepius vomitum iſtum expertae fuerint, cum ille primas vias a cruditatibus egregie purget, vt itaque vomitus tantum tunc ſupprimen-
p. 79. dus ſit, ſi grauidas nimis debilitat. Exponit deinde de doloribus infimi ventris grauidis moleſtis, in quorum ſedem et cauſſas ſedulo inquirendum eſt, cum eae in diuerſis ſpeciebus valde differant. Oriuntur nonnunquam ab vtero, diſtentionem ſuam moleſte ferente, qui venaeſectione leuantur. Haud raro in grauidis renes ob compreſſionem et ſanguinem ſpiſſum, illos tranſeuntem, nephritide afficiuntur.

Si

Si a faecibus aluinis induratis oriuntur colici dolores, tartari emetici paruam dosin sali medio purganti iunctam egregios effectus praestare obseruauit. Putat enim emeticum hoc tunc semper purgantem obtinere vim, neque vomitoriorum vsum in grauidis adeo esse reformidandum, cum experientia ostendat, eas vomitum spontaneum, qui nonnullis quotidie molestus est, sine noxa ferre. Non- p. 82.
nunquam sanguis grauidarum tanta acrimonia afficitur, vt pruritus inde excitetur molestissimus, quem abortus caussam fuisse Cl. Auctor vidit.

Progreditur Cl. Auctor ad hydropem grauida- p. 48.
rum, atque in specie de illo disputat, qui in ipso vtero sedem habet. Si foemina, quae eo afflicta est, gemellos intra vterum gestat, extremitates quoque inferiores aquoso tumore turgidae deprehenduntur, sanitas vero corporis vniuersi vix alio modo laesa conspicitur. Potest autem humor aquosus non solum intra oui cauum ipsum, sed et inter laminas membranarum aut membranas et vterum colligi, quod vltimum si acciderit, aquae sic dictae spuriae haud raro aliquoties, nullo abortu sequente, periodicae quasi profluunt. Aquae enim, aliqua in copia collectae, orificium vteri distendunt, quod, iis effluxis, clauditur, vt de nouo alia copia iterum colligatur. Si hydrops inter laminas membranarum nascitur, vt plurimum minor aquae copia in hac, quam in praecedente hydropis specie, adesse solet, et vesica illa spuria sub fine tantum grauiditatis sponte disrumpitur, aquae lente effluunt, verique tandem ad partum dolores sub fine huius effluxus accedunt. Cum tamen in hoc casu parua tantum copia liquoris amnii adsit, post effluxum spuriae aquae vesica quoque eiusdem digito obstetricantis se magis forma plana offert; et quia tunc haud raro iusto densior existit, ab obstetricante aperiri debet. In

ea

ea tandem ſpecie, in qua in ipſo oui cauo inſignis aquarum copia morboſe collecta hydropi vteri originem dedit, foetus ob compreſſionem, quam aqua in funiculum vmbilicalem exercet et nutritionem eius inde laeſam, vt plurimum perit, pedes vero grauidae non tument, licet abdomen in inſignem molem diſtentum ſit. Ipſe partus lente procedit, cum vterus nimium diſtentus vim ſe contrahendi amittat, quapropter obſtetricans membranas rumpat et aquas effluere ſinat, quo vterus magis contractus vim ſuam in ipſum foetus corpus exſerere poſſit.

p. 92. Octauum caput de vſu clyſmatum, purgantium et venaeſectionis in grauidis exponit. Foeminae, quae vitam exercitatam degunt et in aere liberiore verſantur, vt plurimum hiſce auxiliis carere poſſunt, minime vero illae, quae copiis abundant et in vrbe viuunt. In vniuerſum autem clyſmatum in grauidis vſum multum extollit, purgantia vero tantum ſub fine grauiditatis et leniora quidem concedit, confirmat autem tunc temporis eorum vſu poſſe tolli cauſſas plurimorum malorum, quibus puerperae obnoxiae ſunt. Primis grauiditatis menſibus purgans vix dari debet, niſi cruditates primarum viarum, diarrhoea aut dyſenteria id exigant. Praemittenda tamen eſt ſemper venaeſectio. Venaeſectio non certis quibusdam grauiditatis temporibus, ſed pro neceſſitate inſtitui debet. In plethoricis Cl. Auctor ſingulis quatuordecim diebus, inprimis peracto quinto menſe, venam ſecare iubet.

p. 97. Nono capite de ſecundinis Noſter disputat. Contra DEVENTERUM negat, placentam fundo vteri ſemper adhaerere, vterumque obliquum adeſſe, ſi in laterali eiusdem parte reperitur. Funiculus nimis breuis cauſſa ſeparationis placentae ab vtero in partu vix exiſtere poteſt, cum vaſa ſpiraliter ducta extenſionem eius concedant. In mulieribus obeſis

obesis membranae, foetum cingentes, semper tenuiores sunt, quam in macilentis. Liquoris amnii incrementum prioribus grauiditatis temporibus foetus incrementum multum superat, iis autem peractis, foetus maiora incrementa capit, liquor vero non eadem ratione augetur. Huius vero liquoris fontes ex Nostri mente in secundinis, vtero et foetu ipso existunt, cuius scilicet perspirabilis materia accedit. Adiuuatur autem liquidi huius secretio compressione omnium harum partium, quae sub inspiratione et exspiratione illis contingit.

Capitis decimi, quod de partu naturali inscribi- p. 106.
tur, Auctor non Cl. PUZOS, sed, vti ex praefatione patet, discipulus eius Cl. GERVAIS est. Eleganter vero in illo tum mechanismus partus, tum illa, ad quae obstetricans in partu naturali attendere debet, describuntur. Non statim in initio dolorum ad partum explorationem instituit, sed exspectationem per aliquod adhuc tempus commendat. Instituit vero illam, foemina in dorso cubante. Venam sub partu non solum in plethoricis, sed in iis quoque secat, quibus vna cum liquore amnii sanguis statim a dolorum initio profluit. Praematurus aquarum effluxus non caussa partus retardati existit. Liquor enim amnii vias, per quas foetus prodit, minime lubricas reddit, sed est hoc muci officium, qui ante, praecipue tamen post aquarum effluxum, exprimitur.

Vndecimum caput agit de caussis, quae partum p. 117.
naturalem difficilem reddere possunt. Inter illas prima est dolorum nimia debilitas, quae ex nimia rigiditate fibrarum vteri aut illarum debilitate proficiscitur. Si fibrae ob vasorum nimiam turgescentiam ex plethora se non contrahere valent, venaesectio conuenit, in debilitate e contrario analeptica vtilissima sunt. Si aquarum maxima pars vno impetu profluit, et reliquà illarum portio pedetentim exstillat, dolores in hoc casu mouere tantum, non autem

pro-

promouere partum ſolent, vsque dum omne liquidum effluxerit. Hinc iubet Cl. Auctor obſtetricantem caput in dolorum interuallo paullulum releuare et retrudere, quo aqua cito effluat et vteri contractiones ipſum corpus foetus afficiant. Si, capite in vagina haerente, partus vlterius non procedit, vel ob nimiam eius magnitudinem, vel ob vaginae anguſtiam, forcipem in viuo foetu noſter adhibet, in mortuo vncum. Cum vero breuiores tantum et rectos forcipes cognouerit, illum tunc demum applicat, quando, capite iam toto ex vtero egreſſo, vertex ad labia fere pudendi deſcenderit. Si nimia rigiditas membranarum partus retardati cauſſa exiſtit, aut illarum veſica ob paruam copiam liquoris contenti difficulter rumpitur, digitis illam Noſter aperit.

p. 190. Sequens caput de variis exponit, quae in ipſo partu naturali accidere poſſunt, et attentionem obſtetricantis exigunt. In ruptura perinaei minus completa ſolo ſitu reunionem partium Noſter adiuuare iubet, cum cataplaſmata ſuppurationem excitent, et lochiorum effluxum ex vagina impediant, qua ex re Cl. Auctor coagula ſanguinis et conuulſiones oriri vidit. Si facies foetus oſſa pubis reſpicit, nonnunquam natura partum abſoluit, haud raro tamen haec partus ſpecies matri et foetui exitialis fit, quapropter Cl. Auctor forcipem in hoc caſu commendat. Ruptura perinaei completa ſaepe ſine obſtetricantis culpa euenit, licet vulgus vt pluri-

p. 131. mum illum accuſet. Poteſt etiam in agripparum partu accidere, capite nimis magno et perinaeo anguſtiore exiſtente. Solum ſitum et exſpectationem Noſter commendat, quibus malum vel ex toto, vel ex parte leuari ſolet. Poſt partum difficilem haud raro quoque incontinentia vrinae poſt aliquot demum dies accedit, quae ſi a laeſione veſicae ipſius, et poſt abſceſſum partis contuſae accidit, vt plurimum nullam

nullam curationem admittit, cum ſubſtantiae defectus et margines calloſi adſint. Collum vero veſicae tantum in hoc caſu laeditur, vix vrethra, quae inferius infra oſſa pubis deſcendit, cum e contrario veſicae collum a capite foetus ad oſſa pubis apprimatur. Quapropter ſi parturienti vrina catheteris ope emittitur, inſtrumentum vt plurimum facile vrethram intrat, haud raro vero reſiſtentiam, quam collum compreſſum opponit, vix vincere poteſt. Nonnunquam vagina, in partu laeſa, excreſcentiae p. 139. fungoſae omnem viam praecludunt, vt nulla euacuationum conſuetarum fieri poſſit, quo in caſu, inciſione facta, tubulum tandemque peſſarium Noſter immittit. Vidit retro hoſce fungos vrinam depoſuiſſe calculoſa concrementa, aliqua lithotomiae ſpecie eximenda. Quo autem eiusmodi concretio impediatur, ſi laeſio vaginae accidit, chirurgus curam habeat, ne ſuperficies laeſae ſe contingant.

Caput decimum tertium de placentae extractio p. 141. ne inſcribitur. Illam non ſtatim extrahit, ſed per aliquot tempus exſpectat expulſionem eius, a vi vteri ſe contrahentis praeſtandam. Si vero nullo modo procedit, tunc illam eximit, cum haec extractio, ſi ab exercitato peragitur, non tantum dolorem excitet, quantum illam excitare RUYSCHIUS putauit. Damnat tamen praecocem manus in vterum immiſſionem, quam apud Germanos praecipue in vſu eſſe aſſerit, putatque illam conamina, quibus natura ſolet placentam quaſi altera quadam partus ſpecie expellere, non imitari, ſed turbare potius, cum violenter hac ratione ea perficiantur, quae differri aliquantulum adhuc potuiſſent. Elegans omnino haec vniuerſa tractatio eſt, et multa lectu digna continet. Antagoniſmus inter fundum et orificium vteri, quem LEVRETUS poſt Auctoris tempora p. 107. vlterius explicauit, iam hic proponitur atque ex eo pro-

probatur, orificium, placenta in vtero relicta, non per-
p. 154. fecte claudi, sed facile iterum dilatari posse. Partes placentae relictae in vtero suppuratione abscedunt, illaque symptomata, quae vulgo ex iis oriri multi sibi persuadent, proueniunt ex Nostri mente ex sola inflammatione vteri, ad quam ipsa tentamina obstetricantis illarum extrahendarum vterum disponere possunt. Grumi sanguinis coagulati, qui nonnunquam in puerperis post aliquot dies exeunt, frustula placentae in vtero derelicta saepius referunt, sed in aqua calida facile soluuntur, neque ita, vt placentae frustula, foetent. Vasa placentae et vteri non anastomosi vera iungi, ex concrementis calculosis, in placentae superficie repertis, Noster probat.

p. 158. De lochiis et doloribus post partum Auctor Cl. capite decimo quarto tractat. Lochia lacteam nutritionis foetus materiam, qua omnis grauidarum sanguis abundat, continere, ex odore acido, quem illa spirant, probatur. Dolores post partum non solum grumos sanguinis, in vteri cauo collectos, expellunt, sed etiam eorum ope ex vasis vteri lacteus ille liquor aliique humores, quibus totus vterus turget, exprimitur. Hinc post partum, qui longius durauit, dolores leniores, in illis vero, qui saepius iam pepererunt et ideo breuiore labore foetus suos edunt,
p. 164. grauiores esse deprehenduntur. Decimo quinto capite de motu vteri praeternaturali siue spasmodicis contractionibus eius in foeminis, quae foetum mortuum vtero gestant, et iis, quibus menstrua non recte fluunt, hystericis etc. exponit.

p. 167. Decimum sextum caput de partu praeternaturali in genere et partu naturali, qui per accidens praeternaturalis fit, agit. Si haemorrhagia accedit in grauiditatis fine, partus vt plurimum facile protrahitur, si vero talis quinto vel sexto grauiditatis mense accedit, orificio nondum satis dilatato, paullo difficilius

hoc

hoc negotium producere ſolet. Deſcribitur vero hic a Cl. Auctore methodus, qua, digitis immiſſis, illud aperitur. In verſione ſecundum methodum, p. 168. quae a Cl. CLEMENT praeceptore ſuo in arte ob p. 185. ſtetricia Cl. PUZOS accepit, vnius tantum pedis ope foetum protrahit, neque alterum quaerit, ſed in plicam inguinis pedis nondum progreſſi digitum tantum alterius manus immittit, et ita extractionem abſoluit. Orificium vteri facillime vi, quae ab interiore parte verſus exteriora agit, cedit, et volumine pedis vna cum corpore foetus procedentis omnis via ita dilatatur, vt caput deinde facillime exeat. In conuulſionibus parturientium ſaepe ſolus partus, obſtetricantis manu promouendus, auxilium adfert; haud raro tamen, debilitatis nimium neruis, non ſtatim, foetu educto, illae ceſſant, ſed per aliquod adhuc tempus perdurant.

Caput decimum ſeptimum exponit de partu p. 177. praeternaturali proprie ita dicto. Verſionem non ſolum in ſitu peruerſo foetus et haemorrhagia, ſed etiam in vtero ſcirrhoſo, aut inſigni aquarum copia diſtento, licet caput ipſum praeuium ſit, inſtituit. Manum prolapſam retrudere impoſſibile eſſe confirmat. DEVENTERI methodum, qua ille in verſione ad impediendam contractionem vteri circa caput foetus, partu agripparum procedentis, brachia non ante caput educebat, damnat. De partu prae- p. 190. coci et abortu capite decimo octauo Auctor diſſerit, et in placenta abortus relicta omnium emmenagogorum vſum noxium arbitratur. Sequenti capite de p. 196. grauiditate ſpuria agit, et illam molae ſpeciem, quam Galli *faux germe* dicunt, a vera mola diſtinguit. Concedit tamen vtramque oriri ex foetu mortuo, ita vt veram tantum molam dicat illam, quae, foetu mortuo, in vtero per aliquod adhuc tempus ſubſiſtit, et maiora incrementa capit. Viceſimo capite de p. 213.

modo infantes faſciis inuoluendi diſputat, illumque valde noxium et ſanitati eorum aduerſum eſſe
p. 218. oſtendit. Sequens caput agit de lacte, in quo de origine qualitatibusque eius tractat, et oſtendit, quale lac in nutrice eligenda deſiderandum ſit. In grauidis iam adeſſe verum lac, ſanguini mixtum, probat ex ſanguine, grauidis venaeſectionis ope extracto, in cuius ſuperficie, ſi in patinam emittitur, verum lac obſeruari poteſt, ex vrina grauidarum, quae ſpiſſa et alba eſt, tandemque ex metaſtaſi lactea (depot laiteux), quae nonnunquam in grauidis iam obſer-
p. 225. uatur. Capite viceſimo ſecundo de delectu nutri-
p. 229. cum et viceſimo tertio tandem Noſter de vtilitate agit, quam matres, quae ipſae foetum lactant, ex hac lactatione capiunt, et de periculis, quibus ſe, dum nutrici infantem tradunt, exponunt. Maximum argumentum ex periculo, a metaſtaſi lactea timendo, ſumtum eſt, quam rem, cum inferius ſingulari libello de ea Noſter diſputat, hic praetermittimus. Nec debiliores matres ab hoc officio abſoluit, cum foemina, quae foetum per nouem menſes in vtero aluit, illum etiam, poſtquam in lucem editus eſt, alere poſſit. Addit, quod eiusmodi foeminae pluribus quoque malis obnoxiae ſint et ita maiore quoque cautione, quam aliae, poſt puerperium opus habeant. Vt alia praetereamus.

p. 239. Hunc de arte obſtetricia tractatum excipit ſingularis de morbis vteri libellus, vbi in quatuor capitibus de prolapſu inuerſione, ſcirrho, vlceribus et carcinomate vteri breuiter tantum et ob hanc ipſam cauſſam vix ſemper pro dignitate argumenti
p. 243. exponit. Cautione opus eſt, ne leuior gradus prolapſus vteri, ſiue deſcenſus eius ex relaxatione ali-
p. 248. qua ligamentorum, cui haud raro fluor albus iungitur, pro vlcere vteri habeatur. Rotunda peſſaria oblongis Noſter praefert, cum difficilius iterum pro-

prolabantur. Inter ſcirrhos vteri ii, qui iunioribus foeminis accidunt, ex Noſtri obſeruatione, vt plurimum, remediis aptis cedunt, non aeque ii, qui in illis oriuntur, in quibus menſtrua per aetatem ceſſarunt. Vlcera vtero moleſta vel ſimplicia ſeu benigna, vel fungoſa, ſeu polypoſa, vel venerea, vel tandem carcinomatica ſunt. Vidit Cl. Auctor, poſtquam ligatura partem polypi, ex vtero propendentem, ſuſtulerat, ligaturam hanc etiam partem ſuperiorem in vtero ſuperſtitem deſtruxiſſe, radice ſcilicet ſponte euaneſcente, orificioque vteri, quod antea apertum erat, nunc perfecte clauſo. p. 258. p. 270.

Sequitur de morbis infantum tractatio, in qua de praecipuis affectionibus, quibus pueruli a natiuitate vsque ad illam periodum, qua viginti dentes prodierunt, obnoxii eſſe ſolent, breuiter tantum disputat. In conuulſionibus, quae in dentitione accidunt, venam in pede ſemper optimo cum ſucceſſu ſecauit. p. 279. p. 295.

Adnexi ſunt duo commentarii, quorum primus ex volumine primo commentariorum academiae regiae chirurgicae ſumtus eſt. Diſſerit vero in eo Cl. Auctor, de iis haemorrhagiis vteri, quae grauidis moleſtae ſunt, atque egregias obſeruationes proponit, tum de illo ſanguinis fluxu, qui ex abortu imminente, vel iam facto, prioribus grauiditatis menſibus accidit, tum praecipua de eo, qui, placenta vel tota, vel ex parte tantum ſoluta, vltimis grauiditatis temporibus euenire ſolet, ſaepiusque foetui et matri exitium affert. Maximam vero attentionem ea inprimis merentur, quae Cl. PUZOS in hocce commentario contra vulgarem methodum profert, qua in haemorrhagia magna, membranis disruptis, foetu pedibus protracto, partus violenter peragitur. Quamuis enim concedat, in eiusmodi malo, ex placentae ſolutione orto, vnicum auxilium poſitum eſſe p. 321. p. 328.

in foetus ex vtero progreſſu: quo, vtero contracto, vaſorum orificia, ex quibus ſanguis promanat, claudantur; tamen probare contendit, methodum illam, qua ab obſtetricante foetus ſubito protrahitur, valde noxiam eſſe. Cum enim in illa partus ſpecie euacuatio vteri nimis ſubitanea ſit, haud raro vterus, foetu progreſſo, non contrahitur, quod malum vteri inertia vulgo dicitur, ita vt haemorrhagia perduret, et mater ex illa, vel poſt operationem, feliciter
p. 334. peractam, pereat. Iubet itaque Auctor Cl. mediam quaſi inter naturalem et violentum eiusmodi partum viam eligere, lentamque in vtero contractionem, quae vel poſt foetus eductionem perduret, excitare, quo, clauſis vaſis, fluxus quoque ſanguinis ſupprimatur. Quodſi itaque, haemorrhagia, oborta, digito, in vaginam immiſſo, cognoſcat, orificium vteri iam aliquantum dilatatum eſſe, tunc vterum in orificio digiti ope leniter irritat, quo illum ad contractionem ſtimulet. Orificii vero vteri dilatationem, hac eius contractione praeſtandam, digitis, in illud introductis, adiuuat, quo aquarum veſica deſcendere et partus naturali modo procedere poſſit. Atque hunc ipſum quoque partum magis adhuc accelerare ſtudet membranarum disruptione et aquarum effluxu, inde ſequente, quam quidem disruptionem hoc in caſu valde vtilem et ad partus felicem exitum neceſſariam eſſe, pluribus argumentis probare annititur. In vniuerſum vero omnia illa artificia, quae hic propoſuimus, eum in finem Cl. PUZOS adhibet, quo vterus ſe circa foetus corpus tanquam in naturali partu contrahat, et hoc modo haemorrhagia, clauſis ſenſim ſub ipſo partu vaſorum orificiis, ſiſtatur.

p. 341. Hunc libellum alius ſequitur, prima vice hoc in loco editus, inque tres ſectiones diuiſus, quo Auctor Cl. de *metaſtaſi lactea* (*depot laiteux*), quae vulgo *lac effu-*

effuſum (*lait repandu*) vocari ſolet, disputat. Atque hic commentarius eo magis attentione noſtra dignus eſt, quo accuratius de morbo nouo, vel antea nondum deſcripto, primum ſingulari libello Auctor Cl. egerit. Oſtendit vero primum in grauidis, et iis, quae nuper pepererunt, lac inſigni in copia praeparari et, cum reliquis humoribus commixtum, per vaſa fluere: tranſire autem illud in grauidis potiſſimum ad vterum, quo ibidem nutritioni foetus inſeruiat, poſt partum ad mammas: lactis vero praeparati copia, non ex toto per foetum in grauida aut puerpera conſumta, illud per alia corporis colatoria v. c. vna cum lochiis, ſudore, vrina, ſaliua aut excrementis aluinis eiicit, ita tamen, vt ſemper aliqua portio lactis in eiusmodi foeminis in ſanguine ſuperſit, prout in ſanguine, ex vena emiſſo, conſpici poſſit. Quodſi autem lac, vel in quodam corporis receptaculo ſtagnet, vel acidum nimium in corpore adſit, tunc in coagulum abit, peſſimaque ſymptomata producit, quae nomine *lactis effuſi* (repandu) in- P. 344.
ſigniri ſolent. In vniuerſum metaſtaſis lactea non ſemper tumorem quendam in loco, ad quem facta eſt, excitat, ſed et tunc iam adeſt, quando lac in vaſis capillaribus ſtagnat, aut in telam celluloſam, vel aliquam corporis cauitatem effuſum, deprehenditur. In puerperis vt plurimum circa decimum vel duodecimum diem fit, haud raro tamen tardius ſe manifeſtat. Vti vero omnia alia corporis loca, ita maxime abdominis inferiorem partem et extremitates inferiores afficit. Multorum quoque aliorum morborum faciem induit, ita vt exanthemata, febres intermittentes et malignas, gangraenam et paralyſin producat. Quapropter Auctor Cl. quo horum morborum indolem eo melius explicet, eos in duas claſſes, chronicos ſcilicet et acutos diuidit, atque de chronicis malis, quibus metaſtaſis lactea

originem dat, primum exponit. Horum maxima pars periculo caret, et decimo vel duodecimo die puerperii ſignis ſuis ſe prodit. Prima ex his ſpecies eſt metaſtaſis lactea, quae ad mammam fit, nec vnquam in cancrum degenerat licet, ſi in glandulo ſo mammae corpore ipſo ſedem ſuam habeat, difficulter ſanetur longiusque perduret ea, quae telam celluloſam occupat. Oritur vero vt plurimum ex lactis nimia abundantia et refrigerio, aut poſt ablactationem, quamuis et in hac ſpecie ſemper quoque peculiaris quaedam in parte, ad quam fit, diſpoſitio adſit, quae efficit, vt lac facilius ad hunc, quam ad alia corporis loca tranſeat. Altera ſpecies eſt metaſtaſis lactea, quae ad extremitates inferiores fieri ſolet. Haec primo in regione inguinali ſe dolore et tumore huius partis manifeſtat, atque ſecundum vaſorum tractum haud raro ad pedem vsque deſcendit. Atque his quidem ſignis ab oedemate diſtinguitur, cum illud non ſolum plerumque nullum dolorem excitet, ſed et ab inferiore parte pedum ſurſum adſcendat et vtrumque pedem occupet, cum metaſtaſis vnicum tantum pedem afficiat, ſaepius tamen ex vno ad alterum tranſeat. In hac, vt in praecedente ſpecie, Auctor Cl. ante omnia ſanguinis maſſam a nimia, quam continet, lactis quantitate, quae quodam in loco obſtructionem minatur, liberare tentat. Hinc plures venaeſectiones ſtatim in initio, vel ipſis lochiis adhuc fluentibus, aut ſi eo tempore neglectae fuerint, poſt aliquod tempus inſtituit, purgantibusque leniori-bus, et iuſculis diureticis primas et vrinarias vias liberas reddere ſtudet. Loco vero dolenti fomenta et cataplaſmata diſcutientia, inprimis ex foliis ebuli, adplicat, et embrocationem cum lixiuio cinerum clauellatorum quoque commendat, atque illa remedia omnia, ſi malum ad alterum locum tranſeat,

repe-

repetere iubet. Magis periculoſa eſt illa metaſtaſis, quae in regione hypogaſtrica accidit. Cum enim, doloribus in eo loco obortis, eorum cauſſa in inteſtinis vel vtero potiſſimum quaeratur; difficulter et, malo confirmato, demum cognoſcitur. Hinc ſaepius in ſuppurationem tranſit, quae fere ſemper funeſtum exitum habet, aut membri vſum plane tollit. Non ſolum enim in hac regione ſub cute et in tela celluloſa ſedet, ſed et interiores partes, maxime ligamenta lata et ouaria occupat, grauiſſimaeque deſtructionis cauſſa exiſtit. Hinc Cl. Auctor medicum, qui puerperae non lactantis curam habet, ſedulo attendere iubet ad omnes dolores, in hac parte ortos, quo illos a doloribus poſt partum, qui lochiorum fluxum promoueat, diſtinguat, ſtatimque morbum aptis remediis debellare ſtudeat. Vidit autem, vſu aptorum remediorum neglecto, aegras tamen poſt aliquod tempus, tumore iam ſe exterius manifeſtante, conualuiſſe, obſtructione illa lactea feliciter referata, materiaque ſtagnante per alia corporis colatoria educta.

Secunda huius tractationis ſectione agit Noſter p. 367. de morbis acutis, ex lactis metaſtaſi ortis, qui primis poſt puerperium diebus accidunt, et intra quintum vel ſextum poſt partum diem iudicantur. Magna in vniuerſum cautione opus eſt, ne cum febre lactea, aut doloribus poſt partum confundantur, neceſſariaque auxilia ideo negligantur, quod plerumque aegrae funeſtum eſſe ſolet. Hinc tenendum eſt, febres haſce, citius aut tardius febre lactea, oriri, grauiſſimisque ſymptomatibus, ſiccitate cutis, cephalalgia, et proſtratione virium ſtipari. Dolores vero colici, qui eiusmodi morbos praecedunt, frequentius, breuioribusque interuallis inter ſe diſtincti, accedunt conſuetis poſt partum doloribus. Lochia quoque ichoroſa quaſi ſunt. Si eiusmodi mala

iam ante puerperium adſunt, neque per illud leuantur, fere ſemper aegra perit. Neque felicior vt plurimum exitus morbi eſt, ſi ſub ſpecie inflammatoriae febris aegram ſtatim poſt partum aggreditur, in quo caſu Noſter ſaepe lacteam materiam coagulatam, in abdominis cauum effuſam, ſectione cadaueris inſtituta, detexit. In omnibus vero eiusmodi morbis venaeſectiones repetitas Noſter, lochiis etiam adhuc fluentibus, inſtituendas eſſe pluribus demonſtrat. Poteſt tamen venaeſectio omitti, ſi alia excretio v. c. diarrhoea ſpontanea accedit. Laudat praeterea purgantia et lenia diaphoretica atque diuretica. Non adeo funeſta eſt illa febris ſpecies, cum qua dolor fixus in parte quadam coniunctus eſt, v. c. pleuritis lactea etc. in qua nullum ſputum cruentum, reſpiratio non ſemper difficilis, nullum delirium, omniaque ſymptomata leuiora ſunt.

p. 377. Sub *exanthematis lactei* (*eruption laiteuſe*) nomine purpuram albam puerperarum Auctor Cl. deſcribit, quae vel benigna vel maligna eſt, ſaepiusque ex regimine nimis calido oritur. Haud raro maiores veſiculas Noſter obſeruauit, quae puſtularum variolosarum magnitudinem aequabant. Exanthema lenioribus diaphoreticis et diaeta accuratiore ſuſtinere ſuadet, euacuantia vero hoc in caſu negligit. In fine huius ſectionis de metaſtaſi lactea, quae in grauidis, licet rarius fit, disputat, quamuis ad chronica potius mala pertineat. Iam quarto vel quinto menſe accidit, nec raro hypochondria aut pedes occupat, quas in partes foetus magnam preſſionem exercet. Similia auxilia, quae in aliis ſpeciebus commendauit, etiam hic Noſter laudat, venaeſectiones ſcilicet et purgantia leniora, non neglecta topicorum remediorum adplicatione.

p. 387. Tertia huius commentarii ſectione Cl. PUZOS, de metaſtaſi lactea ad cerebrum disputat, ex qua chroni-

chronica amentiae aut maniae mala oriuntur. Accidit illa etiam decimo vel duodecimo poſt puerperium die, aut ex alia metaſtaſi, quae in alio loco orta, poſt variorum remediorum adplicationem ſubito ad cerebrum tranſit. Difficulter hoc malum ſanatur et longam medici curam exigit. Vnicum vero auxilium in euacuantium vſu poſitum eſt, venaeſectione ſcilicet et purgantibus, quae, remedia nonnunquam Noſter per quatuor menſes adhibuit. In fine huius ſectionis Auctor obſeruationes quas- P. 393.
dam de malis chronicis rebellibus, ex metaſtaſi lactea ortis, ſola naturae vi, aegra ſcilicet de nouo grauida facta, curatis profert.

Ab Editore Cl. addita eſt Gallica verſio egregiae P. 395.
diſſertationis Cel. CRANTZ *de vtero rupto*, de qua iam alio in loco ad lectores retulimus *).

*) vid. Comment. noſtr. Suppl. II. p. 372.

XIX.

Select Caſes in Surgery Collected in St. Bartholomew's Hoſpital. By J. FARMER, Surgeon. London, printed for I. Hinton, 1758. 4mai. pl. 5.

i. e.

Selectiores caſus chirurgici in noſocomio Londinenſi, quod a St. Bartholomaeo nomen habet, collecti. Auctore I. FARMER.

Libellus hic duodecim comprehendit obſeruationes chirurgicas, quae vero plane nil noui aut praecipua quadam attentione digni continent, cum vulgares ſint et tantum oſtendant, Auctorem Cl. regulas, quas chirurgicae artis theoria tradit, in praxi ſua cum iudicio adhibuiſſe. Prima vero illarum agit de ambuſtione pedum; ſecunda de contuſione integumentorum cranii; tertia de digitis fere abſciſſis, ſolius futurae ſiccae ope, perfecte iterum vnitis: quarta de carie tibiae: quinta de lithotomia: ſexta de empyemate, poſt pleuritidem nato, vbi aeger, pure educto, perfecte iterum ſanatus eſt: ſeptima et octaua de vulneribus in brachio ope globuli, e ſclopeto emiſſi, factis: nona de pure in antro HIGHMORI collecto, poſt dentis molaris extractionem educto: decima de excreſcentiis in labiis pudendi, ligaturae ope ſanatis: vndecima de fractura vtriusque femoris cum gangraena imminente, contra quam ſcarificatio magnum vſum habuit: duodecima de abſceſſu, poſt venaeſectionem, in pede non recte forte adminiſtratam, nato.

XX.

D. LAURENT. HEISTERS, *der Arztney und Wundarzney öffentlichen und erſten Lehrers in Helmſtädt etc. mediciniſche, chirurgiſche und anatomiſche Wahrnehmungen. Roſtock, verlegts I. C. Koppe*, 1753. 4 mai. Alph. 6. pl. 10. tab. aen. 8.

i. e.

LAURENTII HEISTERI, M. D. Obſeruationes medicae, chirurgicae et anatomicae etc.

Solet magnorum artificum operibus ſuum ſemper pretium ſtatui, etſi non accedant ad eam pulchritudinem, quam in praecipuis et primis quaſi eorum opificiis admiramur. Produnt enim ſemper nonnulla veſtigia ingenii et artis, qua pollent ipſorum Auctores, atque vel ob hanc, attentionem laudemque contemplantium iure ſuo poſtulant. Idem igitur iudicium etiam ferendum putauimus de hac collectione obſeruationum medico-chirurgicarum Cel. quondam HEISTERI, quam licet non ex omni tamen vel aliqua ex parte, commendandam ſuſcepimus. Quamquam enim plures in ea continentur obſeruationes, quae parui tantum momenti ſunt, cum vulgarium morborum hiſtoriam tradant, quam ſtatim excipiunt formulae, a Cl. Auctore praeſcriptae: et ratio porro, qua eae conſcriptae ſunt, oſtendat, Auctorem illas ſuae inſtructionis cauſſa, non publicam in vtilitatem litteris mandaſſe: denique fere omnes obſeruationes, quae praecipua aliqua attentione dignae eſſe videntur, vel in Actis Academiae Naturae Curioſorum, vel in aliis HEISTERI Cl. ſcriptis contineantur, atque in vniuerſum primo tantum

tantum et ſecundo huius ſaeculi decennio collectae ſint; tamen fatendum eſt, librum hunc non omni vtilitate carere. Putamus enim, chirurgos iuniores, qui initio praxeos ſuae haud raro de methodo medendi et aptis remediis eligendis dubitant, ex huius libri lectione aliquam vtilitatem capere poſſe. Ad quod accedit, quod et in tanta obſeruationum copia, quarum numerus ad 680 adſcendit, variae etiam ſint, quae maiorem attentionem merentur, neque ſatis adhuc notae nobis fuerunt, ex quibus ſequentes ſpeciminis loco indicaſſe ſufficiat.

p. 28. Eo, quo inter Batauos commoratus eſt Auctor Cl. tempore, apud Cel. RUYSCHIUM veram tympanitidem, aëre in ipſam cauitatem abdominis effu-
p. 45. ſo, obſeruauit. Adnotauit quoque ea, quae, RAVIO, lithotomiam adminiſtranti, adſtans, ex eius methodo diſcere potuit, inter quae ſitus perfecte horizontalis, in quo RAVIUS aegros collocauit,
p. 58. praecipue notari meretur. De eodem quoque RAVIO narrat, illum, ſi in herniotomia inteſtina, gangraena iam corrupta, deprehenderit, aegros ſtatim reliquiſſe, neque operationem ad finem perducere
p. 133. voluiſſe. Vulneratum vidit Noſter, in quo glans plumbea caput ita penetrauerat, vt vterque neruus opticus in fundo orbitae, oculo ipſo illaeſo, laceratus eſſet, ex qua re perfecta coecitas, ipſis oculis pla-
p. 160. ne non mutatis, nata eſt. Duos quoque vidit Auctor Cl. homines, qui, nullo morbo praegreſſo, omnium pilorum in toto corpore defluuium paſſi
p. 205. ſunt. Paralyſin quoque ſingularem in aegro quodam Noſter obſeruauit. Hic enim brachium dextrum plane mouere non poterat, erat autem ſenſus in illo ſuperſtes; facultatem vero mouendi pedem eiusdem lateris fere perdiderat. Contra autem motus in brachio et pede ſiniſtri lateris ſupererat, licet extremitates illae ſenſu omni carerent, ita vt

vulnera

vulnera, illis inflicta, nullum huic homini dolorem excitarent. In partu difficili capite praeuio perfo- p. 336.
rationem forficis ope instituit, et deinde vulgari forcipe, quae in lithotomia adhiberi solet, ad reliquam extractionem foetus absoluendam vsus est. Sectio- p. 347.
ne cadaueris foetus, qui in orificio intestini recti nullam naturalem aperturam habebat, detexit, colon tantum adesse, intestinum vero rectum plane deficere, aut potius concretum esse. Chirurgus sa- p. 571.
tis imperitus in ischuria pertinaci vesicam, supra ossa pubis tumentem, quam pro abscessu habebat, punctura eius hoc in loco aperuit, maximo cum aegrotae commodo, quae paullo post perfecte sanata fuit. Quod exemplum docet punctura vesicae hoc in loco commodissime fieri posse. In sectione p. 738.
cadaueris aegroti, qui ante obitum magnam copiam aquae florum naphae adsumserat, obseruauit Noster omnes cadaueris partes, odore huius aquae imbutas ita, vt quaecunque pars discissa odorem florum illorum de se spargeret. Ex odore liliorum alborum p. 792.
apoplexiam oriri vidit lethalem. Iuuenem, tanta li- p. 834.
gamentorum pedis laxitate laborantem, vt in solo gressu pedis saepius luxationem experiretur, externo spirituosorum vsu sanauit. Osticulum, in laryn- p. 1026.
gem illapsum, bronchotomiae ope, in qua varios annulos secundum longitudinem diuisit, feliciter extraxit aegrumque sanauit. Atque haec de obseruationibus ipsis sufficiant. Quod vero ad tabulas aeneas attinet, tenendum est, figurarum quoque in iis contentarum, maximam partem ex aliis Auctoris Cl. scriptis sumtas esse, quod inprimis de figuris anatomicis valet.

XXI.

XXI.

Obſervations on that Diſorder of the corner of the Eye, commonly called Fiſtula lachrymalis by PERCIVALL POTT, ſurgeon to St. Bartholomew's - Hoſpital. London, printed for C. Hitch and L. Hawes, 1758. 8 mai. pag. 85.

i. e.

Obſeruationes de morbo anguli oculi, fiſtula lacrymalis vulgo dicto. Auctore PERCIVALL POTT.

Oculorum morbos ob ſubtilem organi viſus fabricam maxima cum attentione diſquirendos eſſe, qua neglecta, haud paucos chirurgos in errores deduci, Cl. Auctor in praefatione monet, et accuratiorem viam in diiudicanda fiſtula potiſſimum lacrymali ingredi conatur. In ſectione prima varias opiniones proponit, quae carunculae lacrymali inprimis ſecretionem lacrymarum et ſedem huius morbi adſcribunt: cum tamen accuratius examen anatomicum doceat, lacrymarum ſecretionem in glandula fieri, easque ſua natura blandas eſſe, ſaccum autem lacrymalem veram morbi ſedem ductuumque naſa-
p. 2. lium obſtructionem eius cauſſam exiſtere. Veteres hunc morbum congeſtionem inflammatoriam, in abſceſſum procliuem, dicebant, diſcuſſione itaque non praeſtita, abſceſſum incidebant, dilatabant, vel prorſus exſcindebant; quando vero cariem ſubeſſe cognoſcebant, cauteriis callum deſtruebant et exfoliationem iuuabant, curatione autem non ſuccedente, morbum inſanabilem pronuntiabant. Recentiores, vera partium fabrica inſtructi, originem morbi

morbi in obſtructione ſacci lacrymalis quaerebant, ita, vt abſceſſus non cauſſa ſit, ſed effectus morbi, hinc obſtructiones remouere et vias lacrymales liberas reddere annituntur.

In ſectione ſecunda organa, lacrymas ſecernentia et deriuantia, breuiter deſcribit, et inprimis declarat, ſaccum non minus, quam ductus lacrymales, membrana, pituitariae ſimili, inueſtiri, per quam mucus latera inungens, ſecernitur; haec, vtpote vaſculoſa, haud raro inflammatur et craſſior fit, et ductus obſtruendo tranſitum lacrymarum impedit, quo facto mucus, ſpiſſior redditus, ibidem haeret et, dilatato ſacculo, in oculi angulo interno tumorem eleuat, ex quo preſſo mucoſus humor promanat et fiſtulam lacrymalem formari oſtendit. p. 6.

Sic quidem ſedes et cauſſa primaria in omnibus aegris conuenit, varietates tamen morbi inſignes ſectione tertia quodammodo proponuntur, et praecipue a vario gradu obſtructionis ductus naſalis, a membranae cellularis, ſaccum inuoluentis, mutationibus, a ſacci ipſius et oſſium teneriorum vicinorum laeſionibus, ab aegrorum habitu vniuerſali et a medendi ratione pendent. p. 13.

Membrana interna ex affluxu ſeri interdum craſſior redditur et canalem obſtruit, tunc vero, cute vix vitiata, tumor in angulo oculi deprehenditur, qui hernia vel hydrops ſacci lacrymalis dicitur. Morbus tunc ſine magno incommodo eſt, ſi vero cutis color mutatur, inflammatio et dolor augentur, mucus diutius haeret, tunc pus mouetur, qua occaſione Noſter in differentia muci et puris declaranda verſatur. p. 18.

Anchylopis et aegylopis differentiam ita definit. Si membrana cellularis inflammatur, et rubor vel in angulo oculi ſubſiſtit, vel ad palpebras et naſum producitur, et puncta lacrymalia maiora ſunt, materia, in ſacco contenta, libere exit, tunc p. 26.

cutis

cutis adhuc integra manet et anchylops dicitur, ſi vero puncta lacrymalia minora ſunt, vel a membrana cellulari inflammata contrahuntur, materia non libere exit, cutis in angulo oculi diſrumpitur, et aegylops oritur. Ex qua re multae deriuantur morboſae mutationes, quae ex laeſione principe pendent, vel varia alia vitia coniuncta habent, v. g. lippitudinem, ozaenam, naſi polypum, cancrum cet.

p. 30. In ſectione quarta medendi rationem demonſtrat, quae eo redit vt, obſtructione remota, lacrymis via libera concedatur, et ſi hoc fieri nequit, via artificialis paretur. Tres vero potiſſimum differentias deſcribit: dilatationem ſacci ab obſtructione ductus naſalis ſine inflammatione; inflammationem cum abſceſſu et tandem obliterationem viae cum vel ſine carie oſſium vicinarum, qua occaſione monita quaedam de methodo medendi quorundam auctorum ſubiungit.

p. 36. In obſtructione ſine inflammatione ſpecilla Anelliana nimis flexibilia iudicat et teneram fabricam laedere affirmat, ſiphunculi vero vſum in recenti morbo commendat. Machinam comprimentem FABRICII AB AQUAPENDENTE obſtructionem magis augere, quam eidem mederi affirmat, laudat vero collyrium, ex vitriolo paratum. Noua ab academia chirurgica Pariſina propoſita auxilia obiter tantum

p. 45. commemorat. Si partes inflammatae vel exulceratae ſunt, et mucus, cum pure mixtus, excernitur, ſacci inciſio neceſſaria iudicatur; haec ſatis ampla ſit et a loco, vbi palpebrae conniuent, diſtet. Scalpello curuo efficitur, quo eius apex in ſaccum immitti isque ſatis dilatari queat, vulnere, vero vt decet, depurato, via lacrymarum libera redditur et ci-

p. 50. catrice clauditur. Specillo vero argenteo, vel alia ratione via, ad nares obſtructa, interdum aperienda eſt, qua in re multa attentione in deligando opus

eſt,

eſt, quo partes tenerae ſatis quidem, attamen non vltra modum comprimantur, quo interea iniectiones mundificantes, et ſi fungoſa caro excreſcit, lapis infernalis, quem inter cauſtica potentialia maxime laudat, applicetur. Addit varia monita de ductu per totum ſanationis tempus aperto ſeruando, et de ſacco poſt ſanationem lente comprimendo, ne iterum dilatetur. p. 58.

In ſectione quinta de eo morbi ſtatu agitur, vbi viae non ſolum obſtructae, ſed etiam deſtructae et interdum oſſa vicina carioſa ſunt, tunc enim auxilium chirurgicum in noua et arte efficienda via poſitum eſt. Ita enim veteres iam, vt ex CELSI aliorumque teſtimoniis probat, viam lacrymarum ad narium cauitatem dirigebant, quoniam autem cum carie oſſium calloſitatem coniunctam videbant, hic eodem modo, vt in aliis corporis partibus, cauterio vtebantur. Quamquam vero noſtris temporibus hoc vehemens auxilium ita moderatur, vt ferrum candens per cannulam ferream tantum ad locum affectum adigatur, et CHESELDENUS aliique praeſtantiam huius operationis ex eo probant, quod, noua via facta, non facile clauditur, Noſter tamen eos ſequitur, qui inciſione ſatis ampla vtuntur, foramine poſtea ad conſtantem calloſitatem deducto. Variis inſtrumentis in perforatione vtuntur, Cl. Auctor acum triquetram ſeligit, eo enim modo os vnguis proxime poſt ſaccum perforatur, nullumque incommodum ex apertura ampla relinqui, ſi etiam totum os vnguis deſtruatur, affirmat. p. 62. p. 72.

Perforatione facta, nec cannulam, nec turundas ligneas, ſed ex filis lineis, denſe contortis, turundam immittit, quae vsque ad narium cauitatem pertingit, eamque per aliquot dies relinquit, carnisque fungoſae incrementum puluillis lineis ſiccis, preſſius appoſitis, coercet. Quando autem denſa caro ac- p. 80.

creſcit, chirurgus concretionem nouam optime auertit, ſi vel turundas, immittendas, in apice ſpiritu vitrioli imbuit, vel partes, nimis increſcentes, lapide infernali tangit. Vulnere tandem puro apparente, cerei partem immittit, quo magnitudo canalis relinquendi definiatur, externum autem vulnus, apta medendi ratione adhibita, cicatrice firma claudit.

XXII.

Inſtitutes of Experimental Chemiſtry: being an Eſſay towards reducing that branch of Natural Philoſophy to a regular Syſtem. By the Author of the Elaboratory laid open, etc. Volume I. London, printed for J. Nourſe, 1759. 8. Alph. 1. pl. 11. Volume II. Alph. 1. pl. 7.

i. e.

Inſtitutiones chemiae experimentalis, quae tentamen ſiſtunt, ad cuius normam pars haec philoſophiae naturalis ordine ſyſtematico pertractari poterit. Ab Auctore elaboratorii aperti etc. Vol. I. et II.

Quantum ex praefatione videre licet, librum hunc tanquam introductionem in chemiam philoſophicam, quae experimenta, ſyſtematice coordinata, continet, conſiderandum eſſe, Noſter cupit. Quod ad ordinem tractationis attinet, primo Cl. Auctor de natura chemiae experimentalis agit, deinde indolem et proprietates corporum conſiderat, quae auxilia praebent, per quae diuerſi fines obtineri poſſunt; porro de vniuerſali applicatione

tione indolis et proprietatum corporum ad obtinendum finem vniuerſalem chemiae experimentalis, tum autem inſtrumenta et ſupellectilem chemicam deſcribit, tandem de operationibus generalioribus exponit. Praemiſſa hac conſideratione, quae tanquam theoretica pars huius libri conſiderari poterit, ad diſquiſitionem corporum naturalium progreditur Cl. Auctor, ac primo quidem de terris agit, deinde ſalia et ſalinas ſubſtantias conſiderat, porro de animalibus ſubſtantiis exponit, quae cuncta in priori tomo continentur, in poſteriori autem tomo de vegetabilibus, vltimo de mineralibus agit, atque ſuper his omnibus experimenta et animaduerſiones communicat.

Obiectum chemiae experimentalis ex Noſtri ſententia vel compoſitio ſubſtantiarum magis ſimplicium et elementarium, vel analyſis, ſeu, vt Noſter dicit, *decompoſitio* corporum compoſitorum, vel demum mutationes conditionum ſenſibilium corporum, per artem productae, praebent. Finis chemiae in diſquirendis et detegendis partibus conſtitutiuis corporum compoſitorum, itidemque diſquirendis et detegendis auxiliis, generationi vel diſſolutioni corporum inſeruientibus, atque qualitatibus ſpecificis ſubſtantiarum elementarium et compoſitarum conſiſtit. Auxilia duplicis generis ſunt: vel enim ea naturales corporum proprietates et qualitates ſuppeditant, quae per mutuam corporum applicationem eo disponuntur, vt deſideratos effectus edant, vel ab inſtrumentis obtinentur, quae ita per artem adaptantur, corporibusque applicantur, vt haec ipſa rite in ſe inuicem agere queant. Subiecta chemiae quaeuis corpora naturalia dant, quae ita obtineri poſſunt, vt operationibus neceſſariis ſubiici ſe patiantur. Proprietates corporum naturales, per quas effectus producuntur, ſunt grauitas, Tom. I. p. 1.

vel vis attractrix vniuerſalis, vires attractrices ſpecificae, ſoliditas, fluiditas, calor, inflammabilitas, volatilitas, fixitas, vitreſcibilitas, putredo et fermentatio.

p. 70. Compoſitio corporum, ſeu generatio per vires attractrices ſpecificas ſubſtantiarum, inter ſe inuicem commixtarum, obtinetur, analyſis vero, ſeu *decompoſitio* per calorem, ſeparationem, combuſtionem, putrefactionem et fermentationem producitur. Mutationes demum qualitatum ſenſibilium absque habito reſpectu ad compoſitionem vel diſſolutionem, vel ad fluiditatem et ſiccitatem corporum, vel ad texturam, vel ad denſitatem et raritatem vel ad colores, vel ad vitreſcibilitatem, vel ad formam ſalium aliorumque corporum cryſtallinam et ad formam irregularem, compoſitis quibusdam corporibus propriam, ſpectat.

p. 83. His expoſitis, inſtrumenta artis mechanica Noſter conſiderat, et inprimis de vaſis deſtillatoriis, ſublimatoriis, phialis, filtris, infundibulis ſeparatoriis, lutis, vaſis, cupellationi auri et argenti, nec non calcinationi mercurii inſeruientibus, crucibulis, mortariis et furnis agit.

p. 166. Conſideratis inſtrumentis, operationes et encheireſes, in inſtituendis operationibus obſeruandas, disquirit, et de combinatione, ſeparatione, digeſtione, coctione, exſiccatione, deſtillatione, ſublimatione, ſolutione, fuſione et calcinatione agit, hasque tanquam generaliores operationes conſiderandas et absque vllo diſcrimine reſpectu corporum tam diuerſorum inſtituendas eſſe, autumat. Alias autem operationes, vt cryſtalliſationem, caementationem, cupellationem et fermentationem, pro ſpecialioribus habendas, cum aliquibus tantum corporibus ſuſcipi, nec vbique valere, monet. Alias tandem, vt triturationem, decantationem et percola-

colationem, mechanicis fundamentis niti, et, licet ad chemiam proprie non pertineant, maxime tamen neceſſarias eſſe, innuit.

His itaque praemiſſis, ſic dictos proceſſus acp. 225. ſtatim ab initio eos tractat Cl. Auctor, qui ad terras ſpectant. Terrae in vniuerſum in tria genera diuiduntur, nimirum in terram organicam, id eſt, quae ope vis vitalis animalium et vegetabilium, cum aliis ſubſtantiis coniuncta, partes organicas formant, deinde in terram metallicam, quae cum phlogiſto coniuncta, metalla generat, tandem in terram lapideam, quae quidem ad producendos lapides, neque tamen vnquam ad formandas partes animalium et vegetabilium apta eſt. Terra organica, vt Noſter putat, vnius eiusdemque indolis eſt, terrae metallicae vero indoles diuerſa dicitur, totque forſan terrae ſunt, quot numerantur metalla. Lapideae demum terrae triplicis generis ſunt, aliae nimirum vitreſcibiles, aliae calcareae, aliae tandem apyrae vocantur. Primam ſpeciem terrae ab omnibus diſtingui, dicit Noſter, quod igne, plus minus intenſo, in vitrum abeant. Verum eiusmodi terras, ſi purae ſint, absque additamento in vitrum non abire, monemus; et licet in ſexto proceſſu ad experientiam prouocat, qua demonſtrare annititur, ſilices calcinatos absque additamento in vitrum, imperfectum tamen, abire, terram autem, ſeu lapides, quos impendit Noſter, puros fuiſſe dubitamus. Haecce terra, vitreſcibilis nominata, vt Noſter aſſerit, baſin ſuppeditat ſilicibus, argillae, terris figulinis, bolis, terrisque ſigillatis, qua in re nos, per experientiam edocti, Cl. Auctori ſuffragamur. Immo baſin ſchiſto, ardeſiae tegulari, et molybdaenae praebere, autumat. Terrae calcareae eae ſunt, quae baſin diuerſorum lapidum, per calcinationem in calcem abeuntium, ſiſtunt. Ineſt haecce

terra ſpato, marmori et lapidi ſic dicto calcareo. Quid? quod ſtalactiten ad haſce terras referri poſſe, Noſter aſſerit. Apyrae demum terrae ſunt, quae nullam fere ab igne patiuntur mutationem. Ad has a Noſtro referuntur creta et margae ſpecies, terra Tripolitana, creta cimolia, mica et ea terra, quae baſin iis lapidibus praebet, qui calcinationem reſpuunt, vt asbeſtus, lapis ſerpentinus etc. quibus praemiſſis, proceſſus quosdam ad illuſtrandum communicat, de quibus vero, cum notiſſimi iam ſint, decerpere nihil placuit.

p. 257. Ad ſalia cum Noſtro progredimur: haec in ſenſu proprio ſumta, ea dicuntur corpora, quae ab aqua ſoluuntur, quaeque, ſi ab aqua calida ſoluta ſunt, hac frigefacta, in ſolidum corpus pellucidum definitae figurae abeunt. Acida, quae ab aliis pro ſingulari genere ſalium habentur, ad ſalia a Noſtro non referuntur, ſed ex eius ſententia ad elementa ſalium pertinent. Elementa autem ſalium ſunt acida, ſubſtantiae inflammabiles et terrae. Ex his omnia ſalia compoſita eſſe, Noſter bene aſſerit. Quae ad ſalia proprie ſic dicta pertinent, in quatuor genera diuiduntur, ſuntque ea 1) alcalia; 2) alcaleſcentia, 3) ſalia media; 4) ſalia aceſcentia. Alcalia ſunt, quae coniunctionem cum acidis amant, atque colorem rubrum tincturae ligni Braſilienſis aliorumque vegetabilium in purpureum mutant, ſyrupumque violarum coeruleum viridi colore tinguntur, haecque in fixa et volatilia rurſus diuiduntur. Alcaleſcentia dicuntur, quae ex alcali et acido oriuntur, ita tamen, vt ad indolem alcalium vergant, ſimilesque effectus edant, et violarum v. g. ſyrupum colore viridi tingant. Ad eiusmodi ſalia boracem, tartarum ſolubilem et ſal iſtud, quod ex arſenico et alcali fixo producitur, Noſter refert. Media ſalia, vt notum iam eſt, vocantur, quae ex acidis

acidis et alcalinis producta, tales ſubſtantias praebent, quae neque characterem acidi, neque characterem alcali vltro oſtendunt. Haec vel vera ſalia media ſunt, id eſt, quae ex acido et alcali fixo producuntur, vel ſalia ammoniacalia, quae ex alcali volatili et acido generantur, vel ſalia media terrea, quorum baſis terra mineralis eſt, vel demum ſalia media metallica, quorum baſin metallica corpora praebent. His ſalia media vegetabilia, aceſcentia, accenſenda eſſe, Noſter monet, quae, cum a natura ſecundum leges, a praecedentibus diuerſas, generentur, ad claſſes hactenus recenſitas, vt putat Cl. Auctor, referri nequeunt, ſed propriam claſſem conſtituunt. Omnia haecce ſalia obiecta praebent, quibuscum varia experimenta inſtitui poſſunt. Operationes, quae huc ſpectant, ſunt incineratio vegetabilium et ſubſequens ſolutio, depuratio et exſiccatio, deinde deſtillatio et rectificatio, porro alcalium cum acidis coniunctio, tum attractio acidi aerei a matricibus alcalicis. Omnes hae operationes ad ſalia pertinent, quae pro naturalibus habenda non ſunt. Aliae operationes, quae ad mutationem ſalium in ſalia alius naturae ſpectant, ſunt caementatio, ſaliumque commixtio. Alia operatio, per quam ſalia ad recuperandam figuram propriam disponuntur, cryſtalliſatio eſt. Alia demum operatio, quae ad analyſin ſeu *decompoſitionem* ſalium pertinet, in calcinatione et ſeparatione conſiſtit. Cuncta haec Cl. Auctori experimentis ſatis notis illuſtrare placuit.

Ad animales ſubſtantias tranſit Noſter, quarum p. 363.
partes conſtitutiuas terram organicam, phlogiſton, aquam et acidum eſſe, oſtendit. Eadem etiam elementa in vegetabilibus reperiri, ideoque tum haec, tum animalia ex iisdem componi, eademque in omnibus partibus animalium vnius eiusdemque

indolis esse, ideoque partes animales omnes per putrefactionem et combustionem in substantias vnius eiusdemque naturae abire, autumat. Analysis seu *decompositio* substantiarum animalium et vegetabilium, vt Noster putat, ab ipsa natura per putrefactionem praescripta est. Per hanc analysin nexus substantiarum animalium et vegetabilium destruitur, elementorum tamen separatio plenaria per eandem non obtinetur, siquidem nouae combinationes producuntur, sola terra excepta, quae in statum simplicem redigitur. Substantiae, in quas omnes partes animalium abeunt, sunt salia alcalina volatilia, olea aetherea, terra, aqua et vapor, nunquam condensandus. Omnes hae substantiae, etiam terrae maxima pars, aliqua excepta, colligi nequeunt, siquidem corpus animale, per putrefactionem destruendum, aeri liberiori exponi debet, qui vero dissipationem per euaporationem excitat. In analysi, quae per combustionem fit, quoque putrefactio festinata, seu praecipitata dicitur, substantiae memoratae eodem modo se habent, praeter id, quod mutua earundem relatio mutetur, atque oleum illud cum acido nitri aereo, seu acido nitri additi coniunctum, dissipatur. Praeterea quoque oleum piceae consistentiae ope caloris producitur, qui istud citius transire cogit, antequam in statum illum aethereum mutetur, qui ad euaporationem per putredinem necessarius est. Ob eandem rationem maior terrae portio per combustionem obtinetur, cum oleum transeat, priusquam cum terrea connubium ad producendum sal alcalinum volatile ineat. Reliquae substantiae, vt in putrefactione fit, dissipantur, excepta pauca portione olei picei et salis volatilis, quae ope camini perlongi similisque instrumenti retineri possunt. Durante combustione, fluidum superfluum primo euaporat, postmodum

sal

ſal volatile cum oleo abit; oleum quod nunc in ſtatu aethereo eſt, cum acido nitroſo aereo ſe, vt Noſter ſaepiſſime dicere ſolet, *commenſtruat*, atque cum hoc ſubitiſſime fiat, in corporibus *commenſtruantibus*, ſub qua voce Cl. Auctor affinia corpora intelligit, calor lucens producitur, qui flamma vocatur. Aliqua tamen ſubſtantiae inflammabilis pars relinquitur, quae, cum terra coniuncta, per hanc et per acidum quoddam fixa redditur. Haec ſubſtantia carbo nuncupatur, qui non niſi in aere libero ope accedentis acidi aerei nitroſi perfecte comburi poteſt. Quod ad analyſin ſubſtantiarum animalium in vaſis occluſis attinet, eaedem ſubſtantiae, quae in combuſtione, in conſpectum veniunt. Obtinentur nimirum aqua atque partes illae cum terra, quae oleum et ſal conſtituunt, aliqua phlogiſti pars, cum terra coniuncta, in carbone relinquitur, qui in vaſis occluſis nullam vltro mutationem patitur. Caeterum quoque partes animalium praeter combuſtionem et putrefactionem alio modo ſeparari inque partes reſolui poſſunt. Haec vero *decompoſitio* ad naturam animalium, in vniuerſum conſideratam, non pertinet, ſed ſingulis partibus propria eſt. Sic in partibus durioribus analyſis quidem generalis, quae fit per combuſtionem et putrefactionem, atque omnibus ſubſtantiis animalium communis eſt, valet, ſed in iisdem quoque partialis quaedam analyſis locum habet, quae in eductione ſubſtantiae conglutinantis per coctionem conſiſtit, qua educta, partes molliores et friabiliores euadunt. Interdum analyſis ſeu *decompoſitio* prorſus ſingularis deprehenditur, eaque non ad partes organicas, ſed ad ſubſtantias ſpectat, quae partes animalium ob diuerſos humores ſecretos varias reddunt, et eam ob cauſſam ibi depoſitae eſſe videntur, quod ad peculiarem indolem animalis pertinent. Operationes

igitur, quae praeter vniuerſales illas, omnibus partibus communes, hic locum habent, ſunt reſpectu partium molliorum et minus durarum coctio, quae ad educendum gluten animale adhibetur; deinde reſpectu oſſium ſolutio in aceto vel acido nitri et ſalis; tandem reſpectu ſubſtantiarum, quae non organicae ſunt, ſolutio per ſpiritum vini, lixiuia alcalina, vel aliud menſtruum conueniens praeſtanda. Omnes has decompoſitiones, generales aeque, ac ſpeciales, per experimenta illuſtrata deprehendimus.

p. 411. Fluidas animalium partes itidem *decompoſitionis* obiectum ſiſtere, Noſter oſtendit. Sic *decompoſitio*, quae ſanguini, ex vena miſſo, propria eſt, per ſolam quietem vel per agitationem baculi aliusque inſtrumenti ope praeſtandam, vel per acida, ſalia et alia corpora addita obtinetur. *Decompoſitio*, vrinae propria, quae ad ſolam ſeparationem ſalis eiusdem ab aliis partibus pertinet, per cryſtalliſationem, praemiſſa euaporatione, praeſtatur. *Decompoſitio*, bili propria, per addita acida, et *decompoſitio*, lacti propria, per ſolam quietem, per ebutyrationem, per coagulationem, acidorum ope praeſtandam, et per coctionem cum alcalinis ſalibus fixis obtinetur. Generalis vero fluidorum animalium *decompoſitio* per deſtillationem et per incinerationem, praemiſſa euaporatione, inſtituitur. Quod tandem ad ſubſtantias, quae huic illiue animali propriae ſunt, e. g. ad ſeparandum acidum, in formicis deprehendendum, attinet, quaeuis earum peculiarem operationem poſtulat, quae ad generaliores regulas inſtitui nequit. His in genere conſideratis, experimenta ſubnectit Noſter, per quae dicta illuſtrare ſimulque oſtendere annititur, quemnam vſum eadem in re medica aliisque diſciplinis habeant.

At

At vero, experimenta quoque, cum excremen- p. 481.
tis animalium inſtituta, refert Cl. Auctor, id-
que eum quidem in finem, quo pateat, quaenam
ſit ſalium natura, quae per decompoſitionem ex-
crementorum obtineri poſſint. Sic ex hominum
excrementis per ſolutionem in aqua, percolatio-
nem, euaporationem et cryſtalliſationem ſalem ex
obſeruatis HOMBERGII oſtendit Noſter, qui ſali-
bus tartareis, nitroſis dicit HOMBERGIUS, ſimi-
lis cum flamma rubra comburitur, et deſtillatus
aquam ſaporis acris acidi, nec non oleum fuſcum
odoris fortis empyreumatici praebet.

Tranſeamus ad alterum tomum, in quo Cl. Tom. II
Auctor experimenta, cum plantis et mineralibus in- p. 1.
ſtituta, tradit. Experimenta haec cum parti-
bus plantarum ſolidioribus organicis, fibroſis nimi-
rum, quae in omnibus plantis, licet reſpectu tex-
turae, denſitatis, tenacitatis, duritiei etc. differant,
ratione indolis tamen eaedem ſemper ſunt, deinde
cum ſolidioribus aliis non organicis, quae in non-
nullis plantis partem propriam conſtituunt, et in
variis generibus eorumque ſpeciebus omnino diffe-
runt, porro de ſuccis plantarum, tum de ſalibus
earundem, poſthac de ſubſtantiis gummoſis, iam
vero de ſubſtantiis inflammabilibus, vltimo de aci-
dis plantarum natiuis Cl. Auctor inſtituit. Opera-
tiones ipſae, vel in decompoſitione plantarum per
calorem et putredinem, vel in ſeparatione partium
a ſe inuicem, vel in combinatione earundem mutua
et coniunctione cum aliis corporibus alius indolis,
vel demum in variis mutationibus, quae absque
additamento vel decompoſitione in colore earun-
dem, nec non ſpiſſitudine et tenuitate aliisque con-
ditionibus producuntur, conſiſtunt.

Quod

p. 52. Quod ad fibroſas vegetabilium partes attinet, raſuram ligni cuiusdam per aliquot horas coxit, coctum poſtea, aqua affuſa, cum lixiuio ſaponariorum rurſus coctioni, per aliquot horas ſubiecit, atque, lixiuio effuſo, raſuram coctam aqua ſimplici pura aliquoties eluit, tandem exſiccauit, ſiccatamque, retortae commiſſam et deſtillatam, aquam aciduſam, oleum tenue et craſſum, nec non carbonem dediſſe, qui in aere libero combuſtus, terram, animalium terrae organicae ſimilem, exhibuerit, perhibet. Haſce partes pro partibus vegetabilium propriis habendas eſſe, monet.

p. 56. Experimenta, quae Cl. Auctor cum ſuccis plantarum fecit, oſtendunt, ſuccos plantarum aquoſos ex ſubſtantiis ſalinis vel gummoſis, cum aqua et interdum cum acido vegetabili coniunctis, compoſitos eſſe, ſuccos autem plantarum lacteſcentes ex ſubſtantia gummoſo-reſinoſa conſtare, et ſuccos demum inflammabiles, ſeu, vt Noſter dicit, ſulphureos, qualem ſic dictum *toxicodendron* praebere dicitur, per inciſionem ex arbore fluere, et pro ſucco admodum venenato habendum eſſe; cum quibus vero reſpectu partium componentium nullum experimentum inſtitutum deprehendimus. Hiſce experimentis eadem ratione alia ſubiungit Noſter, per quae oſtendit, quomodo ſalia, gummata et ſubſtantiae inflammabiles ex plantis educi, eademque decomponi et vario modo cum aliis corporibus componi poſſint.

p. 239. Tandem quoque experimenta, cum ſubſtantiis metallicis capta, Cl. Auctor communicat, inque his ita verſatur, vt conſiderationi generaliori, de metallicis corporibus praemiſſae, primo ea experimenta adnectat, quae ad ſeparationem metallorum et minerarum per elutriationem, vel per amalgamationem a ſubſtantiis lapideis aliisque, poſthac ad

vſtu-

vſtulationem minerarum earundemque reductionem, porro ad calcinationem metallorum et calcinatorum reductionem, tandem ad combinationem inter ſe inuicem et ad coniunctionem cum aliis corporibus, rurſusque ad eorum ſeparationem, per praecipitationem obtinendam, pertinent. Quibus expoſitis, experimenta, cum ſingulis metallis inſtituta, apponit Noſter, ita tamen, vt non ſolum proceſſus inſtituendos deſcribat, ſed inſimul oſtendat, quemnam vſum metalla, varie mutata in hac, vel illa arte praeſtare poſſint.

Haec ſunt praecipua, quae ordinem tangunt, ad quem librum ſuum compoſuit Cl. Auctor. Miramur autem omnino, cur magni nominis vir BOERHAAVIUS, qui in chemicis ſuam certe laudem meretur, a Cl. Auctore tam acerbe vituperetur. Non ſolum enim in praefatione, ſed per totum librum Viri huius manes turbatos eſſe, deprehendimus. Scimus equidem BOERHAAVIUM hominem fuiſſe, et interdum errare potuiſſe, errores tamen, quorum BOERHAAVIUS a Cl. Auctore accuſatur, vel leuiſſimos et flocci pendendos eſſe, vel adeo pro erroribus nunquam habendos, animaduertimus. Immo, quod maxime mirandum eſt, Noſtrum, qui in BOERHAAVIUM tam grauiter inuehitur, ad methodum tamen Cel. iſtius Viri proceſſus fere communicare, videmus. Caeterum librum hunc vtilitatem aliquam praeſtare poſſe, nunquam vero BOERHAAVII chemiam ſuperare, multisque adeo ſcriptis chemicis poſtponendum eſſe, nos ipſi chemici omnino fatemur.

XXIII.

XXIII.

A natural and hiſtorical Account of the Islands of Scilly; deſcribing their Situation, Number, Extent, Soil, Culture, Produce, Rarities, Towns, Fortifications, Trade, Manufacture, inhabitants etc. and laſtly a general Account of Cornwall. By ROBERT HEATH. London, printed for R. Manly and H. S. Cox, 1750. 8. Alph. 1. pl. 7. tab. aen. 2.

i. e.

Deſcriptio phyſica et hiſtorica inſularum Silurum, in qua ſitus, numerus, magnitudo, ſolum, cultura, producta, res memorabiles, vrbes, munimenta, mercatura, opificia ibidem manu facta et incolae illarum deſcribuntur. Addita eſt deſcriptio generalis Cornubiae. Auctore ROBERT HEATH.

Quamquam Silurum inſulae, quae non longe ab extremo Cornubiae promontorio remotae ſunt, ob ſitum peculiarem, multasque res naturales ſingulares, quae ibidem deprehenduntur, omnino diſquiſitioni cultoris hiſtoriae naturalis dignae eſſe videntur; nobis tamen res in hoc, de quo iam agimus, libro contentae, vſum admodum magnum haud praeſtare, minimeque deſiderio noſtro ſatisfacere videntur. Auctor vero huius libri, per aliquot annos inter duces fuit militum Anglicorum, ad harum inſularum praeſidium miſſorum, atque cognitionis hiſtoriae naturalis plane expers eſſe videtur. Quae autem in hoc libro ad hiſtoriam Cornubiae Silurumque

que insularum, nec non ad vsum nauigantium spectant, maiorem forte vtilitatem aliis praestabunt. Nobis tantum ea vtilia esse possunt, quae ad geographicam harum insularum cognitionem pertinent, aër et clima illarum sanitati incolarum maxime conducunt, ita vt pauci tantum morbis laborent, et Auctoris temporibus, ne vnicus quidem medicus in omnibus hisce insulis reperiretur, licet incolarum numerus ad 1400 adscenderet. Solum lapidibus abundat, cum hae insulae tantum scopuli sint, e mari exsurgentes, interim tamen annonam optimam maximeque satis magnam hordei copiam gignit. Minerae stanni, ob quas olim hae insulae adeo celebres fuerunt, nunc neglectae iacent, venis metallicis exhaustis. Contra magna, qua hae insulae abundant, piscium auiumque rariorum varietas latissimum cultoris historiae naturalis disquisitioni campum aperit. Quae de Cornubiae historia naturali, fodinis stanni et plantis Noster habet, ea fere omnia ex aliis sumta atque valde manca et imperfecta sunt, ita vt hoc libro, inprimis post Cl. BORLASE labores, de quibus alio loco dicendum erit, plane carere possimus.

XXIV.

A mechanical Account and Explication of the hyſteric paſſion, under all its various ſymptoms and appearances. And likewiſe of all ſuch other diſeaſes as are peculiarly incident to the ſex. To which is added an Appendix, being an diſſertation on cancers in general, but more eſpecially ſuch as happen in the breaſts of women. By CHARLES PERRY, M. D. London, printed for Shuckburgh, Osborne, David and Reymers, 1755. 8. Alph. 1. pl. 3.

i. e.

Mechanica relatio et explicatio morbi hyſterici, eiusque ſymptomatum et phaenomenorum, nec non omnium aliorum morborum, quibus mulieres praecipue obnoxiae eſſe ſolent. Addita eſt appendicis loco diſſertatio de cancro in genere, et in ſpecie de illo, qui in mammis mulierum accidere ſolet. Auctore CAROLO PERRY, M. D.

Habet profecto hic liber Auctorem eum, qui non optimo modo atque ordine aut facili et plana ſatis ratione proponere cogitata ſua, didiciſſe videtur, ita vt eius lectio lectorem non magna iucunditate afficere aut tenere poſſit. Multorum vero annorum itinera per varias Europae partes et regiones, verſus orientem ſitas, ſuſcepit, variaque iam alias hiſtorica et medica ſcripta edidit. Continetur in hoc libro tractatio de morbis neruorum omnibus

non

non tantum de hysterico malo. Initio operis de morborum neruorum caussis agit, easque in deprauata mixtione fluidi neruei, ex dyscrasia humorum vniuersali oriunda, sitas esse ostendit. Proxima vero caussa est motus horum spirituum intestinus inordinatus. Exponit deinde de conuulsionibus, epilepsia, paralysi, lethargo, tremore neruorum, vertigine, phrenitide, mania, hydrophobia, in qua remedium Cl. NVGENT reiicit, et saliuationem ope mercu- p. 119. rii sublimati corrosiui, in spiritu vini soluti, excitare iubet, porro de cephalalgia in vniuersum & neruosa cephalalgia in specie, chorea S. Viti, morbo hypochondriaco, gutta serena, surditate, malo hysterico, chlorosi, menstruorum vitiis, fluore albo et furore vterino, tandemque de grauidarum et puerperarum morbis. In omni hac tractatione magnam formularum medicinalium copiam tradit, et inprimis heroicis medicamentis delectatur. Argentum viuum, aurum mosaicum, antihecticum POTERII, calomel, et sulphur antimonii auratum saepius adhibet. Quae de cancro in appendice habet, maxi- p. 317 me ad vsum mercurialium et causticorum spectant, quorum virtutem multum extollit. Nonnunquam tincturam martis MYNSICHTI cum vnguento basiliconis adplicauit. In scirrho confirmato emplastrum, ex terebinthina et spiritu salis ammoniaci paratum, laudat, vt alia taceamus.

XXV.

A critical enquiry into the preſent ſtate of Surgery, by SAMVEL SHARP. F. R. S. and Surgeon to Guy's Hoſpital. the third edition London printed for I. and R. Tonſon and S. Draper. 1754. 8. mai. pl. 21.

h. e.

Examen modernae chirurgiae Auctore SAMVEL SHARP.

Inter praeſtantiſſimos Angliae chirurgos Cl. Auctorem merito referendum eſſe, libelli ab eo editi, euincunt; non tantum enim de praecipuis operationibus chirurgicis in ſingulari tractatu, ante plures annos edito, ſuccincte quidem, attamen accurate egit, ſed in hoc quoque libello multa monita addidit, quae priorem illuſtrant. Negligentiae itaque culpam incurreremus, niſi in ſupplementis quaedam inde decerpta proponeremus. * Sub examen autem vocauit Noſter placita nonnullorum chirurgorum et fallacia eſſe ſaepe oſtendit, paſſim quoque enchireſes minus cognitas addidit.

In capite primo de herniis veris egit omnesque earum ſpecies, inprimis medendi rationes diiu-
p. 3. dicauit. Vtplurimum quidem extenſum peritonaeum, vt ſaccus hernioſus, prolapſas partes excipit, obſeruauit tamen Noſter inteſtina et omentum interdum intra tunicam vaginalem et proxime ad teſticulum acceſſiſſe, quod ſine ruptura peritonaei accidere haud potuiſſet. In bubonocele conſideranda tunicam vaginalem, quatenus ſpermatica vaſa inuoluit,

* Quarta editio 1761. prodiit, in qua tamen nec correctiones, nec augmenta deprehendimus.

inuoluit, a tunica vaginali, teſticulum cingente, diſtinguit, hasque partes ſepto quaſi ſeparatas eſſe monet. Si partes elapſae iterum reduci poſſunt, perizomate applicato, retinentur, varias tamen methodos veterum, quibus veram ſanationem aſſequi tentarunt, commemorat, et ſuturam regiam emendatam ſuadet, qua proceſſus peritonaei cum cute ipſa coniungitur. p. 9.

In inflammatione imminente praeter venae ſectiones largas et clyſmata etiam, ex fumo tabaci parata, de epithematibus emollientibus, ſtricturam annuli relaxantibus, diſſerit, refert vero ſimul, nonnullos recentiores chirurgos, qui noxam ex applicatis calidis ſaepe cognouerunt, aquam frigidam, reprimente vi praeditam, ſuaſiſſe, et hoc quidem cum optimo curationis ſucceſſu. Attamen et hanc experientiam fallacem Noſter iudicat, quod per frigida applicata inflammatio magis augetur, quam reprimitur; quoniam autem febris continua, vt totum corpus, ſic has quoque partes collapſas reddit, repoſitionem interdum facilius ſucceſſiſſe concedit. p. 19.

Quemadmodum vero fortiora purgantia, herniosis propinata, nocent, ſic leniora et partitis doſibus exhibita, non ſine fructu applicari poſſe oſtendit. p. 21

Poſtquam de ſitu aegri, cui hernia reponenda eſt, et de enchiriſibus in reducendis partibus prolapſis egit, ſimulque monuit, non tantum in contractione, ſed etiam in extenſione muſculorum abdominis, aegro ita diſpoſito, vt, cruribus eius ſuper humeros validi hominis ſuſpenſis, caput illius deorſum pendeat, repoſitionem tentari poſſe et debere, ad operationem ipſam deſcribendam accedit. Quousque haec differri poſſit, non ſatis certo definitur. Differri forte poterit, ſi omentum in hernia ſimul comprehenſum eſt; eo enim non ſolum inteſtinum p. 25

a nimia ſtrictura defenditur, ſed illud quoque, preſſionibus reiteratis, mole quodammodo imminuitur, ideoque repoſitio facilius ſuccedit. Dolendum tamen eſt, diagnoſin epiploceles et enteroceles, inflammatione iam imminente, admodum ambiguam eſſe. De dilatatione annuli ſurſum et extrorſum pollicis longitudine efficienda exponit, inuenta in hunc vſum inſtrumenta parum commodi afferre monet, inteſtinis potius manu ſiniſtra repreſſis, ſcalpello curuo, cuius apex obtuſus eſt, inciſionem tuto fieri poſſe oſtendit. Cogitarunt quidem nonnulli de tutiori annuli dilatatione ante inciſionem ſacci hernioſi efficienda, quod inteſtina tunc laedi nequeunt, eam vero ideo improbat Cl. Auctor, quod tunc ſaepius partes elapſae et iam gangraenoſae ante perluſtrationem in abdomen reducantur, dilatationem quoque minus neceſſariam eſſe, ſi, aperto ſacco, elapſae partes apte reduci poſſint. In dilatando annulo laeſionem arteriae epigaſtricae non timet Noſter, cum ea propius ad lineam albam excurrit, & profundiori loco ſita ſit, huius etiam vel ſimilis arteriae laeſionem filo mediante acu curua inducto, protinus ligari poſſe aſſerit.

p. 32. De ſufficienti tamen annuli et ſacci, ad annulum conſtricti, dilatatione ſedulo cogitandum eſt, quod ſaccus hernioſus ad annulum nimis anguſtus inteſtina prolapſa ſaepius ſtringit, et interdum, quanquam rarius, ſaccus cum inteſtinis conſtrictis in abdomen regreditur, ideoque ſymptomata etiam poſt regreſſum perdurant.

p. 35. Omenti partem corruptam ſine ligatura praeſcindi poſſe nullamque inde haemorrhagiam metuendam eſſe vrget Noſter, cum ligatum ſaepe inteſtinum colum et ventriculum ex vero ſitu deorſum trahat, ſine attentione tamen praeſcindendum non eſt, cum interdum, niſi antea euoluatur, aliqua

pars

pars inteſtini inuoluta ſimul praeſcindatur. Mittimus alia, quae de gangraena corruptis partibus praeſcindendis et de vlteriori curatione ſubiungit et ad herniam femoralem progrediamur. Haec in foeminis frequentior eſt, non vero, vt multi putant, ob latitudinem peluis, ſed ideo frequentior preſſio ad deſcenſum vaſorum femoralium fit, quoniam ligamenta ſic dicta rotunda ſtrictius ad annulum adhaerent, quam faſciculus vaſorum ſpermaticorum in viris, in quibus itaque herniae inguinales frequentiores ſunt.

In vera exomphali curatione, reductis partibus prolapſis, ligatura circularis, vel potius duplex ex medio pertuſo ſurſum deorſumque ducta conuenit, ſic enim ligata pars integumentorum et ſacci ſeparatur, et inferius firma fit cicatrix. Hanc curationis rationem nunquam ſuaderet Noſter, ſi hernia vmbilicalis ſemper perizomate coerceri poſſet, quod, quam difficile ſit, omnes ſciunt. Si autem, imminente inflammatione, ad operationem deueniendum eſt, cruciata inciſio Cl. Auctori diſplicet, qui ſatius eſſe ducit per cutim et ſaccum hernioſum exiguum vulnus infligere, et ſpecillo ſulcato immiſſo, mediante ſcalpello, vel apice forficis retuſo introducto, hac ipſa partem circularem cutis et ſacci hernioſi exſcindere, ſtrictas poſtea partes, inciſione ſemipollicis longitudine ſiniſtorſum et oblique ſurſum facta, liberare, quo elapſa promptius reduci et vulneris curatio abſolui poſſit. Si inteſtini pars gangraenoſa praeſcindenda eſt, anus artificialis in ipſo vmbilico formari poterit. p. 52.

Hernia foraminis oualis non adeo frequens eſt in viris, tamen proxime ad perinaeum in foeminis ad labia pudendi formatur, partes expulſae per foramen ligamenti oualis, quod vaſa trasnmittit, progrediuntur, ideoque ad muſculum obturatorem p. 56.

externum inter pectinalem et primum caput muſculi tricipitis femoris. Si protruſae partes reprimi poſſunt, peculiare perizoma, ſitui tumoris accommodatum, exigit.

p. 58. De hernia ventriculi et inteſtinali vaginae pauca refert, in cyſtica autem, ſiue hernia veſicae vrinariae deſcribenda magis verſatur. Haec hernia vel ſola exiſtit, vel oborta bubonocelen efficit, vel bubonocele prius nata et inueterata, herniam cyſticatam pediſſequam habet. In ſimplici hernia veſica vaſis ſpermaticis incumbit, in complicata veſica prolapſa inter bubonocelem et ſpermatica vaſa collocatur, in vtroque etiam caſu ſaccus peritonaei veſicae ab anteriori parte incumbit. Vrina retenta, veſicam extendens, et preſſio vteri primariae ſunt huius herniae cauſſae, et vltimam quod concernit, vterus grauidus mole auctus veſicam vt plurimum in medio comprimit, efficitque, vt illa vtrinque emineat.

p. 66 Capite ſecundo hydrocelen ſub examen reuocat et hydropem ſcroti, vt ſpuriam conſiderat, ſpeciem hydroceles inter tunicam dartos et vaginalem prorſus negat et eius notionem ex loco CELSI, male intellecto, ortam fuiſſe monet; hydrocelen porro intra tunicam vaginalem chordae ſpermaticae non vniuerſam, ſed tantum cyſticam aſſumit atque etiam de collectione aquarum inter laminas tunicae vaginalis teſticuli et ſub tunica albuginea dubie loquitur. In vera tandem curatione loco inciſionis ſimplicis ſegmentum ouale cutis et tunicae vaginalis auferre iubet. Cum tamen DOVGLASSIVS * luculentius de his egerit, haec lubenter mittimus.

In

* *Treatiſe on the hydrocele* Lond. 1755. 8. vid. Comment. noſt. Vol. VI. Part. IV. p. 692.

In ſarcoceles conſideratione diſtinctionem prae- p. 93.
mittit, qua nonnulli, aut tumorem teſticuli ipſius, aut acceſſorium tumorem prope teſticulum a vitiatis et in carnem mutatis ſuccis aſſumunt. Prior veram ſarcocelen ſiſtit, alter expanſio et induratio epididymidis cenſendus eſt. Glanduloſam igitur et in ſcirrhum et cancrum procliuem teſticuli fabricam, vaſculoſam autem epididymidis Noſter aſſumit, etſi et hanc interdum ſcirrhoſam fieri poſſe non neget. Perpenſis igitur variis auctorum ſententiis, et tum, cum hypotheſis de fabrica minus certa eſſet, ex experientia concludi poſſe aſſerit, tumorem epididymidis mitius malum eſſe, quam ſcirrhum teſticuli ipſius ideoque, nec caſtrationem, nec particularem exſtirpationem in illo exigi.

Inde vero deducitur ad cirſocelen et varicoce p. 99.
len, illam dicunt dilatationem vaſorum chordae ſpermaticae, hanc dilatationem vaſorum ſcroti, haec vix ſola eſt, ſed tumorem ſcroti ſequitur, qui, vt cauſſa, prius remouendus eſt. Illa teſticuli ſcirrhoſi ſymptoma eſt, ſed ſi, quod rarius euenit, cum ſano teſticulo exiſtit, fomentationibus, applicatione vnguenti mercurialis et repetitis lenioribus laxantibus diſſipatur. Deſcenſum omenti mentitur, vaſa tamen tortuoſa tactu percipiuntur. Raro noxam adfert, interdum tamen, vt varicoſae venae aliae, dolores excitant, ideoque exſtirpationem vrgent. Tonum vaſorum nimis extenſorum medicamentis reſtituere, nec aliis, nec Cl. Auctori ſucceſſit.

Caſtrationem non, niſi ſcirrhus et cancer teſti p. 104.
culi exigunt, minime vero abſceſſus et gangraena huius partis, dummodo recte tractentur, quod tunc in contextu celluloſo haeret morbus. Nec in omni ſcirrho ad durum hoc auxilium properandum eſt, ſed tantum in eo moto, quanquam et tunc vix definiatur, an operatio ex voto ſucceſſura ſit, cum can-

crosa disposítio clandestina saepe inueniatur. Etsi igitur Cl. Auctor experientia edoctus sit, interdum in exiguo malo fatalem, interdum in maligno statu felicem exitum, exstirpationem testiculi sequutum esse, rationem tamen in tanta varietate morbi non satis detegere potuit.

p. 110. Vitia vasorum chordae spermaticae vt contra indicantia operationis considerat, et rationem eiusdem ita tradit. In testiculo potissimum magni voluminis incisio cutanea oualis paululum super annulum incipiens, cuius media diameter adminimum dimidiam partem testiculi sistit, efficienda, postea cutis a chorda vasorum spermaticorum auferatur, quo ligatura fieri possit, qua facta, testiculus cum cute separandus est. Varias huius operationis partes accuratius declarat, et inprimis monet, ligaturam nerui separationem non exigere, quam ob teneras has partes impossibilem iudicat.

p. 119. Caput quartum de punctura perinaei et morbis vrethrae exponit. Operatio igitur consueta describitur et incommoda inprimis ex laesione partium vicinarum obortа recensentur. Noster vero chirurgum instruit, vt in punctura perinaei indicem sinistrae manus in intestinum rectum immittat et prostatam tangat, quae viam commonstrat, quomodo acus triquetra parallelo ductu cum recto intestino et a latere digiti in perinaeum immitti possit. Postea ad punctúram vesicae, super os pubis efficien-

p. 126. dam, se conuertit. Auctor Cl. eandem instituit ad pollicem vnum et semis supra os pubis, si enim altius versus vmbilicum suscipitur, euacuata vesica, tensio et dolor a relicta cannula excitatur, si vero prope os pubis immittitur cannula, non raro in contextum cellulosum inter vesicam et os pubis penetrat. Ipse etiam vtitur cannula vnum pollicem longa, obseruauit enim, a longa nimis cannula post collapsam

collapsam vesicam eius perforationem ad intestinum rectum factam fuisse, subiungit tandem varia monita de cannulis et catheteribus in his viis relinquendis et mutandis.

De strictura vrethrae et cereis variae compo- p. 130.
sitionis, eam per suppurationem corrigentibus, inprimis ex mente Cl. DARAN, nec non de aliis vrethrae morbis agit. Monet ideo, non semper purulentam materiam callosas eminentias et caruncvlas destruere, sed, orificiis variis excretoriis relaxatis, humores, ex his viis secretos, largius promanare et ita viam liberiorem reddere. Ex hac idea etiam diiudicat gonorrhaeas, quas non vlceribus semper et coniunctae suppurationi, sed largiori affluxui humorum, hic secretorum et venereo contagio saepe infectorum, adscribit, qua in re iterum varias opiniones Cl. DARAN sub examen reuocat. Nisi morbus complicatus sit, partem affectam optime definire possumus: si enim vrethra tantum laesa est, materia purulenta ante vrinam excernitur, si vero prostata et vesiculae seminales sedes morbi sunt, materia excernenda vrinam sequitur.

Postquam de variis cereis aliisque instrumen- p. 152.
tis, in vrethram immittendis, obiter egit, ad considerationem causticorum medicamentorum, his viis applicandorum, accedit, haec a recentioribus omnibus reiecta fuerunt, qui potius, incisa vrethra, medicamenta septica ad locum affectum pressius applicare tentarunt, quamquam et subsidia, quibus hoc efficitur, non sine incommodo adhibentur.

Vlcera vrethrae iniectionibus adstringentibus p. 155.
depurari et corrigi vix possunt, variis potius incommodis, inde obortis, ansam praebent, quanquam igitur Cl. Auctor et his vsus est, a mitissimis incipiendo et ad fortiores progrediendo, cereorum tamen, ex emplastris conuolutis factorum, vsum praestantiorem

eſſe concedit, qua in re ſaepe preſſio mechanica magis, quam ſelectus medicamentorum illitorum
p. 161. curationem abſoluit. Calloſae cicatrices et caruncula e veteribus, vt praecipua cauſſa anguſtatae vrethrae adductae, a recentioribus iterum negatae fuerunt. Cl. vero Auctor non tantum ad experientiam Cl. DARAN, ſed ad ſuam quoque prouocat, quanquam non ſemper vnicae ſint, ſed ſtrictura accedat, vias anguſtiores reddat, et per cereos comprimen-
p. 165. do et ſuppurando tollatur. Ad ſcirrhos tandem progreditur et inprimis eos, qui in proſtata oriuntur et calculum praeſentem mentiuntur, examinat. Motus in rheda et equo ab iis ferri poteſt, quibus proſtata ſcirrhoſa eſt, ſi vero calculus cauſſa dolorum eſt, hi vehementer exacerbantur.

p. 170. Finita itaque tractatione, de variis vrethrae morbis in cereorum compoſitionem et methodum applicandi inquirit. Nec molles nimis ſint, etſi hac ratione ſuppurationem quaeſitam melius efficiant, quod per loca conſtricta et anguſtata non transprimi poſſunt, nec rigidi nimis, ne vehementer premant et dolores et inflammationes excitent, nec fragiles, qui in eductione membranas et vaſa lacerent. Cerei, qui adſtringentia medicamenta admixta habent, vel nunquam, vel non niſi in fine curationis admittendi ſunt, nec eſcharotica medicamenta iis inſpergantur, quae eſcharam potius, quam ſuppurationem inducunt, nec largam doſin terebinthinae vel reſinae, vt nimium ſtimulum, admittit Noſter. Denſitatem, flexibilitatem cum aliqua tenacitate lubricam ſuperficiem in omnibus exigit, optimamque baſin diachylon ſimplex eſſe affirmat, gummatibus tamen aptis additis. Et mercurialia varia medicamenta admiſcere iubet, cum et mercurius praecipitatus ruber, emplaſtris admixtus, mitiorem vim ſepticam habeat. Mercu-

rii

rii viui vnciam ſemis cum vna emplaſtri malaxatam, immo antimonii crudi pollinem additum ſaepius vtilem eſſe aſſerit. Reliqua monita, de formandis atque applicandis cereis propoſita, mittimus.

Indurationes et fiſtulae in perinaeo obſtru- p. 192.
ctionis vrethrae pediſſequae ſunt. Si corpora cauernoſa indurantur, pertinacior obſtructio eſt, attamen et cellularis tunica ſcroti, penis et perinaei ſimili ratione afficiuntur. Quod ſi vero obſtructio vrethrae ſublata eſt et durae partes diſcuſſionem et impurae fiſtulae facilem ſaepe admittunt curationem. Partes cereorum in orificia fiſtularum immiſſae curationem iuuant, in anguloſis vero et calloſis exſtirpatio neceſſaria videtur. Neque ſemper hi morbi, a venerea cauſſa oriundi, curationem per ſaliuationem mercurialem exigunt, dummodo enim via vrethrae libera redditur, malum ſaepe cedit, in pertinaciori tamen ſymptomatum duratione ad interna remedia efficaciora properandum eſt.

Capite quarto de lithotomia agit et ex difficul- p. 197.
tatibus, quibus apparatus magnus obnoxius eſt, ad altum et lateralem indeque mox ad *Foubertianam* diiudicandam ſe confert; quoniam autem CHESELDENUS poſt RAVIUM hanc lateralem methodum perfecit, eius merita extollit et praecipue examinat, quantum differat methodus Anglorum et Gallorum in apparatu laterali efficiendo, vbi de chirurgo, catheterem ſulcatum tenente, vel ſocio tradente, de ſitu chirurgi et aegri, de forma catheteris et lithotomi ſigillatim diſſerit et vbique methodum Anglorum Gallorum methodo praefert, variaque monita inſpergit in recentiorem ſcriptis amplius disquiſita.

Caput

p. 222. Caput ſextum in ſeptem ſectionibus obſeruationes miſcellaneas et tentamina addit. In ſectione prima de tumore veſiculae felleae agit. Poſt inflammationem hepatis feliciter diſcuſſam cyſtis fellea, bile repleta, turget, aut ſuppuratio, formato abſceſſu, naſcitur. In tumore veſiculae dolor ceſſat, aeger melius ſe habet, cutis ſicca eſt, tumor ſubito increſcit, et ſub coſtis ſpuriis a latere recti muſculi haeret: in abſceſſu formando dolor continuus et preſſorius eſt, et, eo ſubinde ceſſante, aeger adhuc inquietus manet, calorem ſudor excipit, fluctuatio ſucceſſiua eſt, tumor ipſe vagus oedema cutis ſaepe coniunctum habet. Etſi igitur inciſio veſiculae felleae ambigua videtur, tamen cum ea interdum rumpatur et letalem effuſionem in abdomen efficiat, in incremento vero antea ad peritonaeum accreſcat, fundus eius acu triquetra pertundatur, et ſpecillo per cannulam immiſſo, diſquiratur, num calculus inſit? quo deprehenſo, inciſio largior fiat et calculus extrahatur, hoc vero non inuento, bile euacuata, coalitio, cannula remota, concedatur.

p. 227. Sectio ſecunda calculum, veſicae cyſtide incluſum et adhaerentem, conſiderat. Cyſtidem ſaepe anguſtiore orificio praeditam fuiſſe, obſeruauit Noſter, calculum ideo in ipſa cyſtide creſcere eidem probabile videtur. Non ſolum autem in cyſtide adhaeret calculus, ſed ſaepe etiam parti veſicae in cyſtidem non expanſae, nec tum magnum dolorem excitare aegro poteſt, niſi adhaeſio proxime ad collum fiat.

p. 231. In ſectione tertia de empyemate diſſeritur, nec tantum de pure inter pulmones, ad pleuram accretos, contento, ſed potius de effuſione puris in abſceſſu pulmonis exponit. Quoniam enim et tum, cum pus per tracheam eiicitur, vel per eroſionem cutis

cutis excernitur, rariſſime ſalutaris euentus expectandus eſt, in vniuerſum tamen operatio empyematis in pure, vel alio humore, in pectus effuſo, commendatur. Inter ſigna, quibus humor, extra vaſa miſſus, vel alia ratione collectus, cognoſcitur, eſt dilatatio quaedam pectoris, in latere affecto, inprimis ſi morbus alius praegreſſus fuerit, ex quo collectio pendet: vndulatio quaedam, ſiue fluctuatio, vel ab aegro, vel etiam a diſquirente chirurgo percepta; initia tumoris oedematoſi in parte affecta. Monet etiam Cl. Auctor errorem chirurgi non adeo eſſe reprehendendum, quod vulnus, muſculis intecorſtalibus inflictum, non adeo doloroſum, nec pernicioſum eſt. Cum autem vulnus in ima parte thoracis, vbi vt plurimum inter coſtam nonam et decimam infligitur, multis incommodis ſtipatum ſit, illud Noſter inter ſextam et ſeptimam medio loco inter ſternum et ſpinam efficit, quod pulmones expanſi humorem contentum maxima vi propellunt, et monet Cl. MARCHETTIS inter quintam et ſextam inciſionem effeciſſe.

Sectio quarta de commotione cerebri Cl. PETIT ſententiam, quinta Cl. FOREST methodum fiſtulam lacrymalem curandi, ſexta Cl. LEVRET methodum ligandi polypos breuiter recenſet, ſeptima de exſtirpatione tonſillarum ſcirrhoſarum agit. Quae cum eſcharoticis male tractentur, exſciſſio haemorrhagiam nimiam afferat, ligaturam Noſter facilem et certam pronuntiat, noſtro tamen iudicio in ampla tumoris baſi perfici nequit. p. 239.

Septimo capite *de cataracta* atque inprimis de eius extractione exponit, quam a Cl. DAVIEL inuentam, Noſtrum quoque emendaſſe, alibi retulimus, methodumque eius fuſius deſcripſimus *. Si p. 251.

cataracta

* vid. Philoſ. Transact. Vol. XLVIII. P. I. p. 161. et 322. et Comment. noſtror. Vol. IV. p. 391. et 400. Cultrum quoque

cataracta dextrum oculum occupat, quo dextra manu operator in extractatione vti possit, aegrum in terram considere iubet, atque caput ita reclinare, vt illud genua, vel pectus operatoris retro aegrum positi tangat. Incisione corneae in Nostri methodo dimidia tantum pars circuli corneae dissecatur, cum Cl. DAVIEL sectio duas tertias partes eiusdem occupet. Nonnunquam statim post corneae incisionem ex spasmodica quadam musculorum oculi contractione vna cum lente crystallina vitrei quoque humoris pars prorumpit, quo in casu Noster palpebras confestim claudere iubet. Lentem post incisam corneam, non forfice, vti alibi proposuimus *, sed ope cuspidis cultri sui extrahit. Pressionem, digitorum ope praestandam, plane reiicit atque, incisione iusto minore facta, illam potius dilatare iubet. Punctura, qua sectio corneae fieri debet, firma stabilique manu atque celeriter fieri debet, ne oculus, instrumenti applicatione irritatus, se in orbitam retrahat, atque sectio minus perfecta fieri possit. Praeternaturalis figurae pupillae mutatio, quae saepe post hanc operationem accidit, nullum visui impedimentum attulisse Cl. Auctoris est obseruatio.

p. 265. Vltimum tandem caput de amputatione extremitatum agit, atque cum haec operatio, vt plurimum, ob gangraenam, membrum occupantem, instituatur, de ipsa gangraena et sphacelo primum Noster agit, diuersaque remedia, quae ab aliis proposita fuerunt, breuiter examinat. Scarificationes non ad partem sanam vsque instituit, sed minus profundas sectiones sufficere autumat, in primis

quoque SHARPII delineatum vide Memoir. de l'Acad. de Chir. T. II. T. XXII. fig. 2. Conf. Comment. nostr. Vol. III. p. 620.

* Volum. Comment. IV. l. c. IV. p. 401.

mis in partibus, vbi tendines, minus profunde ſiti, ſectione laedi poſſent. Corticem Peruuianum in progreſſu gangraenae infringendo, non maiore efficacia pollere, quam alia cardiaca, ante huius remedii vſus introductionem vſitata, aſſerit. In vniverſum vero vſum amputationis, ſi gangraena nondum ſubſtitit, ſed adhuc progreditur, ſiue ab interna, ſiue ab externa cauſſa orta ſit, dubium reddit, multisque argumentis ad huius ſententiae confirmatio- p. 280.
nem adductis, adeo progreditur, vt contendat: amputationem eo vſque eſſe differendam, donec gangraena ſubſtitit et ſeparatio corrupti a ſano iam incepit. Ne cutis poſt operationem amputationis et muſculi nimis ſe retrahant oſſisque pars nudetur, praeter duplicem ſectionem a CHESELDEN et, vti Auctori videtur, ante illum a CELSO pro- p. 285.
poſitam, futurae cruciatae ope cutem poſt reſciſſionem membri, inprimis femoris, vnit, eiusque labia ad ſe inuicem attrahit, quo os melius contegatur. Atque huius quidem methodi merita multum extollit, putatque, non ſolum vulnus melius et celerius coire, ſed inflammationis periculum, vulnere hac ratione anguſtiore reddito, minui. Agit deinde de illa operationis huius ſpecie, quam *a lambeau* vocant, docet- p. 292.
que ante iam VERDUINI et SABOURINI tempora eius mentionem in libro * factam eſſe, in quo etiam primum faſcia tortilis (*tourniquet*) deſcripta eſt. In haemorrhagia ſiſtenda ligaturae vaſorum vſum multum extollit, oſtenditque ex neruis, ſimul cum arteria ligatis, nullum damnum oriri poſſe, grauiora autem ſymptomata a nimia compreſſione membri amputati in deligatione eius oriri. In fine tandem de agarici in haemorrhagiis vſu quaedam

* *Currus triumphalis e terebintho*, or an account of the virtues of oleum terebinth. by JAMES YONGE, London 1679. 8.

quaedam ex ſcriptis academiae chirurgicae Pariſinae adducit.

XXVI.

Recueil de piéces importantes ſur l'operation de la taille faite par le lithotome caché, avec un memoire concernant la retention d'urine, cauſée par l'embarras du canal de l'uretre. à Paris chez d'Houry fils. 1751. 12. 1 Alph.

Suite du Recueil de toutes les piéces, qui ont été publiées au ſujet du lithotome caché. 12. pl. 1½.

Addition a la ſuite du recueil de toutes les piéces, qui ont été publiées au ſujet du lithotome caché. ibid. 1753. 12. pl. 17.

La taille latérale s'execute-t-elle plus ſurement & plus facilement, avec l'inſtrument connu ſous le nom de lithotome caché? Queſtion medico-chirurgicale diſcutée dans les ecoles de la Faculté de Médecine de Paris le 25 Avril 1754. Praeſ. CLAUDE-THOMAS GUILLAUME GUILBERT DE PREVAL & propoſé par HENRI-JACQUES MACQUART, ibid. 1754. pl. 7. tab. aen. 1.

i. e.

Collectio ſcriptorum notatu dignorum de calculi extractione, ope lithotomi occulti facta, cum commentario ſuper retentione urinae ex impedimento a parte urethrae.

Continuatio

Continuatio collectionis scriptorum omnium, occasione lithotomi occulti publicatorum.

Additamentum ad continuationem collectionis etc.

Quaestio medico - chirurgica, quodlibetariis disputationibus agitata in scholis medicorum d. 25. April. 1754. C. T. G. G. DE PREVAL praeside. Proponebat H. I. MACQUART. *An scalpello, vagina recondito, cystitome lateralis perfectior?*

Scripta, quorum titulos hic cum lectoribus communicamus, duo componunt volumina, quibus ea praecipue comprehenduntur, quae a fratre COSMO auctore lithotomi occulti ad defensionem huius instrumenti, et ad refutationem obiectionum, a Cl. LE CAT aliisque factarum, scripta sunt. Quamquam autem magna illorum pars iam ante annum huius saeculi quinquagesimum publicata sit, atque in vniuersum limites nobis praescripti relationumque harum ratio vix permittat, vt paullo accuratius argumenta, a Cl. LE CAT et fratre COSMO prolata, enumeremus; operae tamen pretium esse putauimus de hac atque de Cl. LE CAT collectione, de qua mox verba facturi sumus, ita exponere, vt lectores inde cognoscant, quaenam potissimum scripta in illis contineantur, breuemque totius huius controuersiae historiam et indicem quasi argumentorum, de quibus in scriptis hisce inprimis agitur, habeant.

Initium voluminis primi facit *descriptio lithotomi occulti et forcipis ad confringendos calculos maiores* T. I. p. 1.

res intra veſicam, quae a. 1748. diario Verdunenſi inſerta fuit, atque fratrem COSMUM ipſum Auctorem habet. Vix opus eſſe arbitramur, de huius inſtrumenti figura et ſtructura fuſius exponere, cum illud iam alio loco factum ſit *, ipſumque inſtrumentum in omnium fere chirurgorum manibus ſit, aut ex actis academiae chirurgicae Pariſinae ** illis innotuerit. Adiecta eſt obſeruatio de calculi ſectione, ope huius inſtrumenti a Cl. LA KOCHE peracta, qua praeſtantia eius confirmatur.

p. 18. Neque minus forceps, qua Auctor ad confringendos calculos maiores intra veſicam vtitur, attentionem noſtram exigit. Cum enim maior calculus interdum vix extrahi poſſit, ſine magna partium dilaceratione, quae ſaepe lethalis fit, firmioris cuiusdam forcipis deſcriptionem Noſter communicat, tribus clauis munitae, quae pro lubitu operatoris et neceſſitate eximi poſſunt, cum in frangendo calculo vno tantum opus ſit, qui pro magnitudine calculi magis, vel minus, ab apice forcipis diſtat.

p. 24. *Litterae* Cl. LE CAT *ſuper nouo hoc inſtrumento* ex diario Verdunenſi 1749. Docet hoc inſtrumentum nouum non eſſe, ſed maxime illud conuenire *cum ductore cannaliculato lithotomo (gorgeret lithotome)* cuius inuentorem Cl. LE CAT eſſe ex diario Verdunenſi a. 1742. patet. Concedit tamen, FRANCONEM iam ſpeciem quandam lithotomi occulti propoſuiſſe, non tamen eo vſum eſſe. Forcipe quoque ad confringendos calculos PARAEUM vſum eſſe monet.

p. 34. *Reſponſio auctoris lithotomi occulti ad has obiectiones in epiſtola ad editorem diarii Verdunenſis.* Profitetur

* vid. Comment. hor. Vol. VIII. p. 224.

** vid. Figuram eius in *Mem. de l'Acad. de Chir.* T. III. tab. 19.

fitetur se ignorasse ea, quae veteres inprimis chirurgiae magistri hac de re scripserint, FRANCONIS tamen instrumentum a suo differre, atque Cl. LE CAT ductorem cannaliculatum nequaquam tanta praestantia pollere, quanta ipsi videatur. PARAEI forcipem etiam sibi notam haud fuisse asserit.

Litterae Cl. LE CAT *ad auctores diarii eruditorum* (Journal des Scavans) *super lithotomo occulto.* In omnibus fere conuenit cum litteris EIUSDEM auctoris ad auctores diarii Verdunensis superius commemoratis. p. 57

Litterae anonymi, ad Cl. MORILLIER *occasione praecedentis epistolae* Cl. LE CAT scriptae. Fusius in ea explicantur, quae in *responsione* superius narrata continentur. p. 69. p. 34.

Litterae Cl. LE CAT ad Cl. D * * *, *quae responsionem ad epistolas anonymi defensoris lithotomi occulti, insertas diario eruditorum et Verdunensi, fistunt.* Probat LE CAT, lithotomum occultum facile fundum vesicae laedere et sectionem vesicae nimis magnam efficere, ideoque, vt noxium reiiciendum esse. p. 113.

Iudicium ex iis, quae rem probant repetitum. (Jugement tiré d'après les faits). Est epistola ad anonymos nonnullos, in qua ad litteras praecedentes Cl. LE CAT, et acrius quidem, respondetur. p. 154.

Obseruationes de situ aegri commodissimo in operatione lithotomiae. Insertae fuerunt primo observationes hae diario eruditorum. Situs horizontalis aegri, qualis in operatione, ope lithotomi occulti peragenda, vulgari, siue obliquo praefertur, cum in illo fundus vesicae facile laedi possit, calculique difficilius forcipe comprehendantur. Describitur quoque modus aegrum sub operatione ligandi, qui nobis omnino laude dignus esse videtur: nec non acus triquetra curua ad puncturam vesicae super os pubis p. 186. p. 199. p. 202

efficiendam, cuius cannula post punctura[m] in vesica relinqui potest, nec ex vesica iterum elabitur. In
p. 211. fine addita est obseruatio de sectione calculi in foemina, ope lithotomi occulti peracta.

p. 212. *Commentarius* Cl. LE CAT *in conuentu academiae scientiarum Rothomagensis* d. 12. maii 1750. *praelectus, de situ aegri in operatione lithotomiae per apparatum humiliorem peragenda.* Apparatum humiliorem (*bas appareil*) dicit omnes species lithotomiae, in quibus sectio infra ossa pubis instituitur.
p. 186. Defendit situm obliquum contra obiectiones, in praecedente commentario prolatas, in apparatu magno et variis speciebus apparatus lateralis.

p. 231. *Animaduersiones in hunc* Cl. LE CAT *commentarium*, in quibus ad argumenta illius respondetur et situs horizontalis acrius defenditur, finem huius voluminis faciunt.

p. 2. In continuatione collectionis scriptorum omnium, occasione lithotomi occulti editorum, continetur catalogus quadraginta aegrotorum, in quibus sectio ope huius instrumenti feliciter peracta
p. 21. fuit. In fine ratione et experientia probatur, vulnus post sectionem, calculi lithotomo occulto factam, vt simplex tractari rariusque deligari debere.

Vol. II. Alterum huius collectionis volumen comprehendit responsionem ad illa, quae Cl. LE CAT contra lithotomi occulti praestantiam dixit, in secundo volumine collectionis scriptorum, quae ille circa lithotomiam publici iuris fecit. Cum enim Cl. LE CAT, multis historiis et factis collectis, ibidem negasset, aegros, quos Auctor lithotomi occulti tanquam perfecte curatos, ad probandam sui instrumenti praestantiam, adduxerat, sanatos esse; hoc ipso

ipſo libello anonymus lithotomi auctor ad haſce obiectiones aduerſarii ita reſpondit, vt, multis additis teſtimoniis, confirmare ſtudeat, plurima, a Cl. LE CAT prolata, falſa et ficta eſſe. Probare quoque contendit, Cl. LE CAT methodum aegris maxime eſſe funeſtam, neque a multis aliis chirurgis receptam. Adiectae tandem ſunt 34 aegrotorum hiſtoriae aliae, in quibus calculi ſectio ope lithotomi occulti inſtituta fuit. P. 337.

Quaeſtio medica Cl. DE PREVAL et Cl. MACQUART: *an ſcalpello vagina recondito cyſtitome lateralis perfectior?* non ſolum latine, ſed et in gallicam linguam translata, hic impreſſa eſt. Praemiſſa breui diuerſarum methodorum calculum ſecandi hiſtoria, Cl. Auctor lateralem reliquis praefert, atque inprimis eam, qua ceruix veſicae et quaedam pars corporis veſicae ipſius diſcinditur. Praeſtantiam vero operationis in eo ponit, vt ſola inciſione, nulla vi, partibus dilatando, illata, planum iter, tum ad veſicam, tum e veſica ſternatur. Quae vero grauiora in hac operatione obueniunt incommoda, ea omnia praecaueri poſſe lithotomo occulto, cuius inſtrumenti ope, vel a tirone calculi ſectionem tuto inſtitui poſſe aſſerit. Hinc primo fabricam inſtrumenti ipſius deſcribit, operationisque modum. Deinde docet, aegri corpore in planum ſitum collocato, et cyſtitomo, vbi ſiſti debet, probe firmato, ſectionem praeſtituta, nec plus minusue menſura factum iri, nullumque partibus ſeruandis vulnus inferri poſſe: porro proſtatam ita diſcindi, vt commodus ad veſicam aditus pateat, calculusque ſine vlteriore dilatatione eximi poſſit. Vulnus vero hac ratione inflictum, cum contuſionis omnis expers ſit, nullorum vnguentorum aut faſciarum applicatione opus habet, qua ſcilicet illud irritatur et arenularum fragmentorumque calculi minorum egreſſus

P. 10.

P. 16.

P. 23.

egreſſus impeditur. In hac enim methodo, operatione peracta aegroque in calidum lectum confeſtim repoſito, quadruplex tantum linteum clunibus ſubiicitur, coſtaeque parumper ſublatae ad ſe inuicem adducuntur, per reliquum curationis tempus ſic continendae. Adiectae ſunt praeterea in hac collectione diſſertationi huic duae aliae epiſtolae, in quarum prima variae contra hanc ipſam diſſertationem obiectiones continentur, ad quos in altera reſpondetur.

XXVII.

Pieces concernant l'operation de la taille. Premier recueil, qui traite principalement de cette operation pratiquée ſur les femmes etc. par CLAUDE NICOLAS LE CAT. a Rouen, de l'imprimerie de Laurent Dumesnil. 1749. 8. 12½. pl. tab. aen. 5.

Second recueil, qui contient la deſcription de pluſieurs lithotomes compoſés etc. 1752. 1 Alph. 7 pl. tab. aen. 7.

Troiſieme recueil contenant cinq lettres en reponſe au-Frere COME avec une ſixieme lettre a Mr. * * * 1753. pl. 7.

Lettre de Mr. LE CAT à Mr. DUMONT fils, ſur l'opinion de l'adherence des pierres à la veſſie. 1763. pl. 3.

i. e.

Varii tractatus de lithotomia. Auctore C.N. LE CAT. Collectio prima, in qua praecipue de

de lithotomia in foeminis adminiſtranda agitur — Secunda collectio continet deſcriptionem nonnullorum lithotomorum compoſitorum — Tertia continet quinque epiſtolas, in quibus ad obiectiones Fratris COSMI reſpondetur, et ſextam ad anonymum. Accedunt litterae Cl. LE CAT ad Cl. DUMONT iuniorem, circa opinionem de calculis, ad veſicam adhaereſcentibus.

Quamquam prima collectio horum de lithotomia opuſculorum iam anno huius ſeculi quadrageſimo nono prodiit, Cl. tamen LE CAT eam non publice venditoribus expoſuit, ſed inter amicos tantum diſtribuit, atque, vti ex praefatione patet, nunc demum anno huius ſeculi ſexageſimo tertio edidit. Fuit enim Cl. Auctoris conſilium maius aliquod de lithotomia opus conſcribendi, cui haec opuſcula, ſeparatim impreſſa, inſerere voluit. Cum autem negotiorum multitudine impeditus, illud ad finem nunc perducere haud poſſet, collectiones has ſeorſim edere coepit. Duplex vero eſt controuerſia, circa quam ſcripta, in hac collectione contenta, verſantur. Harum prior de lithotomia in foeminis adminiſtranda inter Cl. Viros LOUIS, LE BLANC et LE CAT agitata, nunc, vti ex praefatione cognouimus, plane compoſita eſt; altera eſt illa, quam Cl. LE CAT cum FRATRE COSMO, celebri illo lithotomi occulti auctore, habet. Atque, vt de priore primum di- Vol. I.
camus, cum ſcripta, quae ad illam pertinent, prima collectione comprehendantur, tenendum eſt, Cl. LE CAT hoc libro oſtendere: ſe anno huius ſeculi trigeſimo quinto iam calculi extractionem in foeminis, non dilatatione vrethrae, ſed ſectione eius

tentaſſe atque hinc ſe iure de Cl. LOUIS conqueri poſſe, quod ille in commentario, anno huius ſeculi quadrageſimo ſexto, academiae chirurgicae Pariſinae de lithotomia in foeminis adminiſtranda praelecto, nullam Cl. LE CAT et inſtrumentorum, ab eo ad hanc calculi ſectionis ſpeciem inuentorum, mentionem iniecerit. Hinc cum Cl. LE CAT relatum eſſet, Cl. LE BLANC Aureliani inſtrumentum, a Cl. LOUIS excogitatum, emendaſſe, in epiſtola ad eum data, Noſter ſuam methodum deſcripſit, praeſtantiamque methodi ſuae prae me-
p. 10. thodo illorum confirmare ſtuduit. Vtitur vero ductore cannaliculato, qui in apice ſpecillum ſulcatum habet, et cyſtitomo recto, qui in vno tantum latere aciem habet, et quem *vrethro-cyſtitomum* vocat. (vid. Tab. I.) Cl. vero LOUIS inſtrumentum quod duas acies habet, (vid. Tab. II. litt. K.) ideoque duplicem quoque ſectionem efficit, cum e contrario Cl. LE BLANC inſtrumento, quod in reliquis omnibus cum lithotomo Cl. LOUIS conuenit, vni-
p. 12. ca tantum fiat. Aſſerit enim Cl. LE BLANC in reſponſione ad litteras Cl. LE CAT, ſe vidiſſe ex duplici ſectione incontinentiam vrinae oriri. Interim Cl. LE CAT, vel hoc inſtrumentum, vt noxium reiicit. Probat enim vrethrae ſectionem tutius omnino fieri poſſe duobus inſtrumentis, quae manus ope diriguntur, quam illo, quod compoſitum eſt, et quo ſectionis magnitudo non certo definiri poteſt, nec vrethra tantum, ſed etiam magna
p. 61. veſicae pars quaedam inciditur. Maiora enim vulnera, veſicae corpori inflicta, fere ſemper lethalia eſſe, et diſtentionem fibrarum, aut quandam dilacerationem illarum minus noxiam eſſe, ſectione, eique hanc ob cauſſam praeferri debere docet. Addit in vulneris deligatione nullam adhibendam eſſe cannulam, cum ea lethalem producat ſuppurationem,

fiſtula-

fiſtularumque aut incontinentiae vrinae cauſſa ſit. Atque hanc quidem ſententiam Cl. LE CAT non ſolum teſtimoniis celeberrimorum aliorum chirurgorum, ſed etiam variis aliis argumentis ita confirmauit, vt Cl. LE BLANC ſuam methodum relinqueret, atque Cl. LE CAT methodum adſumeret. Hinc Cl. LE CAT, quoque in epiſtola, ad Cl. LE BLANC data, methodum, qua tunc temporis in viris calculi ſectionem inſtituebat, cum eo communicauit, quo huius methodi praeſtantiam pari modo agnoſceret. Commodum ſatis modum ligaturam aegri ante operationem inſtituendi deſcribit, facillimum et reliquis hactenus vſitatis omnino praeferendum. Ipſam vero ſectionem faciebat ſcalpello duplici, quorum vnum vrethrotomum, alterum cyſtitomum vocabat (T. IV.), ita, vt magna exercitatione ad hanc operationem, duplici ſcalpello peragendam, opus eſſet. Nunc vero Cl. Auctorem ductore canaliculato cyſtitomo (vid. Tab. I. fig. 3.) vti, omnibus notum eſt. * p. 103.

Excipiunt hanc deſcriptionem epiſtolae duae Cl. LOUIS, in quibus breuiter ad ea, quae Cl. LE CAT ſuperius propoſuit, reſpondet, ſuamque methodum a Noſtri methodo omnino differre docet. p. 113.

Quamquam autem Cl. LOUIS vberiorem ſententiae ſuae explicationem in commentario, mox prodituro, promiſerat, eius tamen editionem Cl. LE CAT non exſpectauit, ſed ſingulari aliquo libello ſtatim ad duas haſce epiſtolas Cl. LOUIS reſpondit. Diuiſus vero ille eſt in duas ſectiones, in quarum priore, quaenam in methodo Cl. LOUIS propria ipſi ſint, diſquiritur: in altera vero huius p. 117.

* Ex praefatione huius voluminis patet, Cl. Auctorem hoc inſtrumentum nunc quoque ad calculi ſectionem in foeminis adhibere.

methodi praeſtantia diiudicatur. Tria autem ſunt, quae Cl. LOUIS tanquam propria ſibi tribuere poteſt: ſectio ſcilicet colli veſicae in vniuerſum, cum antea dilatationis tantum ope calculus eximebatur: porro inciſio in vtroque latere facta: et tandem hoc, quod in vno eodemque inſtrumento vrethro-cyſtitomum et ductorem cannaliculatum coniunxerit. Docet vero Cl. LE CAT primo honorem inuentionis, aut reſtaurationis extractionis calculi, quae ſectionis, non dilatationis ope fit, non Cl. LE DRAN, ſed ſibi tribuendum eſſe, aut Cl. LE DRAN et Cl. LE CAT vno tempore de
p. 122. hac re cogitaſſe. Deinde, quod ad duplicem ſectionem attinet, tenendum eſt, GÜNZIUM, HEISTERUM, imo iam FRANCONEM ipſam duplicem vrethrae ſectionem propoſuiſſe, licet Cl. LOUIS ſectio ad veſicam ipſam extendatur. Partes etiam, ex quibus inſtrumentum Cl. LOUIS componitur, ab aliis inuentoribus ſumtae ſunt, vt ſpecillum fiſſum, in quo lithotomus mouetur, quod ad imitationem cannulae acus triquetrae, qua Cl. PETIT in curanda imperforatione anus vtebatur, fabrefactum eſt: et lithotomus ipſe, cuius figura cum alio lithotomo Cl. LE CAT perfecte conuenit. Hac quoque occaſione Cl. Auctor ſpecillum ſulcatum deſcribit, in cuius ſulco apex lithotomi ita figitur, vt non ex illo elabi et partes alias laedere poſſit.
p. 145. (vid. Tab. V.) Altera ſectio agit, de operatione et deligationis modo, quem Cl. LOUIS adhibet. Communicat vero primum deſcriptionem methodi Cl. LOUIS, quam ille ipſe ad Cl. LE BLANC miſit. Deinde, quae iam ſuperius propoſuit, de noxa vulnerum veſicae et de dilatatione et dilaceratione,
p. 160. ſectioni praeferenda, fuſius explicantur. In deligatione vulneris Cl. LOUIS cannula quadam vtitur, quam in partem vrethrae ſanam immittit, et cauum

vaginae

vaginae linteo carpto implet, quo paries eius ſuperior quodammodo eleuetur et labia vulneris ad ſe inuicem applicentur. Oſtendit vero hic Cl. LE CAT, vſum cannulae in viris aeque, ac foeminis inutilem noxiumque eſſe, cum turunda ſit duriſſima; atque loco eius, ſi calculus in plures minores partes diffractus ſit, ſetaceum (*bandelette*) ex linteo molli confectum et oleo, ſiue digeſtiuo imbutum, veſicae per vulnus immittit, quae cannulae vſum praeſtat, noxisque eius caret. Modum quoque vaginam linteo implendi reiicit, et docet cannulam hac ratione nunquam in ſitu firmo retineri poſſe. Hinc Cl. LE BLANC cannula flexili vtitur et in vaginam inteſtinum ſuillum, ſiccatum et linteo carpto impletum, immittit.

Secundum huius collectionis volumen, vti ſu- T. II.
perius iam adnotauimus, continet ſcripta, quae ad controuerſiam, quae inter Cl. LE CAT et fratrem COSMUM, vt Auctorem lithotomi occulti, occaſione huius inſtrumenti orta eſt, pertinent. Initium vero illius facit relatio de forma et fabrica, atque modo adhibendi illud inſtrumentum, quo nunc Cl. LE CAT in calculi ſectione vtitur, de ductore ſcilicet canaliculato lithotomo (*gorgeret ciſtitome*), qui vel ſimplex eſt, vel ita fabrefactus, vt etiam dilatatorii vſum praeſtet. (vid. Tab. I.) Deſcribitur ve- p. 10.
ro primum vſus huius inſtrumenti in calculi ſectione, quae in foeminis inſtituitur, in quibus nunc Cl. LE CAT illud loco prioris inſtrumenti adhibet: deinde ratio, qua in lithotomia virorum illo vtendum ſit. Inciſione enim per cutem et pinguedinem ſcalpello facta, apicem ductoris huius cannaliculati in ſulcum catheteris Noſter immittit, et poſteaquam in veſicam penetrauit, ſpecillum retrahit, tuncque ſectionem definitae magnitudinis efficit.

Ad-

p. 25. Adnexa eſt comparatio huius inſtrumenti cum aliis ſimilibus ſcalpellis occultis, vulgaribus, aut iis, quae in herniotomia adhibentur, quorum omnium vſus
p. 35. definitur (Tab. II. fig. 4 — 9.). Adiecta quoque eſt deſcriptio lithotomi cuiusdam occulti Cl. LE BLANC, chirurgi Aurelianenſis (vid. Tab. II. fig. 10.), ab illo ad calculi extractionem in viris excogitati.

p. 49. 64. Inter ſcripta vero, quae propius ad controuerſiam fratris COSMI et Auctoris noſtri pertinent, primum eſt *deſcriptio lithotomi occulti et forcipis ad confringendos calculos intra veſicam*, qualem illam anonymus Auctor huius lithotomi in diario Verdunenſi dedit *.

p. 69. Sequuntur *litterae* Cl. LE CAT *ad Auctores diarii eruditorum* ſuper lithotomo occulto **: et *lit-*
p. 82. *terae* eiusdem Cl. LE CAT ad Cl. D * * *, quae reſponſionem ad epiſtolas anonymi auctoris lithotomi occulti continent, atque hic quodammodo
p. 129. auctae et correctae iterum publicantur ***. His addita eſt *epiſtola* Cl. LE CAT ad Cl. B ***, vnum ex auctoribus diarii eruditorum, quae quaedam ad-
p. 145. denda ad priores epiſtolas continet. Hanc excipiunt auctoris diarii Verdunenſis expoſitio cauſſarum, ob quas defenſionem Cl. LE CAT diario illo non inſeruerit, et litterae cuiusdam DE MOMY, paullo iocoſius ſcriptae, qui pacem inter Cl. Viros LE CAT, LOUIS et fratrem COSMUM reſtituere
p. 152. cupit. In reſponſione Cl. LE CAT ad hanc expoſitionem et litteras DE MOMY, pacificatoris, multum de in iuſtitia et partium ſtudio Auctoris huius diarii conqueritur.

Longe

* vid. *Recueil de pieces import.* T. I. p. 1. Comment. noſt. ſupp. III. p. 546.

** vid. *Recueil* l. c. p. 51. Comment. noſt. l. c. p. 547.

*** v. *Recueil* p. 113. Comment. noſtr. l. c. p. 547.

Longe vero magis attentione dignus est, commentarius Nostri Auctoris, qui responsionem ad duo Auctoris lithotomi occulti scripta continet, scilicet ad *iudicium ex iis, quae rem probant, repetitum* (jugement tiré d'après les faits) * et ad eiusdem Auctoris *animadversiones in commentarium* Cl. LE CAT *de situ aegri in lithotomia academiae Rothomagensi praelectum* **, de quibus superius ***. Praemissae vero sunt litterae Cl. LE CAT ad censores horum libellorum Cl. PYLOS et FALCONET, in quibus de iis, quae acerbius contra illum ibidem dicta sunt, conqueritur, horumque Virorum Cl. ad hasce litteras responsiones. In ipso vero commentario Auctor primum probat lithotomum occultum, quamuis perfectior sit scalpellis occultis, ad herniotomiam propositis, ad quorum formam fabrefactus est, tamen instrumentum esse periculosum et noxium. Asserit archetypum lithotomi esse illud scalpellum occultum, quod Cl. PHILBAULT ad herniotomiam proposuit (vid. Tab II. fig. 5.): Cl. porro CHAGNEBRUN iam ante aliquot annos de applicatione huius instrumenti ad lithotomiam cogitasse, et fratrem COSMUM tantum mechanismum manubrii, cuius ope magnitudo sectionis definiri potest, et quem tamen ingeniosissimum esse ipse Cl. LE CAT agnoscit, adiecisse. Deinde comparationem inter actionem scalpellorum occultorum et lithotomi huius, et pericula, quae vulnera vtrisque facta comitantur, instituit, docetque parietem vesicae posteriorem, qui, vesica collapsa et corrugata, propius ad vulnus accedit, lithotomo occulto facillime laedi, neque mechanismo manubrii et regulis a fratre COSMO

p. 171.

p. 193.

* vid. *Recueil* T. I. p. 154.

** vid. *Recueil* l. c. p. 231,

*** vid. sup. p. 547. et 548.

p. 225. COSMO datis hoc infortunium auerti posse. Tunc ostendit exempla extractionum calculi, ope lithotomi huius feliciter peractarum, praestantiam instrumenti et methodi fratris COSMI neutiquam probare. Putat enim felices successus eius tanquam exceptiones, non, vt effectus huius methodi considerandos esse, et historias aegrotorum, a fratre COS-
p. 247. MO propositas, omnes examinat. Tandem Cl. LE CAT comparationem inter successus felices suae et fratris COSMI methodi instituit, atque ex his quoque concludit, suam omnino huius metho-
p. 294. do praeferendam esse. In additamento probat acum triquetram incuruam, quam frater ad punctionem vesicae in hypogastrica regione proposuit * non nouum esse instrumentum, sed Cl. DENIS, BELLOQUE et FOUBERT similia fere proposuisse.

p. 298. Inter scripta vero, quae ad controuersiam de optimo situ aegri in lithotomia spectant, primum est epitome *commentarii anonymi auctoris lithotomi occulti*, in quo horizontalem situm optimum esse proposuit **. Sequitur *commentarius* Cl. LE CAT,
p. 308. in academiae Rothomagensis conuentu praelectus, quo consuetus situs defenditur ***, quem EIUSDEM V. Cl. *responsio ad animaduersiones anonymi in hunc commentarium* **** excipit, in qua primum demonstrat, situm horizontalem iam multos alios ante fratrem COSMUM commendasse, neque inter com-
p. 331. moda lithotomi occulti referendum esse. Deinde de ipsius huius situs praestantia verba facit, docetque in omni operatione chirurgica corpus aegri ita collocandum

* vid. *Recueil* l. c. p. 202. et Comment. nostr. supp. III. p. 547.
** vid. *Recueil* p. 186. Comment. nostr. ibid. p. 547.
*** vid. *Recueil* p. 212. Comment. nostr. ibid. p. 548.
**** vid. *Recueil* p. 231. Comment. nostr. ibid. p. 548.

locandum esse, vt pars, in qua operatio fieri debet, chirurgo se eo modo offerat, vt tuto et facile sectionem instituere et omnem operationem absoluere possit: porro situm corporis, quantum quidem fieri potest, egressum et extractionem corporum extraneorum per vulnus promoueri debere: tandemque in calculi extractione ex vesica, illam eum situm obtineri debere, vt commode incidi vesica, calculusque prehendi et extrahi possit, sine laesione aliarum partium. Ex quibus quidem momentis, quae per consuetum aegroti situm obtineri asserit, praestantiam eius prae horizontali situ demonstrat, in quo calculum saepe in posteriorem partem fundi vesicae delabi et forcipis actionem effugere demonstrat. Atque cum Auctor lithotomi occulti sibi persuadeat horizontali situ pressionem intestinorum in vesicam minui sic, vt nullae rugae exinde oriantur, aut paries posterior facile laedi possit; Cl. LE CAT contrarium probare annititur, et ostendit, vesicam tamen in rugas contrahi, et, calculo posterius descendente, periculum et difficultatem extractionis vehementer augeri, quod variis dimensionibus peluis et vicinarum partium magis declarat, variosque errores aduersarii perstringit.

Adiecta est huic commentario *relatio de variis experimentis, in cadaueribus lithotomo occulto* per Cl. LE CAT *institutis*, quae vsum huius instrumenti periculosum esse luculenter probant. Proponit tamen Cl. Auctor modum quoque correctionis instrumenti et operationis fratris COSMI. Clauditur tandem hoc volumen variis scriptis, epistolis et testimoniis, quae veritatem nonnullarum rerum, in ipso opere propositarum, probant. In tabulis aeneis praeter instrumenta varia, situs partium in pelui vario modo, satis apte, delineatur.

p. 392.

p. 409.

Tertium

p. 225. COSMO datis hoc infortunium auerti poſſe. Tunc oſtendit exempla extractionum calculi, ope lithotomi huius feliciter peractarum, praeſtantiam inſtrumenti et methodi fratris COSMI neutiquam probare. Putat enim felices ſucceſſus eius tanquam exceptiones, non, vt effectus huius methodi conſiderandos eſſe, et hiſtorias aegrotorum, a fratre COS-
p. 247. MO propoſitas, omnes examinat. Tandem Cl. LE CAT comparationem inter ſucceſſus felices ſuae et fratris COSMI methodi inſtituit, atque ex his quoque concludit, ſuam omnino huius metho-
p. 294. do praeferendam eſſe. In additamento probat acum triquetram incuruam, quam frater ad punctionem veſicae in hypogaſtrica regione propoſuit * non nouum eſſe inſtrumentum, ſed Cl. DENIS, BELLOQUE et FOUBERT ſimilia fere propoſuiſſe.

p. 298. Inter ſcripta vero, quae ad controuerſiam de optimo ſitu aegri in lithotomia ſpectant, primum eſt epitome *commentarii anonymi auctoris lithotomi occulti*, in quo horizontalem ſitum optimum eſſe propoſuit **. Sequitur *commentarius* Cl. LE CAT,
p. 308. in academiae Rothomagenſis conuentu praelectus, quo conſuetus ſitus defenditur ***, quem EIUSDEM V. Cl. *reſponſio ad animaduerſiones anonymi in hunc commentarium* **** excipit, in qua primum demonſtrat, ſitum horizontalem iam multos alios ante fratrem COSMUM commendaſſe, neque inter com-
p. 331. moda lithotomi occulti referendum eſſe. Deinde de ipſius huius ſitus praeſtantia verba facit, docetque in omni operatione chirurgica corpus aegri ita collocandum

* vid. *Recueil* l. c. p. 202. et Comment. noſtr. ſupp. III. p. 547.
** vid. *Recueil* p. 186. Comment. noſtr. ibid. p. 547.
*** vid. *Recueil* p. 212. Comment. noſtr. ibid. p. 548.
**** vid. *Recueil* p. 231. Comment. noſtr. ibid. p. 548.

locandum esse, vt pars, in qua operatio fieri debet, chirurgo se eo modo offerat, vt tuto et facile sectionem instituere et omnem operationem absoluere possit: porro situm corporis, quantum quidem fieri potest, egressum et extractionem corporum extraneorum per vulnus promoueri debere: tandemque in calculi extractione ex vesica, illam eum situm obtineri debere, vt commode incidi vesica, calculusque prehendi et extrahi possit, sine laesione aliarum partium. Ex quibus quidem momentis, quae per consuetum aegroti situm obtineri asserit, praestantiam eius prae horizontali situ demonstrat, in quo calculum saepe in posteriorem partem fundi vesicae delabi et forcipis actionem effugere demonstrat. Atque cum Auctor lithotomi occulti sibi persuadeat horizontali situ pressionem intestinorum in vesicam minui sic, vt nullae rugae exinde oriantur, aut paries posterior facile laedi possit; Cl. LE CAT contrarium probare annititur, et ostendit, vesicam tamen in rugas contrahi, et, calculo posterius descendente, periculum et difficultatem extractionis vehementer augeri, quod variis dimensionibus peluis et vicinarum partium magis declarat, variosque errores aduersarii perstringit.

Adiecta est huic commentario *relatio de variis experimentis, in cadaueribus lithotomo occulto* per Cl. LE CAT *institutis*, quae vsum huius instrumenti periculosum esse luculenter probant. Proponit tamen Cl. Auctor modum quoque correctionis instrumenti et operationis fratris COSMI. Clauditur tandem hoc volumen variis scriptis, epistolis et testimoniis, quae veritatem nonnullarum rerum, in ipso opere propositarum, probant. In tabulis aeneis praeter instrumenta varia, situs partium in pelui vario modo, satis apte, delineatur.

p. 392.

p. 409.

Tertium

T. III. Tertium tandem huius collectionis volumen contra additamentum ad collectionem ſcriptorum fratris COSMI, quod alterum volumen collectionis illius conſtituit * directum eſt. Continet vero primum quinque epiſtolas, in quibus Cl. LE CAT contra accuſationes, a fratre hoc in additamento
p. I. 17. propoſitas, defendit, et in tribus potiſſimum prio-
33. ribus oſtendit, omnino euentus operationum, lithotomo occulto peractarum, minime felices fuiſſe.
p. 49. Quarta epiſtola litteras Cl. VANDERGRACHT, de infelici ſucceſſu eiusmodi ſectionis continet, atque felicem ſucceſſum operationum Cl. LE CAT
p. 65. defendit. Quinta tandem probatur plures chirurgos celeberrimos methodum Cl. LE CAT ſequi.

p. 1. His addita eſt epiſtola alia Cl. LE CAT, qua relationes quaedam, quas de libro eius auctores diarii eruditorum huic diario inſeruerunt, examinantur, atque illos minime ſine omnium partium ſtudio in hac re verſari probatur.

Epiſtola tandem Cl. LE CAT ad Cl. DUMONT filium de calculis ad veſicam adhaereſcentibus agit, atque potiſſimum contra libellum Bruxellis, occaſione mortis aegri, in quo calculi ſectio ope lithotomi occulti facta eſt, editum, directa eſt. Hinc ab initio ad varia alia reſpondet, quae in vniuerſum ad hanc circa lithotomum occultum et varias operationes, mediante illo factas, pertinent. In ipſa vero
p. 21. diſſertatione docet, ſententiam de vera adhaeſione calculi ad veſicam et rationi et experientiae contrariam eſſe. Vera enim adhaeſio aut cohaeſio partium, vel propter homogeneam duorum corporum naturam, vel compreſſione fluidi cuiusdam vniuerſalis v. c. aeris, vel ope ſubſtantiae cuiusdam intermediae v. c. glutinis, vel mutua inſertione diuerſorum corporum (*entrelaſſement*) fieri ſolet. Haec vero

* vid. Comment. noſtr. Supp. III. p. 548.

vero omnia in coniunctione calculi et veſicae locum non habere pluribus demonſtratur. Hinc nulla adhaeſio exiſtere poteſt, ſed calculus tantum in veſica, aut ob nimiam magnitudinem, aut ideo retinetur, quoniam ſacco, aut loculamento (poche) incluſus eſt. Oritur vero eiusmodi loculamentum, vel duplicatura tunicarum veſicae, ſi calculus, per vreterem deſcendens, eo in loco haeret, vbi vreter per duplicaturam tunicarum oblique tranſit: quo in caſu tumor, vel ad veſicam, vel ad abdominis cauitatem percipitur, vbi nulla exſciſſio fieri poteſt: vel tunica veſicae tantum interna formatur. Quodſi enim illa hinc inde inflammatur, et in ſuppurationem abit, tunc loca haec, cicatrice nata, nullam amplius extenſionem permittunt. Cum vero haec in vicina ſana parte locum habeat, eiusmodi coeci ſacci formantur, in quos calculi parui ſe immittunt, et incrementa ibidem capiunt, aut in iis ex vrina ſtagnante oriuntur. Nonnunquam etiam, ſi veſica fungoſis excreſcentiis repleta eſt, calculi retro illos haerent, nunquam vero cum iis concreſcunt. In altera ſectione plura Cl. Auctor loca et obſeruationes ſcriptorum aliorum commemorat, atque ex iis omnibus oſtendit, calculum nunquam cum veſica concreſcere, ſed ſemper in cyſtide parua, aut intra fungos reconditam eſſe, qua occaſione plures vtiles adnotationes ad Cl. HOUSTET ſuper hac re commentarium proponit *. p. 34.

* vid. *Mem. de l'Acad. Chirurg.* T. I. p. 395.

XXVIII.

Raccolta de principali maravigliosi effetti della Cavata di Sangue nel corpo animale confrontati con diverse riflessioni raccolte da piu insigni medici e Notomisti tanto antichi che moderni, utili a chiunque desidera d'esser beneficato e non pregiudicato dall' uso odierno di medicare; da GIAN-ANTONIO VANUCCI, Dottore di Medicina e di Filosofia, in Genova presso Bernardo. Tarigo 1755. 4. pl. 14.

h. e.

Collectio praecipuorum et mirandorum effectuum sanguinis missionis in corpore animali, comparata cum diuersis celeberrimorum antiquorum et recentiorum medicorum et anatomicorum sententiis. Auctore IO. ANTONIO VANUCCI.

Cum Cl. Auctor abusum venaesectionis in variis morbis cognosceret, simul tamen de egregio vsu huius auxilii persuasus esset, libellum hunc eo modo adornauit, vt, praemissis nonnullis propositionibus, naturam sanguinis et circulationis humorum concernentibus, in viginti quatuor aphorismis sententias auctorum, qui venaesectioni et saepe nimium fauent, proponit, et de iis iudicium fert, adscitis aliis celeberrimorum virorum opinionibus. Cum vero haec cuncta ordine recensere superfluum esset, quod Auctor tantum generales nimis propositiones aliorum limitet, sufficiat, quaedam exempla commemorare, ex quibus idea libelli satis apparebit.

Sanguinis

Sanguinis miſſio ad abundantiam huius humo- p. 13.
ris ſpectat; quamobrem medicus aegrum ſuum hoc ipſo auxilio a periculo ſufflaminati humorum motus, rupturae venarum et abolitione ſenſus et motus liberat. Spirituoſae enim ſanguinis partes, ab huius nimia quantitate ſuppreſſae, magis liberae fiunt, ideoque omnes actiones liberiores reddunt. Recte vero monet Noſter plenitudinem hanc non in vniuerſum periculoſam eſſe, nimiam etiam ſanguinis miſſionem craſin eiusdem deteriorem reddere, humorum copiam, per varias cauſſas in corporibus auctam, quotidie etiam per ſecretiones diſſipari, et perſpiratione ſola multos humores exire, qua ideo praeſente, plethora vltra modum vix increſcit, hinc cum vaſa cedant, ſiniſtros illos effectus a qualibet abundantia non timendos eſſe.

Quanquam ex vena et bonus et corruptus ſan- p. 23.
guis ſimul fluit, nonnulli tamen correctionem maſſae relictae ideo fieri aſſerunt, quod emiſſa, parte quadam corrupta, motus ſanguinis ad veras leges circulationis reducuntur, per quos eius correctio fit. Vrget autem Noſter non tantum partem corrupti, ſed vim boni ſanguinis quoque diminui: quod ſi igitur minor portio corrupti euacuatur, damnum inducitur, ſi aequalis ſani et corrupti ſanguinis portio ſubducitur, inutilis eſt eius miſſio; hinc in eo tantum caſu, vbi corrupti ſanguinis copia maior emittitur, concedenda eſſet. Quilibet vero cognoſcit, haec cuncta circulationi et mixtioni ſanguinis non reſpondere.

Sed hanc mixtionem mutari porro aſſerunt p. 25.
nonnulli, quod poſt euacuationem motus et ideo quoque ſitus et nexus minimarum particularum mutatur, quae mutatio ſecretionibus fauet, quamobrem in morbis facta ſanguinis miſſio aegrum,

aut ſanum reddit, aut ad ſanitatem poſtea acquirendam diſponit. Noſter vero monet, conceſſa etiam particularum poſt venaeſectionem mutatione, eam non ſemper in bonam, ſed etiam in malam partem inclinare, et ideo morbos excitare, vel augere, inprimis cum mixtionis ratio in aegris non cognoſcatur.

p. 34. Poſtquam de venaeſectione, reſolutionem crudarum et viſcidarum particularum adiuuante, varia diſputata ſunt, aſſeritur, ſanguinis miſſionem motum huius humoris intendere, ex ea cauſſa ſecretiones liberiores reddere, atque correctionem humorum neceſſario ſequi. Si enim, reſiſtentia ſublata, eadem vis impellens manet, celeritas augetur, et ideo reſolutio ſanguinis deprauati et tranſitus per organa ſecretoria liberior fit. Sed Cl. Auctor, qui ſemper ſpirituoſas particulas, vt cauſſas motus ſanguinis aſſumit, ex hac ratione illas diminutas iudicat, et celeriorem motum negat, porroque oſtendit, motum progreſſimum per venaeſectionem non vndiquaque promoueri.

p. 43. In febribus omnibus venaeſectionem ſuadendam eſſe, nonnulli autumant, contrarium tamen variis teſtimoniis euincit Auctor, quod etiam ratione haemorrhagiarum monendum eſt, in quibus impulſum ad locum affectum imminuit quidem interdum,

p. 70. non tamen abſolute. Diminuta ſanguinis quantitate, ſpatium vaſorum augeri, quo facto coagula et congeſtiones tolli poſſe nonnullorum opinio eſt; vaſa vero non depleta et vacua manere, ſed ſucceſſiue ſe conſtringere et hac ex ratione mutationes commemoratas ſuccedere, Noſter vrget.

p. 78. Sanguinis miſſionem turbidam, impuram et terreſtrem magis ſanguinis partem ſubducere, hancque rem variam faciem ſanguinis in vas planum immiſſi declarare multi arbitrantur. Hanc opinionem

nem Cl. Auctor impugnat et varias obſeruationes medicorum addit, qui fallax iudicium ex ſanguine venoſo ſumi contendunt. Et omnino certum eſt, collectam in vaſis ſanguinis venoſi partem naturam et indolem in venis relicti non ſemper accurate definire. Et grumoſum ſanguinem, qui polypoſis concretionibus anſam praebet, per venaeſectionem ita ſubduci, vt minima vaſa ab obſtructione, inde timenda, liberentur, falſo aſſumitur: tenendum enim eſt, concretiones molecularum magis fieri in ſanguine, ex vena miſſo, neque tuto ad craſin ſanguinis moti concludi inde poſſe.

Quod ſanguinis miſſio venoſum ſanguinem p. 83.
tantum ſubducit, multi credunt, inutilem tantum et ſpirituoſis, vt dicunt, et gelatinoſis ad motum et nutritionem aptis particulis eum deſtitutum eſſe, ideoque ex ſanguinis miſſione nullum damnum corpori induci poſſe, ſed Noſter vrget, ſanguinem venoſum particulis ſpirituoſis non prorſus carere, et relictas etiam partes ſaepe non tantam vim habere, vt viuidam et ſufficientem vim in mouendo reliquo ſanguine exercere queant.

Sed ſubſiſtamus in his breuiter indicatis, cum ſatis appareat, nec in opinionibus falſis de venaeſectionis auxilio, nec in diſcuſſione earundem ad veram ſolidorum et fluidorum corporis humani indolem, nec in ſe, nec in mutua relatione reſpicere eos, qui de effectibus ſanguinis miſſionis iudicant. Nimius certe venaeſectionis abuſus, qui a Noſtro impugnatur, experientia ſola non reſtringitur, niſi ratio hanc experientiam definiat et confirmet.

XXIX.

IGNATII GERVASII a Montefaliſco Medici Romani de vſu frigidae in haemoptyſim et quodcunque ſanguinis profluuium Diſſ. mechanico - phyſica ad Illuſtriſſim. et Reuerendiſſim. D. Ianuarium de Simone vtriusque ſignaturae Referendarium etc. Romae 1756. ex typogr. Io. Zempel 4. pl. 14½.

Laudabile aeque ac neceſſarium iuniorum medicorum ſtudium, lectio nimirum HIPPOCRATIS, Noſtro haec ſcribendi dedit occaſionem Cum enim in libro eius epidemiorum quinto illum felicem morbi valde complicati, quo laborabat vxor Gorgiae, ſolo vſu aquae frigidae legeret euentum, vlterius inquirere inſtituit in vim frigidae, ac praecipue quidem in eius efficaciam haemorrhagiarum variarum ſedandarum. Breuiter itaque hiſtoria morbi narrata, quae breuius haemorrhagiam vterinam, febrem ardentiſſimam, neruinas conuulſiones et molam continet, indagatur Noſter, quomodo haec omnia a frigida aqua praeſtari potuerint. Omnia enim ſunt ſedata et mola promota eſt. Quibus explicatis, quaeſtionem mouet: num aqua frigida, HIPPOCRATICUM remedium in vterinis haemorrhagiis, etiam in ſputo ſanguinis et alia cruoris effuſione tuto poſſit adhiberi?

p. 3.

p. 10.

p. 23. Effecit igitur analogiam mechanico phyſicam hiſtoriae HIPPOCRATICAE, iamiam commemoratae, demonſtrauitque vſum frigidae, nec rationi, nec antiquati, nec experientiae contrariari. Ac primum quidem ſanitatis omnino habita ratione et circulo ſano ſanguinis explicato, in cauſſas inquirit, haemorrhagias efficientes, quae partim in ſolidorum peruerſitate, vbi de laxitate et rigiditate nimia vaſorum

p. 24.

p. 26.

vaſorum diſſerit, partim in fluidorum vitio, quod potiſſimum ponit in acrimoniis, ac inprimis quidem in alcalina, quaerit. Modum praeterea atque rationem perquiſiuit, qua vaſa perſciſſa poſt ſanguinis eruptionem reſiliant atque coaleſcant. p. 32. p. 37.

Quibus peractis, perpendit, num aqua frigida haemorrhagiis eorumque cauſſis conſulat et vaſis ipſis perſciſſis medeatur? Requirit autem tria adhuc ad vim aquae frigidae efficaciorem reddendam: victum nimirum tenuiſſimum eumque frigidum, ſeu ſubfrigidum, repetitas venaeſectiones et tandem animi et corporis quietem, quibus auxiliis cuilibet haemorrhagiarum cauſſae reſiſtere poſſe aquam fridam Noſter arbitratur. Quae enim ſimul ſumta, partim ſolidorum laxitatem atque rigiditatem mutando, quo facilius motum fluidorum poſſint ſuſtinere, partim ſanguinis acrimoniam reſoluendo, quo vaſa non vlterius erodantur, partim ſanguinis copiam imminuendo, quo nimius fluidorum motus ſedetur, et tandem animi et corporis quietem conciliando, ne ideae variae animi et inquietus corporis motus ſanguinem exaeſtuent, efficiunt, vt vel vulneratae partis cicatrix coalitione externe formetur, vel diſruptum vaſculum interne obducatur. Id quod vt theoretice demonſtrauit, ſic et exemplis illuſtrauit tum veterum, cum recentiorum. p. 40.

Quod ad veteres attinet, praecipua ex HIPPOCRATE deſumta ſunt inſimulque ad ea reſpondit Noſter, quae in eo contra vſum aquae frigidae occurrere videantur. Exemplo ſit illud: *frigida quaſi nix et glacies pectori inimica, tuſſes mouet, ſanguinis profluuium et deſtillationes.* Sed hic vſum aquae frigidae non interdixiſſe HIPPOCRATEM, ſed nimis tantum frigidae et algentis, patere Noſtro videtur ex aliis locis, vbi legitur: *qui ſanguinem vomunt, ſi ſine* p. 47. p. 61.

febre accidat, ſalutare eſt, ſi cum febre, malum. Curatio vero refrigerandi et adſtringendi vim habentibus perficitur; et alio loco; *quae frigefaciunt, fluere prohibent.* Dein et alios laudauit Noſter veteres pari-
p. 67. ter, ac recentiores auctores, CELSUM, ARETAEUM, PAULUM AEGINETAM, AETIUM, et inter re-
p. 76. centiores ANTONIUM ET VERGILIUM COCCHI, PETRUM ANTONIUM MICHELOTTI ET MARTINUM CHISI, qui omnes vſu frigidae non ſolum haemorrhagias, ſed etiam capitis dolores, rheumatiſmos, arthritidem, oculorum hebetudines, epilepſiam, tremores, conuulſiones, ſudores ac omnes omnino inanitiones et immoderatas corporis excretiones, partim penitus curarunt, partim quodammodo iuuarunt.

Quapropter, nec incertum, nec periculoſum, nec temerarium Noſtro hoc videtur eſſe medelae genus, quod optimorum clinicorum veterum aeque, ac recentiorum, qui felicissimos huius medelae euentus literis ſuis mandarunt, auctoritate, experientiaque nititur, nec theoriae contrariatur; ſeu (vt cum Noſtro loquamur) quod nec rationi, nec
p. 79. antiquitati, nec experientiae repugnat. Tandem varias collegit Noſter haemoptoicorum curationes per aquam frigidam, quae partim ipſe vidit, partim a Cl. IOS. MARIA SPERANZA noſocomii ſancti ſpiritus medico, cum eo communicatas, accepit. Sunt tredecim morborum hiſtoriae, quarum ſex Cl. Auctoris, reliquae SPERANZAE antea commemorati, vbi felici cum ſucceſſu, aqua frigida ſimul cum ſaepe iteratis venaeſectionibus, victu parco et quiete tum animi, cum corporis interne et externe adhibita eſt. Interne parum aquae, ſed frequenter exhibuit, externe ſpongias, aqua frigida imbutas, applicuit et, ſedata quodammodo haemor-

haemorrhagia, nonnullis lac et ad leniter nutriendum, et ad ſalinam ſanguinis acrimoniam inuoluendam dedit.

XXX.

Theſes anatomico-chirurgicae *de hernia incarcerata.* Praeſide M. RAPHAELE-BENEVENTO SABATIER. Lib. art. et chir. Magiſtro et Reg. Chir. Acad. ſocio. Reſpondente *Thomas Coſte*, Pariſino Art. lib. Magiſtro. Pariſiis typis viduae Delaguette 4. 1757. pl. 1.

Continet haec diſſertatio omnem de herniis incarceratis doctrinam, breuiter quidem, ſed eleganter propoſitam, recentioribusque chirurgorum Gallicorum inuentis auctam, ita vt omnia fere, quae hac de re ſcripta ſunt, in ea comprehendantur. Enterocelen autem primum Cl. Auctor conſiderat, de cuius repoſitione monet, in ea maxime cauendum eſſe, ne caput puluinaribus magis, aut minus, quam par eſt, eleuetur. Si enim depreſſius eſt, muſculi ſterno-maſtoidei et recti abdominis contrahuntur: ſi vero ſublimius, collo nimis inflexo et compreſſa aſpera arteria, reſpiratio et repoſitio quoque herniae impeditur. Situm vero a Cl. SHARP * propoſitum, in quo aeger inverſo capite, femoribusque ſurſum eleuatis, aliquamdiu continetur, absque ſucceſſu aliquoties adhibitum fuiſſe, Cl. Auctoris eſt obſeruatio. In herniae ſectione ſemper ſaccum aperire Noſter iubet,

p. 2.

p. 3.

* vid. *Enquir. of Surgery* p. 23. Comment. noſtr. ſup. III. p. 531.

iubet, etiam in herniis minoribus et recentioribus, in quibus Cl. PETIT ſaccum vna cum con-
p. 4. tentis partibus in abdomen reponebat. Annuli dilatationem in inguinali hernia Cl GARENGEOT verſus lineam albam, Cl. vero DE LA FAYE verſus ilei ſpinam inſtituere notum eſt. Putat vero Noſter illam verſus vtramque partem ſine vllo periculo celebrari poſſe, cum epigaſtrica arteria inguinali hernia ſupponatur et inſtrumentorum acie
p. 5. non attingi queat. De hernia gangraenoſa potiſſimum Cl. LOUIS monita Auctor proponit, tandemque de epiplocele et hernia veſicae inguinali
p. 7. breuiter agit. Tunc ad cruralem herniam, exomphalum, ventralem et herniam foraminis oualis progreditur et differentias in hiſce ſpeciebus, a diuerſa locorum natura deducendas, exponit. Quae vero omnia cum Lectoribus ſatis iam cognita ſint, ſicco pede tranſimus.

XXXI.

Theſ. Anat. et chirurg. *Vtrum, cataractae tutior extractio forficum ope?* Praeſide IOANNE LE BAS Art. lib. et chir. Magiſt. Reſpondente *Henrico Dauiel* Maſſilienſi, Art. lib. Magiſt. Noſocom. Caſtrenſ. Regisque exercitus Chirurgi primarii, Adiutor. Pariſiis typis viduae Delaguette 1757. 4. pl. 2½.

Praemiſſa eſt breuis fabricae oculi deſcriptio, in qua b. ZINNIUS Gottingenſium quondam Profeſſor longe meritiſſimus, vbi de eiusdem deſcriptione oculi ſermo eſt, ſub nomine Cl. GOTTFRIED, quod praenomen eius eſt, citatur. Dein-
p. 8. de de cataracta in vniuerſum Cl. Auctor diſſerit, lentem-

lentemque cryſtallinam aliquando in ea perfecte indurari, probat obſeruatione Cl. MORAND, qui in muſeo ſuo humorem vitreum oſſeum fere, cum cryſtallino propemodum petrefacto, ſeruat. Cataractam, a fulgure viginti quatuor poſt ictum horas ſubito ortam in foemina nobili fuiſſe, Cl. Praeſidis eſt obſeruatio. Confirmat Auctor patris ſententiam, ad operationis felicem ſucceſſum minime requiri cataractae, vt vulgo loquuntur, maturitatem, ſed ſolam coecitatem, in qua aegrotantes praeter lumen et colores nihil vident, operationem iam indicare. Nimiam remediorum multitudinem, qua pharmaceutica via cataractae curationem medici nonnulli moliuntur, noxiam ſaepius eſſe contendit, ſolamque operationem, tanquam certiſſimum remedium proponit. Ex curationibus vero cataractae, quae manu fiunt, de p. 12.
extractione, a patre reſpondentis propoſita, tantum hic diſputatur.

Hanc alii, vt Cl. LA FAYE, POYET, SHARP, TENON et quem acriter Noſter perſtringit, eiusque hamulum et volſellam, vt nociua reiicit, Cl. BERENGER,* forficum vſu remoto, ſcalpello tentarunt, alii Cl. DAVIEL patrem ſecuti, forficibus, methodo hic fuſius deſcripta, inſtituerunt. In lentis magnitudine nimia ipſam pupillam iridis, ſectione facta, dilatare iubet, qua ſectione ſymptomata, quae ex dilaceratione eius oriuntur, vitantur. Forficum vero vſum inſtrumentis ſecantibus praeferendum eſſe ex eo Auctor Cl. probat, quod ſe- p. 15.
cantia inſtrumenta non deſcribant lineam ſemicircularem in coniunctione corneae cum ſclerotica ob ſuperficiem conuexam et bulbi inuoluntarias agitationes: Deinde, quod corneae ſectio difficilius et imperfectius fiat, et poſt humoris aquei effluxum

* v. Commentar. noſtr. Vol. X. p. 518.

effluxum, qui primo punctionis tempore accidit, iris saepe laedatur. Tandemque, quod, cochleari deficiente, in plurimis methodis, saepe parua frustula lentis aut capsulae remaneant, et dictas methodos cicatrix inaequalis et staphyloma saepius sequantur.

Addit punctionem a latere secantibus instrumentis difficulter institui: sinistrae manus vsum requiri, quae non in omnibus perfecto labori apta
p. 17. sit: manum operatoris vacillare posse, atque saepius corneae sectione scalpelli ope facta, partem vitrei humoris vna cum cataracta prorumpere, *ob nimiam musculorum bulbi contractionem determinatam ab instrumento in corneam traiecto, cuius vi antrorsum oculus attrahitur, operantis adhibito conatu, partis vt inferioris corneae sectio conficiatur.* In Auctoris vero methodo semper dextra manus tantum sufficit, quae probe fulcita est. Cornea quoque apte inciditur, et instrumenta, si necessitas vrget, eximi iterumque immitti possunt, ita vt nulla laesio iridis extimescenda sit, et perfectior fiat cicatrix.

XXXII.

De methodis amputandi brachium in articulo. Theſes anatomico - chirurgicae. Praeſide STEPHANO PETRO LE LAUMIER Art. Chirurg. Magiſtro, Reſpondente *Franciſco Poyet*, Claromontenſi, Art. lib. Mag. et noſocomii Regii Charitatis Chirurgo praecipuo. Pariſiis. Typis P. Al. le Prieur 1759. 4. pl. 1½.

Initio diſſertationis huius Auctor Cl. humeri cum ſcapula articulum, muſculos et vaſa conſiderat, et ex hac partium in humeri amputatione ex articulo diſcindendarum deſcriptione, varias regulas in hac operatione obſeruandas proponit. Diuerſitas vero methodorum extirpandi humerum poſita p. 6.
eſt in ratione, qua ligatura vaſorum axillarium et ſectio muſculorum inſtituitur. Has ex Cl. LE DRAN, CARENGEOT et DE LA FAYE ſcriptis, Cl. POYET proponit, tandemque hiſtoriam operationis, qua ipſe noua methodo in puella quatuordecim annorum ob cariem oſſis humeri illud ex articulo excidit. *Sectionem* ſcilicet *ſecundum longitudinem deltoidis inſtituit, partem oſſis humeri, carie diſiunctam, extrahit; labia vulneris ſuperiora, ex vtroque latere a circumferentia articuli ſcalpelli ope ſeparat: tum capſulam diuidit tranſuerſim verſus partem poſteriorem progrediendo; ſtatim ſcalpellum conuertit, et pone bicipitis tendinem articularem pellit, foras educendo, vt reſecetur; diuiſione fauente digitos in articulum iniicit, caput humeri arripit et omnino ſeparat, laterales remouendo adhaeſiones mediante ſcalpello; atque cognita et digitis compreſſa arteria axillari, brachium ſectione orbiculari, quatuor digitis infra articulum aufert, atque* p. 9.

deinde

[illegible]de ligaturam vaſorum et deligationem inſtituit.

In vniuerſum autem in hac amputatione ligaturam externam vaſorum, vt inutilem reiicit, et internam tanquam magis certam et faciliorem commendat. Scalpellum quoque vulgarem caeteris inſtrumentis ad amputationem hanc aptiorem eſſe iudicat. Methodum a Cl. GARENGEOT propoſitam, qua brachii amputatio in articulo vnica et circulari ſectione fit, plane reiicit, cum maiora naturae conamina requirat ad cicatricem, quam omnes aliae methodi. Ex reliquis vero methodis illam, quam Cl. DE LA FAYE propoſuit, praefert. Suam tandem methodum ideo imitandam eſſe contendit, quia ſectionum et ſegmentorum numerus in ea imminutus ſit. Atque cum porro in ea ſegmentum ſit vnicum, et capſulam in orbem complectatur, ſectioque longitudinalis in parte carnoſa deltoidis inſtituatur, denique in ea nulla duplicatura cutis et carnium fiat, non ſolum cicatrix celerius inducitur, ſed et pus bene effluere medicamentaque cauo glenoideo applicari poſſunt, ita vt omnino haec methodus attentione et imitatione aliorum chirurgorum digna ſit iudicanda.

Contenta in hac parte.

I. GINANNI Opera poſtume Tom. ſecundo p. 387
II. LE ROI de aquarum mineralium natura et vſu 389
III. BÜCHNER Diſſ. de noua methodo ſurdos reddendi audientes 398
IV. WINKLER de ratione audiendi per dentes 403
V. DE HALLER Diſſ. ſiſtens experimenta circa corpus calloſum, cerebrum cet. in animalibus viuis inſtituta 405
VI. OEDERI Diſſ. de irritabilitate 407
VII. FABRI ſulla inſenſitiuita et irritabilita Halleriana opuſcoli di vari Autori raccolti. Tom. I. et II. cum ſuppl. 409
VIII. COE a Treatiſe on biliary concretions 423
IX. WIPPACHER genuina ratio, cur, pleuritide vera ſueuiente, venaeſectio affecti lateris 433
X. LOVIS Memoire ſur une queſtion chirurgicale relative a la jurisprudence 435
XI. EXTON a new and general ſyſtem of Midwifery 436
XII. GRVNER *die Eiſsgebürge des Schweizerlandes* 438
XIII. BVRTON an Eſſay towards a complete new ſyſtem of Midwifry 456
XIV. EIVSDEM a lettre to WILLIAM SMELLIE containing critical and practical remarks uppon his Treatiſe of Midwifry 461
XV. OSBECK Dagbok ofver en Oſtindisk Reſa etc. 462
XVI. SCHVLZ Berattelſe om Koppers ympande 478
XVII. SCHEVCHZER Diſſ. de alimentis farinaceis 483
XVIII. PVZOS Traité des Accouchement etc. 485

XIX. FAR-

XIX. FARMER Select. Cases in Surgery P. 506
XX. HEISTERS *medicinisch, chirurgische und anatomische Wahrnehmungen* 507
XXI. POTT Observations on the disorder of the corner of the Eye 510
XXII. Institutes of experimental Chymistery 514
XXIII. HEATH a natural and historical Account of the Islands of Scilly 526
XXIV. PERRY a mechanical account and Explication of the hysteric passion 528
XXV. SHARP a critical enquiry into the presente state of Surgery 530
XXVI. Recueil de piéces importantes sur l'operation de la taille faite par le lithotome caché etc. 544
XXVII. LE CAT Piéces concernant l'operation de la Taille. Recueil. I. II. III. 550
XXVIII. VANVCCI Raccolta de principali Effetti della cavata di sangue 562
XXIX. GERVASI de vsu frigidae in haemoptysin etc. 566
XXX. SABATIER Diss. de hernia incarcerata 569
XXXI. LE BAS Theses: vtrum cataractae tutior extractio forficis ope? 570
XXXII. LE LAVMIER Diss. de methodo amputandi brachium in articulo 573

COMMENTARII
DE REBVS
IN
SCIENTIA NATVRALI
ET
MEDICINA
GESTIS.

PRIMAE DECADIS SVPPLEMENTVM IV.

LIPSIAE MDCCLXVIII.
APVD IOH. FRIDERICVM GLEDITSCH
Venduntur etiam
Amſtelodami apud I. Schreuder, et Petr. Mortier, Londini apud
Io. Nourſe, Pariſiis apud Briaſſon, Patauii apud I. Manfré,
Holmiae apud L. Saluium.

Jos: Banks

I.

Bibiotheque choiſie de médecine, tirée des ouvrages periodiques, tant françois qu' étrangers. Avec pluſieurs autres piéces rares, et des remarques utilès et curieuſes. Par M. PLANQUE, Doct. Med. à Paris chez d'Houry. 4. Tom. I. 1748. 3 Alph. tab. aen. 28. Tom. II. 1749. 3 Alph. 14 pl. tab. aen. 21. Tom. III. 1750. 3 Alph. 11 pl. tab. aen. 24. Tom. IV. 1753. 4 Alph. 5. pl. tab. aen. 24. Tom. V. 1759. 3 Alph. 17 pl. tab. aen. 15.

i. e.

Bibliotheca ſelecta medica, ex operibus periodicis gallicis et exterorum collecta, atque multis ſcriptis rarioribus et adnotationibus vtilibus aucta. Auctore Cl. PLANCO, D. M. T. I. II. III. IV. V.

Quamquam initium nimis ampli huius operis, iam ante annum huius ſeculi quinquageſimum, quo anno noſtrae librorum medicorum relationes initium ſumſerunt, factum eſt, maximaque voluminum, quibus illud componitur, pars poſt annum huius ſeculi ſexageſimum prodiit, neque ad decennium hoc pertinere cuidam videri poſſit; commodiſſimum tamen nobis viſum eſt, hic loci de illo ad Lectores noſtros referre, quia, ſi expectandum

eſſet, donec abſolutum prorſus haberemus, iuſto diutius haec relatio dilata videretur. Ex eius autem inſcriptione, a nobis communicata, patet, Auctorem Cl. hoc ſibi propoſuiſſe, vt ex variis diariis et ſcriptis variarum academiarum optima quaeque et notatu maxime digna, quae ad artem ſalutarem pertinent, colligat, quo ii, quibus haec maiora opera non ad manus ſunt, his tamen medicis excerptis vti poſſint. Licet vero hoc conſilium per ſe dignum ſit laude ac commendatione, fatendum tamen eſt, in eo exſequendo Auctorem Cl. ita verſatum eſſe, vt multa in eo reprehendenda et deſideranda nobis videantur. Non ſolum enim Auctor Cl. vſus eſt ſcriptis antiquioribus, recentioribus multum vel plane neglectis, ſed et ex ipſis ſcriptis, quae potiſſimum adhibuit, multa omiſit, quae omnino maiore attentione digna ſunt. E contrario autem alia inſeruit, quae vel plane inutilia ſunt, vel ad medicos practicos, ad quorum tamen vſum hoc opus conſcriptum eſſe videtur, minime pertinent. Vſus autem eſt alphabetico ordine, ita tamen, vt, vbi multi articuli ſub vna voce proponendi erant, inter duas voces materiam diuideret, veluti factum eſt, cum iis, in quibus de foetu ſermo eſt, qui ſub voce *accouchement* et *enfantement* reperiuntur. Multa tamen retulit ad titulos, ad quos minime pertinent, nonnulla bis propoſuit, ita vt facile appareat, hoc opus ſine multo ſtudio aut iudicio compilatum eſſe. Adnotationes additae nullam coniunctionem cum articulis, quibus ſubiunctae ſunt, habent, ſed ea continent, quae hinc inde ex variis ſcriptis Cl. Auctor collegit, nullo ordine obſeruato, ita vt miremur, auctorem hac ratione non quinquaginta volumina facile repleuiſſe. Nonnunquam in ipſis adnotationibus ea, quae in ipſo articulo aut textu iam propoſita ſunt, repetuntur

untur, quod ſatis teſtatur ne minimam quidem curam in iis ordinandis et ſeligendis Auctorem adhibuiſſe. Excerpta vero, quibus hoc opus componitur, deſumta ſunt ex LA ROQUE diario medico, BLEGNY zodiaco, ephemeridibus academiae naturae curioſorum, transactionibus Anglicis (ſed tantantum ex prioribus voluminibus,) actis academiae Pariſinae, diario Verdunenſi, Triuultiano et illo, quod *mercure* dicitur. Paſſim quoque programmata quaedam Gallica inſerta ſunt.

Primum volumen ſequentes continet voces: T. I.
Abſcés, vbi ſimul de hydatidibus, ex abſceſſu in regione epigaſtrica prorumpentibus, calculis lingualibus aliisque, quae vix huc pertinent, quaedam obſeruationes traduntur: *Abſtinence: Accouchement*, quo loco etiam de ſectione caeſarea, in foetu extravterino adminiſtranda, diſſertatio exſtat: *Accouchement monſtrueux: Accouchement avancé* ſiue abortus: *Accouchemens difficiles: Accroiſſemens* ſub qua voce etiam variae de oſſibus emollitis obſeruationes exſtant. In ſecundo volumine reperiuntur ſequentes T. II.
articuli: *Acide: Air: Alcali: Alchymie: Alimens*, ſub qua voce etiam Cyprini anatome ex actis Pariſinis inſerta eſt: *Alkaeſt: Amputation: Aneuriſme: Antimoine: Apoplexie: Apoſtéme: Articulation: Aſthme* et *Bain*. In tertio: *Bec de liévre:* T. III.
Beſtiaux, vbi de lue bouina variae diſſertationes inſertae ſunt: *Bile: Bleſſure: Boiſſon: Bouche: Calcul: Cancer: Carie: Carnoſité* ſiue de carunculis in vrethra: *Catalepſie: Cataracte: Catarrhe: Cephalalgie: Cerueau: Circulation: Coeur: Colique: Coma: Commotion*, ſcilicet de commotione cerebri: *Conſtipation: Conuulſion: Corps étranger: Crane: Dartres: Dents: Difformité* et *Digeſtion*. Quartum componitur articulis: *Dyſenterie: Eau: Eaux* T. IV.
minérales: Enfantement: Emphyſeme: Empyéme:

Engourdiſſement, vbi torpedinis hiſtoria, a Cl. REAUMUR conſcripta, inſeritur: *Epilepſie: Epiploon: Eſtomac: Fer: Fermentation: Fiévre: Fiſtule: Foe-*
T. V. *tus: Foie: Fracture.* Quintum tandem continet voces *Gangrene*, ſub qua voce etiam relatio de vſu olei oliuarum in morſu viperae exſtat: *Generation*, qui quidem articulus varia ſcripta Cl. LE CAT ex diario Verdunenſi, quae huc pertinent, comprehendit: *Glace* vbi de potu, glaciei ope refrigerato, agitur: *Glande: Glaucome: Goitre*, vbi glandulae thyroideae deſcriptio datur: *Gonorrhée: Goutte: Hémoptyſie: Hémorrhagie: Hémorrhoide: Hernie: Hoquet: Hydatides: Hydrocele: Hydrocephale: Hydropiſie: Hymen.* De reliquis voluminibus proxime alio loco dicturi ſumus.

II.

Las Obras de HIPPOCRATES mas ſelectas, con el texto Griego y Latino, pueſto en Caſtellano, è illuſtrando con las obſervationes practicas de los antiguos y modernos para la Juventud Eſpañola, que ſe dedica a la medicina, por el Doctor ANDRÈS PIQUÈR, Cathedratico de anatomia de la Univerſidad de Valencia, Medico de Camara de S. M. y Protho-Medico de Caſtilla. T. I. 1757. 4. Alph. 1. plag. 13. Praefat. pl. 10. T. II. 1761. Alph. 1. pl. 9. Praefat. pl. 5. Madrid en la Officina de Joachin Ibarra.

i. e.

HIPPOCRATIS opera ſelecta, graece et latine, in Hiſpanicam linguam translata, et practicis

ticis obseruationibus illustrata ab ANDREA PIQUERO.

Laudabili consilio Cl. Editor reuocare inter suos studium HIPPOCRATIS, et hanc rei medicae literariae partem illustrare conatus est, vt suae etiam aetati communis esset illa laus, quam propter scientiam linguae graecae ciuibus suis omnium temporum deberi profitetur. Ac illorum quidem caussa, qui ab artis medicae historia alieniores sunt, copiosis prolegomenis, quae septuaginta sex paginis constant, de historia HIPPOCRATIS ipsiusque artis exposuit: neque ideo nostrum putamus, summam eius disputationis repetere, quae nihil continet, quod non multo vberius tractatum sit ab iis, qui hanc rei literariae partem consulto persecuti sunt. Sed hoc Cl. PIQUERO proprium est, quod de versionibus Hispanicis tradidit, quas ipse certe optime diiudicare potuit. Duas autem nominauit, alteram prognosticorum, quae CHRISTOVAL DE VEGA auctorem habet, quam exactam appellat, alteram librorum de epidemiis, auctore IAYME ESTEVE, qui et commentarium addidit, quem tamen GALENI fuisse, sed, eius nomine oppresso, ab editore sibi assertum, inuidia sparsit. De externis versionibus Cl. PIQUERUS aeque et humaniter iudicat. Agitur etiam de consensione Hippocraticae doctrinae cum libris sacris, qui quidem locus lubricus ad lapsum est, et fere plus amoris erga hominem graecum prodit, quam par videtur. Vidimus praeterea, tres leges esse constitutas, secundum quas de spuriis ac genuinis HIPPOCRATIS libris iudicandum sit. Sunt autem hae: 1) Quos libros maior aut melior pars scriptorum HIPPOCRATI tribuit, aut in quibus repe-

p. 50.

p. 52.

p. 27.

riuntur ſigna, quibus genuinos eſſe agnoſcitur, ii ſunt Hippocratici. 2) Quos libros vel genus dicendi, vel methodus, vel argumentum arguit, aut quos maior meliorue pars HIPPOCRATI abiudicat, ii non ſunt Hippocratici. 3) De quibus libris veteres recentioresque auctores diſſentiunt, quorumque argumentum partim dignum eſt HIPPOCRATE, partim indignum, ii dubii ſunt. Quae quidem ita dici poſſe, et criticis interdum profuiſſe, non negamus; ſed an ſufficiant, dubitamus. Quam multa enim ante definienda ſunt, quam dici hoc poſſit, quod in his legibus eſt, praeſertim ſi quaeratur, quae illa melior pars ſcriptorum veterum ac recentiorum ſit.

Sed iam de editione ipſa dicendum eſt. Primus tomus continet prognoſtica. Praeter textum graecum, accurate et luculentis literarum formis impreſſum, ſed e recenſione FOESII, verſio Hiſpanica illius CHRISTOVAL DE VEGA, quem ſupra nominauimus, et latina in qualibet pagina occurrit. Subiectae ſunt illuſtrationes, vere prolixae, non illae quidem ad graecitatem & interpretationem vtiles, quod tamen fieri ab eo debuit, qui ſtudium ipſius HIPPOCRATIS reuocare vellet; ſed partim περιφραστικῶς repetitur ſententia auctoris, partim quaedam, etiam notiſſima & indubitata, dicuntur, quod fieri tironum cauſſa potuit, partim multa ad ipſam artem vtiliter explicantur, tamquam hiſtoriae morborum, praeſertim cum artem olim facturis tota haec editio comparata ſit, quod non ſolum in praefatione alterius tomi diſerte profeſſus eſt Cl. PIQUERUS, ſed in ipſo quoque primi tomi titulo, vbi practicis obſeruationibus et veterum et recentiorum illuſtratum eſſe HIPPOCRATEM dixit. Ad calcem paucae lectiones variae, inprimis Charterianae editionis, collectae et diiudicatae ſunt.

Tomus

Tomus alter librum primum de epidemiis complectitur, plane ſimilis priori, praeterquam quod nulla lectionis varietas notata eſt. Praefatio praeter laudes experientiae de modo, quo HIPPOCRATES in obſeruando vſus eſt, exponit, huiusque rationis dignitatem demonſtrat.

Debetur ergo Cl. PIQUERO doctrinae admiratio et ſtudii commendatio, dolendumque eſt, paucos forte ex his morborum hiſtoriis ac practicis obſeruationibus iuſtam vtilitatem percepturos, quoniam pauci eas hoc loco quaerent.

III.

En Reſa til Norra America på Kongl. Svenska Vetenskaps Academiens befallning och Publici koſtnad, förrättad af PEHR KALM, Oeconomiae Profeſſor i Åbo, ſamt Ledamot af Kongl. Svenska Vetenskaps-Academien. Stockholm, tryckt på Lars Salvii koſtnad. Tom. I. 1735. pag. 484. Tom. II. 1756. pag. 524. Tom. III. 1761. pag. 538. abſque indicibus, cuilibet tomo additis, 8.

i. e.

Iter in Americam ſeptentrionalem, iuſſu regiae ſcientiarum Academiae Svecicae & impenſis publicis peractum a PETRO KALM.

Iter, quod in hoc libro deſcribit Cl. Auctor, Ill. LINNAEI conſilio praecipue iniit, qui quum videret KALMIUM, hiſtoriae naturalis cognitione probe a ſe imbutum, peregrinandi deſiderio ardere, Americam ſeptentrionalem vel maxime indigere periti botanici indagine indicauit, vtque ſtirpium

numeroſarum, plane nondum cognitarum, feraciſſima eſſet, inter quas exiſterent, quae et hiemis in Suecia vim commode ferrent, et vſu ſuo in oeconomia et medicina ſummo ſeſe commendarent. Patriae igitur, anno 1747. ad finem properante valedixit. Quoniam vero tam in Noruegia, ad quam terram nauis ventorum iniuria appulſa fuit, quam in Anglia, vbi per complures menſes nauigium, quod eum in Americam transueheret, deficiebat, moram capere oportuit, ea, cum breui narratione itineris, inter Vpſaliam et Gothoburgum facti, praemiſit, quae de his regionibus noſſe commoda illi viſa ſunt et haec cunctatio praeſertim in cauſſa fuit, vt non ante medium ſeptembris an. 1748. menſem ad Americam perueniret. Philadelphiae ſubſtitit nauis. Prouincia tum, cuius caput eſt nempe Penſyluania, nec non Yerſea noua, Noueboraco, Albanyaque perluſtratis, per regionem gentis Irequois perrexit, et quum mare, Ontario dictum, ſuperaſſet, ipſam Canadam petiit, vbi non vltra 22. milliaria ſupra Quebecum ſeptentrionem verſus progreſſus eſt. Philadelphiae redux februario medio a. 1751. naui, reditum in Europam parans, ſeſe iterum commiſit. Oeconomicis, et quae hiſtoriam naturalem ſpectant, obſeruationibus in hoc itinere in primis intentus fuit. Interim nec ea ſilentio prorſus praeterit, quibus regionum, quas inuiſit, clima, tempeſtatum varietas, mores, victus amictusque ratio, vitae genus, reditus etc. cognoſcuntur. A prolixioribus rerum naturalium deſcriptionibus ſtudio abſtinuit, vt quas ſingulari operi reſeruatas, voluit. Multa quoque horum plenius ab Auctore videmus, in actis regiae academiae ſcientiarum Suecicae, et in diſſertationibus Aboae habitis, expoſita. Ordo, quem Cl. Auctor ſequutus eſt, omnino idem eſt, quo obſeruationes ſuas

in

in aduerſaria itineris retulit, qui licet id commodi habeat, vt ob rerum varietatem lector itineris quaſi comes fuiſſe ſibi perſuadeat, multa tamen, quae iucundius iunctim legerentur, diuellit. Tres hos tomos quartus, isque vltimus, excipiet, qui notatu digniora reditus Auctoris ex Canada ad Sueciam vſque comprehendet. Exſtat etiam libri huius verſio * Germanica. Iamiam vero operam dabimus, vt Lectores praecipua momenta, quibus Cl. Auctor de incrementis hiſtoriae naturalis et medicinae meruit, pernoſcant.

Tomus primus in ſtirpes, ex quibus turfa, quae haud procul ab Orebuoa Sueciae effoditur, conſtat, accuratius Cl. Auctor inquiſiuit, plurimamque partem eriophori vaginati ſobolem eſſe reperit. p. 5. Gothoburgi hinc inde in vſu fuit, iuniperi ramos conciſos in conclauium pauimenta, odoris et refrigerii grati cauſſa, ſpargere. p. 12. (Cuius arboris loco autem nouimus alibi in Sueciae abietis ramos adhiberi.) Ad oua contra putredinem per itinera maritima tuenda commode in ſaccharum farinaceum immitti obſeruatum. p. 14. Vlteriori autem indagini

* Cuius titulus: *Des Herrn* PETER KALMS, *Profeſſors der Haushaltungskunſt in Aobo, und Mitgliedes der königlichen ſchwediſchen Academie der Wiſſenſchaften Beſchreibung der Reiſe, die er nach dem nördlichen America auf den Befehl gedachter Academie und öffentliche Koſten unternommen hat, Göttingen, im Verlage der Wittwe Abraham Vandenhocks, 1ſter Theil* 1754. *2ter Theil* 1757. *3ter Theil* 1764. 8. *Priores duos* tomos Cl. IO. PHIL. MURRAY, Phil. Profeſſor, *tertium* frater eius, Cl. IO. ANDR. MURRAY, Med. Profeſſor, Germanice vertit. Icones, verſioni additas, aeneas et longe nitidiores iſtis, quae Suecicae editioni inſertae ſunt, vtpote ligneae, deprehendimus.

gini ſubiicitur; anne eodem artificio ſtirpium ſemina poſſent ex remotioribus locis per mare transferri?

p. 19. Retulit quidam Noſtro, tranſplantari haud aegre poſſe abietes, modo caueatur, ne iſta trunci pars quae ad ſeptentrionem olim reſpexit, in aliam coeli plagam conuertatur. Empetrum nigrum ad ſtirpes refertur, quae ad arenam mobilem compeſcendam faciunt.

p. 37. Pro ſtupa lampadum pauperibus in Weſtrogothia caules iunci conglomerati inſeruiunt.

Grönſtadii Noruegiae baccae pruni padi (quod

p. 50. alias de tam nauſeoſis baccis vix aliquis credidiſſet) contuſae vino vel ſpiritu vini, grati ſaporis cauſſa, infundi ſolent. Eodem loco, deficiente pabulo commodiori, cortex quercuum tenerior diſciſſus, vel pauxillo farinae conſperſus, bobus proiicitur. Ad

p. 70. muſcos, prata vitiantes, delendos cineribus ea conſpergere, a re eſſe perhibetur. Panis quoque ibi coquitur ex ſecali verno et auena, vna ſatis, qui ipſe, ſi iunctim frumenti iſta genera procreuerint, gratia ſaporis longe antiſtare pani, ex commixtis poſtea granis cocto, exiſtimatur.

p. 78. Plura indicia Cl. Auctor profert decrementi aquarum, in Noruegia percepti. Alii nimirum grandaeui homines ſaxa, in infantia ſua ſub aqua recondita, ſupra eius ſuperficiem iamiam prominere, retulerunt; alii conchylia, terra ad 4 vel 6 pedes effoſſa, ſe reperiſſe narrarunt, cuius ſimilis fere ſpectaculi ipſe KALMIUS teſtis eſt. Nec hoc ſolum in vicinia maris, ſed longa ſaepe ab iſto diſtantia perceptum. Quin fuit, qui profunditate 20. pedum anchoram loco, a mari valde remoto, oſtendit. Alii quoque aſſeuerarunt, fluuia et riuos parciori iam longe, quam olim aquae copia eſſe inſtructos. Omnes vero in eo conuenerunt, lentius hic longe, quam

quam in mari Balthico decrementum contingere.
Quod cancer gammarus, per annum ſupraque ci p. 81.
ſtae ſuae immiſſus, absque vllo pabulo, ipſi ſubminiſtrato, ſuperſtes eſſe poſſit, quia ſub iſto defectu pinguefieri, a multis confirmatum: vnde patet ſolum iſtum limum, per vim maris agitatum, ad vitam eius ſuſtentandam ſufficere. Quod vero longe diuerſum, in cancro paguro, qui vix 8. dies pabuli expers eſſe, ſine vitae iactura poteſt. Echini eſculenti teſtae in caſis hominum inferioris ſortis, in- p. 83.
ſtar ornamenti, in Noruegia ſeruantur. Parciorem piſcium, de quo hodie circa littora queruntur, prouentum, haud pauci gammarorum frequenti captioni adſcribunt, cuius nimirum ouis piſces nimium delectantur. De clupea harengo quidam Auctori narrarunt, p. 93.
quod ſquamae, quibus tegitur, alimenti genus praecipuum iſti ſuppeditent, vnde coaceruatim natare obſeruatum, vt quae ſub affrictu mutuo ſeparentur ſquamae, a vicinis piſcibus deglutiri queant. Signa tempeſtatum ventorumque futurorum ex narrationibus ruricolarum ſollicite Noſter collegit, quae vero omittimus, quum non omnibus locis, etiamſi ſatis fida eſſent, applicari poſſint. Hypni loco ad aedium ligno, conſtructarum, rimas obturandas in hac Noruegiae parte (Grönſtadii) ſphagnum vſurpatur. Siſtitur petromyzonis quaedam ſpecies, cui id ſingulare eſt, quod per omnes p. 100.
corporis aperturas tenacem mucum et quaſi gelatinam effundat, aliisque piſcibus adhaerens, ſuctione eos vita priuet. Zoſtera cum foeno commiſta, quin piſcium capita, aqua emollita, et ſter- p. 109.
cus equinum per hyemem, ſub penuria commodioris pabuli Chriſtianſandiae bobus offertur.

Sub annonae defectu ſupra Dronthemium ſeptentrionem verſus, ipſos homines corticibus pini acquieſcere oportet, quibus, ne frugibus quidem inuentis,

inuentis, abſtinent, eos cum auena commiſcendo, vt ne ſcilicet duro alimenti genere et exſucco deſueſcant. Eandem miſcelam equis quoque proiiciunt. In ouium autem nutrimentum cortices betularum et alnorum deglubunt. Pro hominum vſu alii corticem alni, pini cortici ſubſtituunt. De
p. 111. aue quadam marina, gaul, magnitudine anſeris refertur, quod copia plerumque inſigni volatum exerceat, et quidem ita, vt altera alteram recta linea inſequatur.

p. 113. Chriſtianſandiae maris vi, arenae copiam in littus proiici, eaque ratione terram augmentum inſigne capere, incolae obſeruarunt. Accidit et hic cuidam, vt, dum terram foderet, anchoram, notabili a mari diſtantia, detegeret.

p. 141. Initio februarii a. 1748. Londini Noſter aduenit, ex qua vrbe per moram, quae eum in Anglia detinuit, varia in ipſam regionem, prouincias ſcilicet Cantium et Eſſexiam, itinera inſtituit. Plurima, quae inter haec memoriae prodidit, ad oeconomiam pertinent, ita vt inde quid in hac artium parte, qua Angli, vt in tot aliis, florent, praeſtiterint, addiſci poſſit. Comparationem inter Sueciae et Angliae partis, quam inuiſit, clima faciens, huius tam mite deſcribit, vt pecora, exceptis interdum vaccis, per ipſum adeo hiemem ſub diu relinquantur, et vt terra quolibet anni tempore vomere ſubigi poſſit. Vlterius id patet ex catalogo ſtirpium, initio martii flores ferentium. Adiun-
p. 160. git paullo poſt illi alium ſtirpium indicem, quarum vſus pro ſepibus ibidem fit, inter quas aquifolium eum in finem inprimis magno in pretio eſt. Ex huius cortice gluten aucuparium conficitur.
p. 169. Londini a ditioribus copiam pauonum, pullorum praecipue cauſſa, quibus veſcuntur, ali vidit.

Vt

Vt agros contra cornicis fructilegae iniurias tueantur, frumenti grana aqua, cum nuce vomica cocta, infundunt; quibus tum auis ista inebriatur, ita vt vel pereat, vel in terram delapsa interfici possit. Nec vlla ipsi frumento inde noxa, inducitur. Multus Noster est in commodis, quae vlex Europaeus, frutex in Anglia frequentissimus, pro focis accendendis, pro sepibus construendis, pro vestiendis parietibus et pabulo ouibus et cuniculis comparando, praestat, recensendis. *Conf.* p. 200. 249. 258. p. 173.

De Cl. ELLIS in oeconomia peritia, documenta in proprio fundo, quem perlustrauit, tenuia modo se vidisse testatur, prout de hoc ipso viro in vniuersum paullo durius iudicat. p. 338.

Perplacet nobis mos iste, in Anglia vigens, quod scilicet diuersae oeconomiae partes non iunctim vbiuis, sed sigillatim exerceantur, ita vt in vna provincia vel ditione agriculturae, in alia lupuli sationi, in tertia rei pecuariae, et sic porro operam dent. *Conf. Tom. II. p.* 59. Pteridem aquilinam copiose pro focis adhibent. Medicaginem catmam et trifolium pratense hedysero onobrychidi Angli pro pabulo pecudum longe praeferunt. Retulit Nostro quidam oeconomiae peritus, erinaceos vaccarum lac, dum istae in campis prostratae iacent, exsugere. Ab ELLISIO autem percepit, porcos smilacibus insigniter delectari. p. 206.

Claui ferrei mentio fit, in trunci arboris meditullio reperti, qui sine dubio ante illi infixus, sensim succrescente ligno, illo reclusus fuit. p. 235.

De annulis, quos in fagorum truncis dissectis examinauit, varia notatu digna profert, quibus incrementum arborum, pro varia aetate diuersum, constat. *Conf. p.* 306. Cum his comparari merentur, quae de annulis hederae alio loco habet. Fuliginis p. 243.

liginis virtus ad agros ſtercorandos et muſcos auferendos valde extollitur.

p. 257. Ex creta, qua iſta terra tantum abundat, vſtione commodam calcem pro aedificiis conſtruendis in Anglia parari, multi Auctori Noſtro aſſeruerunt. Proprio eius ſcrutinio autem patuit, copiam concharum in iſta latuiſſe. Nec ſine dubitatione ſubſcribit iis, qui ex vulgari ſilice, qua ſcintillae excutiuntur, calcem elici, illi retulerunt. Inter tot artificia, quibus in ſtercorandis agris vtuntur, memoramus hic modo conſuetudinem, lacinias ex panno laneo in hunc ſcopum adhibendi, vnde optimum triticum procreſcit. *Conf. p.* 305. Hederae arboreae folia ouibus gratum pabulum praebent. *Conf. p.* 347. Ex teſtimonio viri, in cultura apum exercitati, ſal eximie per hiemem iis nutriendis inſeruit, ſaccharoque vel melli valde praeferendum eſt.

p. 263. Fodinam iſtam, tatternel dictam, in ditione Bedfordshire ſitam, in qua lapis freeſtone frangitur, ample Noſter deſcribit. In hoc lapide ſingulare eſt, quod in ipſa fodina griſeum colorem et tantam mollitiem habeat, vt facile cultro incidi poſſit digitisque frangi, aeri autem expoſitus, inſtar cretae fere albeſcat, et inſigniter indureſcat. Inuenit autem in illo globulos pyriticos, radices arborum, pectinites oſtreasque. Commune eſt ex illo domos conſtruere.

p. 286. Cretae in ſilicem transmutationem multis teſtimoniis et propria obſeruatione Auctor confirmat, quod vero non de omni cretae genere valere inde euicit, quod multis in locis, creta obſitis, ne vllum quidem ſilicis fruſtulum animaduertit. Quomodo calx ex creta uratur, pariter Cl. Auctor exponit. *Conf. Tom. II. p.* 78. Alias vero in agris ſtercorandis vſus celebris eius in Anglia eſt. *Conf. Tom. II. p.* 60.

Radices

Radices eſculentae, vt dauci, paſtinacae per hiemem commode ſeruantur, modo ſtramine ex tritico inuoluantur. p. 307.

Quercum vidit Noſter, quae in ambitu ſuo 15. vlnas, longitudine autem ſua menſura a ſolo ad extimos ramos ſumta, 58. vlnas aequauit. p. 353

Crambe maritima, vt cibus, copioſe in Anglia colitur.

Laros in horto quodam hunc vſum praeſtare obſeruauit, quod eum lumbricis, erucis, limacibus aliisque animalculis, vim hortis inferentibus, liberarent. p. 356.

Piratam illum famoſum Angriam, vt nauigia eius praedae intenta tanto celerius curſum abſoluerent, ſolitum fuiſſe iſta extrinſecus nucibus cocos diſciſſis laeuigare, narratum Auctori eſt.

Prout antea lapidis *Freeſtone* naturam deſcripſit, ita et hic illum *Portlandsſtone* dictum ad praeſtantiſſima aedificia, monumenta, pontes, cet. adhiberi ſolitum, perſequitur. p. 371.

Opera quoque, quae ad hortum culinarem pertinent, ex more, ibi apud hortulanos recepto, non iunctim, ſed inter plures diſperſa, procurantur, ita vt vnus legumina, alter olera, tertius arborum propagationem, quartus flores ſibi praecipue commendatos habeat. Quomodo vero horti culinares inſtructi ſint, ſeparatim alio loco KALMIUS tradit.

Varia notatu digna muſei IOANNIS SLOANE, p. 376.
tum 94. annos nati, recenſet, adiungens quaedam, quae vitam eius illuſtrant. *Conf. p.* 388. 427.

Circumforanei, qui contrectatione colubri Beri, venenatiſſimi ſerpentis, admirationem pepererat, aſtutia, pecuniae ſumma ſoluta, poſtea comperta fuit, qui nimirum ſerpenti, mox poſtquam illum cepiſſet, dentes callide euellere nouit.

Animadvertit Noſter circa Londinum plantas multas vulgares longe maiores, quoad omnes ſuas partes, quam in Suecia; quod ſoli fertilitati adſcribit. p. 414.
Contra ea medicago lupulina in campis miſere procreuit.

p. 455. p. 473. uit. Chelſeani horti eiusque praefecti, MILLERI mentio fit, botanicis haud ingrata futura. Vlmus Anglis inprimis in deliciis eſt, adeo vt pleraque ambulacra ex hac arbore effinxerint.

Tomus ſecundus. Pergit initio huius tomi Cl. Auctor obſeruationes ſuas, in Anglia factas, ſuppeditare. Lac, vt coagulum aeſtate concipiat, in prouincia Eſſex in ciſtis plumbeis ſeruare ſolent, quum acidum, lac vitians, nec lotione eluendum, vaſis ligneis, quae alibi vſurpantur, adhaereſcere, expertum ſit. Lacti quoque non tam longam moram, antequam cremorem pro butyro inde parando ſeparent, concedunt. Hinc inde anſeribus, adhuc viuis, plumas, puluinis farciendis deſtinatas, euellunt, quarum in locum mox aliae ſuccreſcunt; et iſtae quidem plumis occiſorum longe praeſtantiores magisque elaſticae reputantur. Ceraſa prouinciae Kent, quorum plantationem hic Noſter deſcribit, reliquis aliorum locorum a multis praeferuntur.

p. 5. p. 9.

Stratorum terrae ſedulus Noſter pluries ſcrutator fuit. *Conf. p.* 41. 50. 63. Prope vrbem Graueſand puteus, in ipſo monte cretaceo foſſus, inſignis altitudinis occurrit, isque aquam optimae notae largiens. Exiſtimat autem Auctor plerorumque puteorum, qui Graueſandii ſunt, aquam eiusdem originis eſſe. Fontes contra ea in prouincia Kent et quoad magnam partem in prouincia Eſſex valde rari ſunt. Trifolii pratenſis et medicaginis ſatiuae vbiuis in prouincia Kent crebra cultura fit, quum gramina ob cretaceum ſolum parcius proueniant. Salicorniam ſeminibus ſinapi et aceto, additis variis aromatibus, vt acetarii genus obtineant, condiunt.

p. 20. p. 48. p. 91. p. 97.

Tandem Noſter initio auguſti nauem, in Americam tendentem, ingreſſus eſt, quam ipſam orbis

partem

partem ſeptembri medio, via per fluuium Dellaware ad Philadelphiam directa attigit. Parcior quidem ſuppetiit per hoc interuallum, quo per Oceanum circumactus fuit, Auctori Noſtro ſciendi ſuam cupiditatem ſatiandi occaſio. Fuci tamen, varii piſces, meduſae, aliaque animalia marina, aues aduolantes, tempeſtatis ratio, colloquia cum itineris ſociis vtilia, aliaque animum Auctoris defixum tenuerunt. Fucum ab Anglis Golfweed dictum, qui per maris vndas inde a Florida propelli exiſtimatur, curatius deſcribit. Crebrius ſub itinere auis, procellaria vocata, naui aduolauit. Hirundo quoque per tempus moram in illa cepit. Quum magis Americae appropinguaret, piſces volantes in Noſtri conſpectum venerunt, qui, quod ſingulare, plerumque contra ipſius venti directionem volatum direxerunt.

Philadelphia ob commercia, quae alit, floren- p. 170.
tiſſima, prima Americae vrbs fuit, quam Cl. Auctor perluſtrauit. Aedes ibi ligno cupreſſi thyoidis (white ceder Anglis) tectae ſunt, quod ipſum, tam ob leuitatem, quam quoniam putredini eximie reſiſtit, huic vſui vel maxime idoneum eſt. Nume- p. 192.
rum per complures annos ibi demortuorum ex diptychis definit. Quot vero quotannis naſcantur, indicare non potuit, quum vix vlla horum in tabulis ratio habeatur, nec de his ex demortuis ob aduenas, qui quotannis Philadelphiae appellunt, conſtitui poteſt. Iucundi praeſertim botanicis et proficui tomi duo itinerarii huius poſteriores ſunt, quoniam ad ſtirpium Americae ſeptentrionalis, arborum nominatim et fruticum notitiam, ſiue earum characteres, ſiue natura et vſus ſpectetur, accuratiorem ducunt.

Operae pretium exiſtimamus, nomina praeci- p. 201.
puarum arborum indigenarum, quas circa Philadelphiam creſcentes Noſter vidit, adponere. Quer-

cus alba. Quercus rubra, eiusque varietas. Iuglans alba. Rubus occidentalis. Acer rubrum. Rhus glabra. Vitis labruſca, vulpina aliaeque ſpecies. Sambucus Canadenſis. Quercus phellos. Azalea lutea. Crataegus crus galli. Vaccinii ſpecies variae. Quercus prinus. Cornus florida. Liriodendron. Prunus Virginiana. Prinos verticillatus. Platanus occidentalis. Nyſſa aquatica. Liquidambar ſtyraciflua. Alni varietas. Fagus caſtanea. Iuglans nigra. Rhus radicans. Acer negundo. Prunus domeſtica. Vlmus Americana. Roſa canina. Laurus ſaſſafras. Crataegus tomentoſa (the curranttree). Fraxinus excelſior. Smilax laurifolia. Kalmia latifolia. Morus rubra. Rhus vernix. Hamamelis. Dioſpyros virginiana. Pyrus coronaria. Iuniperus Virginiana. Laurus aeſtiualis. Carpinus oſtrya. Carpinus betulus. Fagus ſyluatica, Species iuglandis Anglis butternut. Pinus Penſyluanica (an Pinus Strobus?). Betula lenta. Cephalantus occidentalis. Pinus taeda. Cercis Canadenſis. Robinia pſeudo-acacia. Magnolia. Tilia Americana. Gleditſia hiacanthos. Celtis occidentalis. Annona muricata.

p. 206. Rore ſeptembris menſe madidam non ſuperiorem modo foliorum ſuperficiem, ſed et inferiorem Auctor notauit, exceptis foliis verbaſci thapſi. Ketmiae Indicae folio ficus, fructu pentagono, recuruo, eſculento, graciliori et longiori (*Miller's Gard. Diction. ſp.* 18.) fructu aethiopes in iuſculis ſuis vtuntur. Capſicum annuum commune aroma in culinis fuit. Rhus glabrum gerit baccas, pueris, vtut acidas, gratas, quae tinctoribus autem colorem rubrum largiuntur. Racemi, qui ex iis conſtant, cocti, atramentum ſuppeditant. Ipſe autem truncus plurimam partem medullaris naturae

p. 212. eſt. Rhus vernix deleteria arbor eſt, cuius tamen venenum id ſingulare habet, quod quidam impune

plantam

plantam contrectare poſſint, aliis autem illa tumorem corporis, dolorem veſicasque ex ſolo odoratu vel contrectatione excitet. Quae vis et ſolis arboris huius exhalationibus tribuitur. Adeo vero venenata eſt, vt rhus radicans illi longe poſtponendum videntur. In Auctore Noſtro iſte effectus non, niſi cuti, ſudore madidae, folia imponerentur, ſeſe exſeruit. *Conf. p.* 227.

Varia genera vinorum, ex fructibus indigenis paratorum, Auctor enumerat, inter quae modo vinum ex fragis memoramus. *Conf. p.* 228. p. 218. Ligna pro focis accendendis valde communia ex iuglande alba, quercu alba et nigra ibi deſumuntur. Sciuri magnam ſtragem in agris, zea mays conſitis, exercent. Vnde in Marylandia quiuis ruſticorum lege tenetur, ad quatuor capita ſciurorum interfectorum iudici quotannis offerenda, et pretium iis, qui haec animalia ſclopetis necant, ſoluitur. Refertur ad ea animalia, quae ſerpens crotalophorus aſpectu ſuo ita faſcinare creditur, vt ineuitabili fato in ſerpentis rictum apertum irruat. Vrſi lotoris caro gratum cibum conſtituit, pellis autem ad pileos inde parandos, vix caſtoris ſecundos, adhibetur. *Conf. Tom. III. p.* 24.

Boues in Americam Europaeorum ſollertia primum translati ſunt. De his, prout reliquis pecoribus, mactari ſolitis, nec indigenis obſeruatum, quod tertio vel quarto generationis gradu minorem ſtaturam adipiſcantur. p. 233. Ita et homines ibidem citius ad maturitatem tam animi, quam corporis peruenire exiſtimat, celerius quoque faſtigium ſenectutis attingere, adeo vt raro octogenarius vel nonagenarius occurrat. Quin haec KALMIUS ad arbores extendit. Vnde nec naues, ex lignis in America indigenis conſtructae, per tot annos perdurant, ac iſtae ex lignis Europaeis fabrefactae.

Ad quaeſtionem, cur ſtirpes Americae ſeptentrionalis tam ſero in Europa (ſubintelligitur inprimis Suecia) flores et raro maturos fructus ferant, reſpondet, id inde pendere, quod hiems in ea Americae parte, nominatim in Penſyluania, Canada. Noueboraco, etſi ſatis frigida, longe breuior ſit, et dies calidiores frequentius longe, quam in Europa, incidant. Quod manifeſtius adhuc ex adiectis tabulis metereologicis fit.

p. 244. Spinae crataegi, crus galli dictae, loco acuum et aliorum inſtrumentorum, quae acutam figuram requirunt, vſurpantur. Quoniam quercus Americanae adeo in putredinem procliues ſunt, pars nauium ſuprema, quae mox ſupra aquae ſuperficiem attollitur, mox ſubmergitur, ex ligno iuniperi Virginianae conſtat, quae putredini inprimis reſiſtit. Ex teſtimonio Cl. BARTRAM, viri, in hiſtoria naturali Americae verſatiſſimi, vrſi, quorum copia magna in America proſtat, bobus, morſu per cutem facto, inflatione aeris necem p. 250. afferunt. In caſſiae chamaecriſtae foliis pariter vim ex attactu ſeſe contrahendi Auctor animaduertit Americani ſpadicem cum ſeminibus ari Virginiani pro cibo coquunt, quod per coctionem acredine ſua liberatur. In ſarothra gentianoide virtus vulneraria praeſertim laudatur.

p, 255. Fructus dioſpyros Virginianae, inſtar pruni ſpinoſae initio acerbus, frigore miteſcit et grate editur, nec minus iucundum vinum largitur. Cereuiſiam quoque inde coquunt. Lignum vero eius fabris lignariis acceptum. *Conf. p.* 437. Phytolaccae folia ab aue quadam copioſe ingeri obſeruauit. Gnaphalii margaritacei, quod pulchritudine ſua feminis Anglis tantopere ſeſe commendat, flores ad dolores ſopiendos et contuſiones diſpellendas in fomentis et ſacculis, aqua coctis, vſurpantur. Loco

lini

lini quibusdam caules apocyni cannabini ad lintea rudiora sunt.

Nec desunt ibidem multa decrementi aquarum vestigia, quae vero repetere necessaria breuitas interdicit. *Conf. p.* 444. Zea mays vulgatissimum frumenti genus apud Indos constituit. *Conf. p.* 434. Chenopodii anthelmintici semina optimo successu infantibus verminosis exhibentur. *Conf. p.* 291. Insignis vtilitatis arbor acer rubrum est, non ligni tantum caussa, ex quo varia vasa et vtensilia fiunt, sed et corticis, qui colorem intense coeruleum subministrat, et succi, ex quo syrupus et saccharum coquitur. Portulaca inter zeam copiose sponte emersit. p. 259. p. 288. p. 291.

Pisa rarius ob infectum, quod illa depascit, in America coluntur. Non multum defuit, quin KALMIUS idem malum in Europam secum reportaret. Quum enim chartam, cui pisa, in America collecta, indidit, in patria aperiret, ecce erosa illa inuenit, et in quolibet semine insectum, caput suum efferens, reconditum. Non neglexit vero, malo tempestiue praeuertere. Rhus radicans vim vernicis in eo aemulatur, quod venenum eius nonnullis modo hominibus noxam inferat, quibus vero adeo deleterium est, vt vel halitibus, corpus alluentibus, illud intumuerit. Tuberum conuoluuli batatas cultura et vsus fere idem est ac solani tuberosi. Materia ista ceracea, quae fructum myricae ceriferae obuoluit, coctione cum aqua separatur. Superficiem enim aquae petit, vt inde facile auferri possit. Sebo plerumque, vt inde candelae parentur, commiscetur. Pauperibus tamen maiori in pretio, quam ditioribus cera ista est. Pro sapone quoque commoda est, et chirurgi emplastris suis admiscent. *Conf. Tom. I. p.* 384. p. 297. p. 300.

p. 314. Meliſſae pulegioides ſudorifera virtus multis arriſit. Teneris foliis phytolaccae decandrae Angli et Sueci, in America degentes, inſtar oleris veſcuntur. Poſtquam autem iſta adoleuerint, ob vim draſticam ſuſpecta ſunt. Baccae tamen ab infantibus interdum autumnali tempore innoxie ingurgitantur. *Conf. Tom. III p.* 90. Collinſonia Canadenſis in fomentis doloribus medetur, quin ſemel homini, a crotalophoro demorſo, ſpe fere omni reſtitutionis deleta ſuccurrit. Cornus florida,
p. 321. quae nitidiſſimis floribus inſtructa eſt, ob duritiem ligni praeſtans cenſetur. *Conf. Tom. III. p.* 104. Pulchritudine vero et vſu longe antecellit liriodendron tulipifera operibus ſcriniariis maxime idoneum. Cortex a quibusdam cortici Peruuiano ſuppar habetur. Folia contuſa in cephalalgia ca-
p. 324. piti imponuntur. Magnolia Virginiana peregrinantes gratiſſimo florum odore reficit. Baccae eius contra morbos pectoris adhibentur, adeo vt et phthiſin ſanare poſſe, perhibitum ſit. Cortex diarrhoeam ſiſtit. Aduerſus catarrhum autem et refrigerationem rami aqua coquuntur. Vt de ligni praeſtantia nihil dicamus.

p. 326. Recenſentur ab Auctore varia animalium ferorum genera, quae manſuefacere ars edocuit. De trochili (*Hummingbird*) natura et vitae genere multa lectu iucunda habet, quae auis magnitudine apem maiorem refert, ſplendore et colorum varietate omnes reliquas aues ſuperat et nutrimentum ex florum nectariis haurit. Succus ſaluiae expreſſus, cum limoniorum ſucco miſtus, febres intermittentes feliciter profligauit, dum verſus paroxyſmi tempus ingereretur. Cortex quercus albae autem contra diarrhoeam et dyſenteriam efficacem multis ſeſe exhibuit, qui alias ad lanam, colore bruno tingendam, vſurpatur.

Ad

Ad littora maris conchae ſpecies, *clam* vocata colligitur, quae non ſolum vbiuis cibo inſeruit, ſed cuius teſta inter ornamenta et monetas Indorum, quas *wampum* nuncupant, refertur. Eſt nimirum haec ipſa hinc inde violaceis maculis diſtincta, quae ipſa pars pro indicato ſcopo a reliqua teſta ſeparatur. p. 375.

Viuerra putorius, ob vrinam foetidiſſimam et corrodentem, infeſtum animal eſt. Hanc ſolet in ſui defenſionem per longam diſtantiam eiaculari. Oryza in Carolina copioſe plantatur. p. 378.

Rariores lupi in Penſyluania ſunt, qui vero eo tempore, quum Europaei accederent, variolasque ſecum ferrent, odore cadaueroſo hominum, eo morbo exſtinctorum, allecti, frequentiſſime ad habitacula incolarum ſeſe tranſtulerunt, ita vt morbo hoc adhuc conflictantes, viuique vix ſeſe contra illos tueri poſſent. p. 387.

Apes conſenſu omnium quoque non ante aduentum Europaeorum in America notae fuerunt. Iam vero earum cultura egregie ſuccedit, exceptis locis, magis ad ſeptentrionem ſpectantibus. Hinc quum examina ſua habent, nunquam verſus ſeptentrionem, ſed verſus auſtrum excurrunt. p. 390.

In cauſſas inquirit Auctor, cur auium et piſcium minor hodie copia, quam olim, in Penſyluania proſtet. Animal *mooſe - deer* dictum, cuius cornibus inſignis valde magnitudo tribuitur, alcem eſſe exiſtimant. p. 391.

Saxum talcoſum particulis ſpataceis granatisque immixtis, Anglis *ſoap - ſtone*, ad varia aedificiorum genera in Penſyluania adhibetur, et delendis veſtium maculis commodum. p. 398.

Fontes ſalini, minerae plumbeae, magnes, amianthus reperti hinc inde ſunt. Ferri vero tanta copia proſtat, vt et magno cum fructu in ipſam Europam transmitti poſſet. p. 400.

De formicis varia narrat Auctor ex ore FRANKLINI percepta, quae haud obſcure ſignificant, iis vim eſſe ſenſus animi inter ſeſe communicandi.

p. 408. Rigandorum pratorum tempeſtate nimis ſicca compendiaria via exponitur.

p. 419. Sciurus cinereus per totum annum colorem ſuum ſeruat, ſingularem ſciuri hi ſollertiam impendunt pabulo ſuo, pro hieme tempeſtiue conquirendo. Facile manſueti reddi poſſunt. Aliquando magna copia ex ſyluis ad colonias Anglicas ſeſe transferunt, quod plerumque indicium hiemis valde frigidae habetur. Saepe ſerpenti crotalophoro vi faſcinationis in praedam cedunt, quae etiam ſerpenti atro cuidam tribuitur. Zeae mays noxii valde ſunt, cuius herba et ſeminibus tantum delectantur, vnde et praemia, necantibus iſtos, ſtatuta. Sciurus volans aeque facile manſuefieri poteſt. Hic vltra 4. ad 5. orgyas vna vice volatu ſuo non abſoluit. Sciuro ſtriato autem id proprium eſt, quod nidum ſuum non in truncis arborum ponat, ſed inſtar cuniculorum in foueis ſub terra ſeſe abdat. Ibi etiam promptuaria ſua habet in varios loculos diuiſa, in quorum quouis ſingulare pabuli genus ſeruat.

p. 430. Kalmiae latifoliae frondes ouibus, vitulis, bobus et equis valde noxiae ſunt, quum tamen ceruis et auibus quibusdam congruum pabulum conſtituunt. Pleraque Penſyluaniae, Yerſeae nouae et Marilandiae gramina annua ſunt. Quae vero ſeptentrioni propius proueniunt, perennem durationem habent. Vnde haud raro foeni in prius dictis prouinciis penuria percipitur, ad quam vero reſarciendam multi, ſemina graminum perennium ſibi ex Anglia mittenda, curarunt. Cucurbitae variae ſpecies edules memorantur. Fagopyrum frequenter colitur.

p. 441. Febres intermittentes ex vulgatiſſimis morbis Yerſeae nouae ſunt, quibus et infantes tenerrimi corripiuntur. Vt iſtam profligarent, quidam corticem

cem Peruuianum, alii corticem liriodendri vel corticem radicum corni floridae, vel corticem perſicae, alii folia potentillae reptantis vel potentillae Canadenſis adhibuerunt. Inter haec remedia praecipue gei riualis radix notari meretur, (cuius pretium experimentis Cl. BERGII, Profeſſoris Stockholmienſis, abunde confirmatur). Perceptum quoque eſt, eos, qui prope ad ferri fodinas habitant, nunquam fere febribus iſtis infeſtari, qui vero iis corriperentur, haud aegre potu aquarum martiatarum iterum curari. Pleuritis quoque prae reliquis p. 481. multos afficit. Omnes in eo conſenſerunt, Aethiopum colorem etiam tertia et quarta generatione in America conſtantem manere. Fertilitatis Ameri- p. 486. canorum luculenta quaedam exempla producuntur.

Grylli erucae variae arborum, quarum iſtae *caterpillars* ab Anglis vocatae peſſimae indolis ſunt, vermes quidem gramina depaſcentes, pulices, cimices, blattae, panem conſumentes, acarique moleſtiſſima in America infecta ſunt. Lana ſeminum ane- p. 512. mones Virginianae, ſpiritu vini madida, ad ſedandam odontalgiam denti cauo immittitur. Alia etiam contra hoc malum, prout hinc inde in hoc libro contra alios morbos commendata inuenimus remedia, quae vero ſtudio omiſimus, quoniam ſaepe modo ex narrationibus medicae artis rudium hominum profecta ſunt.

Tomus tertius totus Americae dicatus eſt. Iucundum lectu eſt, quanta ſimplicitas in omnibus p. 1. ante Europaeorum aduentum in America obtinuerit. Ferrum licet vbiuis minerae ferreae in ſeptentrionali America occurrunt, omnino illos latuit. Secures, cultri aliaque neceſſaria inſtrumenta ex fragmentis lapidum, oſſium etc. confecta fuerunt. Molarum loco in mortariis frumenta ſua contuderunt.

runt. Ahena vel ex argilla, vel lapide ollari fac-
fuerunt. Hamorum ferreorum loco vnguibus
auium, vel fragmentis oſſium piſces ceperunt.
p. 8. Lepores Americani Suecicis longe minores ſunt, in-
ſtar cuniculorum. Quo intenſius hieme frigus eſt,
p. 19. eo magis pingueſcunt. Caſtoris moſchati, caſtoris
fibri et muſtelae cuiusdam, non valde a muſtela pu-
torio diſtinctae, vitae genus vlterius Auctor per-
ſequitur.
p. 27. Sedulo in hoc, prout praecedenti tomo, ad
tempus gemmationis, et foliorum lapſus, vti et ad
tempus eruptionis florum attendit. *Conf. p.* 99.
p. 33. Inter complures aues, ab Auctore recenſitas, men-
tionem hic modo binorum facimus, quae agris,
zea conſitis, magnum detrimentum afferunt. Al-
teram vocat CATESBY monedulam purpuream, alte-
ram ſturnum nigrum, alis ſuperne rubentibus. Vt
primum grana emiſſa fuerunt, iam aduolant, prae-
dam quaeſiturae. Quod ne fiat, grana decocto
radicis veratri albi (*Conf. p.* 47.) antea immittunt,
vnde inebriantur aues, et reliquae exemplo eorum
edoctae aufugiunt. Ad eas necandas incolae pu-
blicis praemiis excitati ſunt; verum FRANKLINUS
inde vermes in pratis nimium augmentum cepiſſe,
notauit. Praeter dictas aues ex pici genere variae
zeae valde noxiae ſunt. Baccae vaccinii hiſpiduli
eodem modo ac vitis idaeae baccae in Suecia et in
Hercynia condiuntur & conditae in Europam mit-
p. 48. tuntur. Veratri albi radix in decocto ſcabiem ſanat,
et infantum pediculos necat; infeſta vero omni-
bus animalibus notis haec ipſa reperta eſt.
p. 49. Quod numerus Americanorum poſt aduen-
tum Europaeorum adeo decreuerit, praeterquam
bellis crebro geſtis, variolis et ſpiritus vini abuſui,
tribuit. Ante iſtum triticum, hordeum, ſecale,
auena et oryza ignota fuerunt omnino frumenta;

et

et zea mays contra ea, quaedam ſpecies fabarum et cucurbitarum fere ſola alimenta ex ſtirpium numero exſtiterunt. Acceſſere poſtea ad haec, tuberа glycines apios, radices ſagittariae ſagittaefoliae, radices ari Virginiani, quae acrem vim ope ignis perdunt, orontium aquaticum et baccae variarum ſpecierum vaccinii, quarum quaedam adhuc cibos Americanorum intrant. p. 51.

Loco cannabis Americani telas varias et funes ex apocyno cannabino parant. p. 78.

Olim pappo typhae latifoliae pului nos ſuos infarſerunt, hodie autem folia eius, in annulos contorta, equorum collis appendunt, vt ne, temone curruum, frictionem patiantur, vel pro ſedilibus contexunt. p. 79.

Hirundinem ruſticam ex migratione ſua d. 10. aprilis n. ſt. aduenire vidit, hirundinem pelagicam autem d. 3. maii n. ſt. p. 85.

Ex dircae cortice funes conficiunt, lignum vero ipſum valde tenax eſt. p. 90.

Olim quoque folia rumicis criſpi et chenopodii albi pro olere adhibita ſunt.

Ad migratorias aues auis ab Anglis *whip poor will* dicta, quam LINNAEUS pro varietate caprimulgi habet, referenda. Nomen Anglicum ex ſingulari clamore, quem noctu edit, tulit. p. 93.

Meloe proſcarabaeus folia veratri albi auide ingeſſit. p. 98.

Liquidambar ſtyraciflua paruam modo copiam balſami in Yerſea noua ſtillat, largiorem longe in prouinciis auſtralioribus. *Conf. T. II. p.* 282. 501. p. 102.

Goſſypium herbaceum ſeri iamiam ibi incipit, ſed in Carolina ob aeſtatem calidiorem et longiorem felicius. p. 106.

In ſtagnis et paludibus rana boans, cuius vox bouinam refert, frequens Noſtro occurrit. p. 110.

Pullis anſerum et anatum, nec non gallinarum inſidiatur.

Anglorum, qui in America degunt, *white cedar* eſt cupreſſus thyoides LINNAEI, quae arbor inſignem ſtaturam adipiſcitur, et lignum habet putre- p. 114.

dini

dini quam maxime reſiſtens. Ad palos igitu
cymbas, faſcias doliorum, aedificia, tecta adhib
tur. Salutare etiam lignum conciſum in infu
theaeformi habetur, et ipſa aqua ſtagnorum, in qu
bus arbor haec creſcit, commoda appetitui ciend
p. 119. iudicatur. *Red Cedar* Anglorum autem iuniperu
Virginiana LINNAEI eſt. Iisdem fere vſibus, ac arbor
modo dicta inſeruit. Ob colorem ſuum rubrum,
qui vero ſolis vi facile perit, ad opera ſcriniaria
praeſertim placet. Aeque fugax eſt odor ligni, ini-
p. 123. tio gratiſſimus. Smilax laurifolia peregrinantibus
per loca paluſtria, quoniam ſe circa frutices vicinos
circumuoluit, et ſpinis magnis inſtructa eſt, multa
incommoda parit.

p. 138. De angue nigro CATESBY (*Black-ſnake*) fuſe
Cl. Auctor egit. Maxima eius longitudo 6 pedes
conſtituit. Curſus eius valde celer eſt, vt vix ali-
quis eius inſidiis ſubripere ſeſe poſſit. Veneno etſi
caret: eandem tamen vim aues et ſciuros faſcinan-
di illi adſcribunt ac crotalophoro. Cuius ſingula-
ris effectus varias coniecturas Auctor proponit.
Auium oua exhaurire ſolet et lacte impenſe delecta-
ri. Kalmia anguſtifolia latifoliae vi venenata non
p. 147. cedit. Dioſcorea alata ob tubera radicis, ſapore
ſolanum tuberoſum aemulantia, copioſe in auſtrali
America plantatur, in ſeptentrionali autem pro
ferculo rariore habetur.

p. 177. Circa Albanyam, vrbem ducatus Noueboracenſis, multas arbores et frutices, circa Penſyluaniam creſcentes, non inuenit, quum regio ſeptentrioni propior ſit, montoſa praeterea et multis fluuiis percurſa, qui curſum ſuum verſus auſtrum in oceanum dirigunt, hinc ſemina ex ſeptentrionalibus
p. 179. partibus verſus auſtrales transferunt. Fluxus et reſluxus maris termino 8 ad 10 milliarium Anglicorum

ſupra

supra Albanyam subsistit, adeoque ad distantiam 156 milliarium Anglicorum a mari pertingit.

Iunio mense medio iter KALMIUS in Canadam ingressus est. Ad locum quendam, Cohoes, insignis istius cataractae, quam amnis Mohaak facit, antequam in fluuium Hudsonis incidat, spectator fuit. Altitudo eius ad $12\frac{1}{2}$ orgyas censetur. Thuya occidentalis primum Nostro in vicinia Canadae occurrit. Noctu pacato, etsi omnino aere, arbores proceres, maximo fragore sponte in syluis cadentes, audiuit. *Conf. p.* 231. Vlmi Americani arboris in syluis frequentis cortex ad cymbas conficiendas vsurpatur. Qua arte, ipse KALMIUS didicit, quum eius in vsum ad iter per fluuium absoluendum eiusmodi cymba conficeretur. Sed infidum nauigium, quum et sub ingressum ipsum pedibus facile perforetur, et a ramis et lapidibus acutis in aqua obuiis dilacerari possit. Culices, praesertim pulicares, et acaros Americanos peregrinantibus insignes molestias parare Auctor queritur. Hosce posteriores in Actis Acad. scient. Suec. 1754. p. 19. curatius descripsit. Columbae macrourae, quae copiose hieme in inferiores prouincias sese transferunt, in syluis Canadae nidos suos effinxerunt. *Conf. p.* 39.

p. 195.

p. 210.

p. 217.

p. 230.

Multum contulit Dux DE LA GALLISSONIERE, dum rebus Gallicis in America praeesset, ad historiae naturalis incrementa, quum nimirum propria scriptione praefectis arcium, vrbium et militum praecipuas Americae res naturales indicauerit, eosque, vt reliqua omissa adderent, seduloque radices, semina, etc. quo Parisios mitti possent colligerent, multis modis excitarit. *Conf. p.* 452. Radice galii tinctorii hystricum aculeis colorem gratissime rubrum Indi impertiunt, et feminae vestimentis suis. Apocynum androsaemifolium vi venenata

p. 238.

p. 246.

p. 257.

Rhus

Rhus vernicem aemulari affirmarunt, in eo quoque, quod quibusdam modo ex attactu labem afferat. Lacte, quod ex planta ſtillat, veſicas confeſtim excitari in aliis vidit, quum ipſe tamen illud propriis
p. 257. manibus impune illineret Siſonis Canadenſis herba gratum et ſalutare olus eſt. Licet vero aſclepias Syriaca corroſiuo lacte ſcateat, Galli nihilominus tamen in Canada turiones verno tempore inſtar aſparagi edunt. Flores iucundiſſimo odore reficiunt, et ſaccharum praebent, quod expreſſione ſucci florum, rore madidorum, et inſequenti coctione parant. Lana, ſemina includens, a pauperibus ad puluinos ea farciendos vſurpatur.

p. 263. Dolores rheumatici, pleuritis, intermittentes febres, lues venerea, ex vulgaribus maxime apud Indos morbis ſunt. Luem veneream ſciunt iſti radicibus quibusdam, ſine vllo mercurii adiumento tollere, qua de re Cl. Auctor fuſius in *act. Acad. ſcient.*
p. 286. *Suec.* 1750. *p.* 284. egit. Boues feri copioſe in auſtrali Canadae parte reperiuntur, quorum vituli vero vix vlla arte manſuefieri potuerunt. *Conf. Tom II. p.* 226. 388. Rhus glabrum, ſaſſafras, morus rubra, platanus occidentalis, iuniperus Virginiana, aliaeque arbores, quae in inferioribus prouinciis ſponte proueniunt, hic, nonniſi arte, propagari potuerunt.

In coloniis tam Anglorum, quam Gallorum (quorum nimirum in poſſeſſione tum erant) pluribus in locis panax quinquefolium, cuius radix nomine ginſeng inclaruit, creſcit, et apud Gallos ob vim aſthma tollendi, ventriculum corroborandi et fertilitatem feminarum promouendi, magno in pretio eſt. Copioſe in Galliam transmittitur, quin in ipſam Chinam translata, vt tanto carius
p. 338. vendi poſſet. Frondes adianthi pedati in infuſo theaeformi phthiſicis, tuſſi et aliis pectoris morbis labo-

laborantibus, exhibetur. Lichenem rangiferinum Galli in itineribus ſuis, neceſſitate coacti, pro cibo coquunt. p. 353.

Quum Auctor ipſe Cl. fuſiorem catalogum ſtirpium Canadenſium ad peculiare opus reſeruaſſe indicet, nolumus plantas, ſparſim ab Auctore memoratas, recenſere, niſi quaedam de vſu vel ſingulari earum natura adiuncta fuerint. Ideo thuyam occidentalem ſilentio praeterire non licet, quam Galli in Canada cedre blanc, Angli autem Albanyae white Cedar vocant. p. 389. Ex annulis 142, quos in diſciſſa arbore Auctor numerauit, patet, eam ad inſignem aetatem peruenire. Ad palos, trabes, ligna pro focis, ſcopisque aptiſſima eſt. Dolores rheumaticos in vnguento, ex axungia facto mitigat. Quidam polypodium fronde pinnata, pinnis alternis ad baſin ſuperne appendiculatis cum thuyae ſtrobilis commiſtum et in cataplaſma redactum, eundem in finem imponunt. Pars Canadae ſeptentrionalis p. 396. nullos ſerpentes venenatos fouet, quum e contrario in auſtrali tanto frequentiores ſint. Quebeci p. 403. canes aſſuefacti ſunt, ad aquam ex fluuio in plauſtris aduehendam, et hieme merces horum adiumento ſolent transferri.

Locus quidam Cap aux Oyes, 25 milliaria p. 424. Quebeco diſtans, vltima ſtatio verſus ſeptentrionem in Canada fuit, vbi Auctor pedem fixit. Delectauit eum inprimis ibidem copia ſtirpium, quas et Suecia alit. Has inter plantago maritima eſt, cuius folia in iuſculis coquuntur, et acetaria intrant. Ita et arbutus vua vrſi copioſe ibi creuit, cuius folia tabaco pro fumo admiſcere in vſu eſt. De linnaea; vite idaea cet. nihil monemus. Iter in eam plagam praecipue ob mineras quasdam pro argenteis plumbeisque habitas, et nouiſſime detectas, inſtitutum fuit. Ibi et fontes ſulphurei ſcaturiebant.

p. 441. riebant. Sub reditum via ad cataractam Montmorenci directa est, quae inter altissimas refertur, altitudine circiter 110 vel 120 pedum, latitudine circiter 5 vel 6 orgyarum. Strepitus eius ad 2 milliaria vsque percipitur, et ex lapsu nubem quasi ad insignem distantiam sese dispergentem generat. Clima,
p. 456. tempestatisque circa Quebecum ratio ex obseruationibus metereologicis, a medico Cl. GAULTHIER cum Auctore Nostro communicatis, accuratius cognoscitur. Nicotianae fumum haurire pueris adeo
p. 463. 10 annorum familiare fuit. Quidam illam cum cortice corni sanguineae miscuerunt. Pontederae
p. 468. cordatae radicem sues auide ingesserunt. Cucurbitae citrulli, cuius fructus vbique in Canada editur, duplex varietas exstat, carne fructus rubra et alba, nec minus multae aliae cucurbitae species in deliciis sunt, et variis ferculis inseruiunt.

p. 481. Ob abusum spiritus vini, in quem adeo Indi procliues sunt, lege in Canada vetitum fuit, hoc liquidum ad illos transferre. Pleraeque merces, quas Canadenses ab Indis emunt, in pellibus animalium consistunt, quarum species et pretia apud Auctorem legere est. Cuprum natiuum ad lacum superiorem (lac superieur) effoditur. Nimis prolixum esset, omnia ista alimentorum genera hic
p. 484. repetere, quibus Indos vti Auctor narrat, quae vero de fertilitate terrae et naturae beneficiorum varietate insigniter testantur. Zizania aquatica ad ista pertinet, cuius grana vix oryzae cedunt. Et ex animalium classe castor, cuius carne diebus quoque ieiunii Romano - catholicis, quod istud animal ad pisces referendum esse autumant, vesci licitum est.

IV. The

IV.

The hiſtory of health and the art of preſerving it: or an account of all that has been recommended by phyſicians and philoſophers, towards the preſervation of health, from the moſt remote antiquity to this time. To which is ſubjoined a ſuccinct review of the principal rules relating to this ſubject, together with the reaſons on which theſe rules are founded. By JAMES MACKENZIE, M. D. Phyſ. at Worceſter and Fellow of the Roy. College of Phyſicians in Edinburg. The third edition to which is added an account — of inoculating the ſmall pox etc. Edinburg printed for W. Gordon 1760. 8. p. 464.

i. e.

Hiſtoria ſanitatis et artis eam conſeruandi: ſiue expoſitio omnium regularum, quae medici et philoſophi veteres pariter, ac recentiores ad conſeruationem ſanitatis propoſuerunt, cum ſuccincta praecipuarum ex iisdem contemplatione: additis principiis, quibus ſuperſtructae ſunt. Auctore IACOBO MACKENZIE, M. D. Editio tertia aucta relatione de inoculatione variolarum.

Inter praeſtantiſſima ſcripta, quibus recentiorum ſtudia illam ſcientiam, quae docet, quemadmodum ſanos agere conueniat, noſtris temporibus auxerunt, omnino quoque referri meretur illud,

quod nunc indicamus Cl. MACKENZIE opus*, multo ſtudio conſcriptum et ex longo artis exercitio profectum. Eſt enim illud fructus otii ſenilis, quo Cl. Auctor poſt longam artis medicae culturam fruebatur; qui cum non amplius ſanitate aegrorum reſtituenda reipublicae vtilis eſſe poſſet, voluit tamen in hoc ſeruire commodo publico, vt regulas, quibus ſanitas conſeruari poteſt, ad communem vſum proponeret. In vniuerſum autem, ita in hac re verſatur, vt primo hiſtoriam artis ſanitatem conſeruandi tradat, praecipuosque illius artis doctores eorumque varias ſententias recenſeat, additis, ſi ſcriptor aliquis ſingularem et plane nouam ſententiam propoſuerit, nominibus etiam reliquorum auctorum, qui hanc ſententiam defenderunt, licet poſt huius Auctoris tempora vixerint. In altera vero parte praecipuas regulas conſeruandi valetudinis tam generales, quam particulares, ex praecipuis ſcriptoribus collectas, exponit.

p. 17. Capite primo ad quintum vſque hiſtoriam ſanitatis et diaetetices, a mundi creatione ad HIPPOCRATIS vſque tempora, deſcribit, atque cum hae aetati de nulla fere alia ſex rerum non naturalium regulae datae eſſent, quam de victus ratione, de alimentis tantum, his temporibus vſitatis, verba facit, et hac occaſione capite quarto praecipuos ſcriptores, qui de alimentis ſingularibus libris expoſuerunt, ad noſtra vſque tempora recenſet. Occurrunt tamen gerocomices ſiue regularum circa curam ſanitatis ſenum iam quaedam in ſacris ſcriptis

p. 54.

* Exſtat etiam verſio huius libri Gallica ad ſecundam editionem facta, quae Hagae Comitum an. 1759, apud DAN. AILLAUD ſub titulo: *Hiſtoire de la ſante & de l'art de la conſerver* prodiit, nec non alia Germanica, Altenburgi eodem anno typis Richteri excuſa.

ptis et HOMERO veſtigia. PYTHAGORAS quoque circa alias res non naturales varia praecepta dedit, et poſt eum HERODICUS, qui inter HIPPOCRATIS praeceptores vulgo refertur, hanc ſcientiam auxit, inprimis quod diaetam imbecillium, et methodum vitam eorum prolongandi attinet, corporisque exercitationem multum commendauit. p. 78.
Hunc vero HERODICUM non Auctorem eſſe librorum trium de diaeta, qui inter HIPPOCRATIS ſcripta vulgo numerantur, contra LE CLERC Auctor probat. Sexto capite de HIPPOCRATE agit, p. 80.
omnesque tam vniuerſales, quam particulares regulas diaeteticas, quas ille in ſcriptis ſuis ſparſim dedit, multo ſtudio collectas, iuſta ſerie ordinatas, Lectoribus exhibet, et in adnotationibus adiectis veram harum regularum adplicationem docet.
Septimo capite Auctores poſt HIPPOCRATEM, p. 128.
POLYBIUS, DIOCLES CARYSTIUS, CELSUS et PLUTARCHUS recenſentur, et ſimili ratione vti in HIPPOCRATE factum eſt, ex CELSO et PLUTARCHO regulae diaeteticae excerptae notisque variis auctae, ſubiunguntur. Capite octauo p. 165.
de GALENO Noſter exponit, qui egregium de ſanitate tuenda opus reliquit, ex quo vero tantum eas regulas Noſter excerpſit, quae nouae ſunt, nec antea ab aliis propoſitae erant, inprimis vero eas commemorat, quae de praeceptis diaeteticis vniuerſalibus, aetatibus et temperamentis diuerſis accommodandis, agunt. Nono capite de PORPHYRIO et p. 190.
libris eius de abſtinentia ab animalibus necandis agit, atque hac occaſione etiam de aliis Auctoribus, qui carnis ad victum vſum reiecerunt, diſſerit. Decimo capite de ORIBASIO, AETIO, P. AEGINETA et ACTUARIO, ſimulque de equitationis vſu medico diſputat, quem primus commendauit. Atque cum ACTUARIUS ope panaceae vel antidoti.

doti, quod *ſanitatem* appellabat, vitam conſeruari omnesque morbos praecaueri poſſe putauerit, hac occaſione Cl. MACKENZIE reliquorum quoque Auctorum recentiorum v. c. ROGERII BACONIS (*Friar Bacon*) et FRANCISCI BACONIS DE VERULAMIO (Lord *Verulam*), qui ſimilia propoſuerant, ſententias explicat. Vndecimo capite de Arabum meri-
p. 212. tis in diaeteticam agit, in quorum ſcriptis multae egregiae, regulae reperiuntur. Duodecimo expo-
p. 222. nit de ſchola Salernitana Noſter, ſeu de iis regulis ſanitatem conſeruandi, quas ſub fine ſaeculi vndecimi ad vſum ROBERTI Ducis Normandiae, IOANNES AB MILANO verſiculis inconditis propoſuit, ſimulque de aliis, qui, ſermone ligato, ſimilia tentarunt,
p. 228. diſſerit. Decimo tertio de iis agit, qui aſtrologiam iudiciariam ad diaeteticam tranſtulerunt, MARSILIO FICINO aliisque, in quo inprimis admirandum eſt Auctoris Cl. ſtudium, qui et ex leuiſſimis ſcriptis, quaeſiuerat bona colligere, et collecta ad vſum
p. 235. ſuum adhibere didicerat. Decimo quarto capite Noſter exponit de LUDOVICO CORNARO aliisque, qui adeo curioſi fuerunt in quantitate alimentorum metienda, vt illa ſtaterae ope ponderarent.
p. 245. Decimo quinto capite Auctores diaetetici ſaeculi decimi ſexti recenſentur ante SANCTORIUM, de quo Auctor Cl. ſequente capite agit, et de medicina illius ſtatica aliisque Auctoribus ad Lectores refert, qui experimenta eius circa perſpirationem in Belgio et Anglia repetierunt, regulasque, ab eo datas, ad climata harum regionum accommodarunt. Praecipui quoque aphoriſmi ex SANCTORIO aliisque hic collecti ſunt. Decimo tandem ſeptimo capite ſcriptores diaetetici exterorum a SANCTORIO ad RAMAZZINUM vſque et vltimo ſcriptores Anglici ad RICHARDUM MEAD vſque enarrantur.

Altera

Altera pars plurimas continet regulas diae- P. 324.
teticas, quas ſcriptores omnes, philoſophi pariter ac medici, propoſuerunt, in aptum ordinem redactas, et adeo perſpicue expoſitas, vt etiam ii, qui nulla rei medicae cognitione imbuti ſint, haec omnino cum fructu legere queant. Neque regulae tantum hic traduntur, ſed confirmantur etiam atque vlterius explicantur, rationibus ex mechanica corporis humani ſtructura repetitis. Hinc primo de digeſtione alimentorum et circulatione ſanguinis Noſter agit, phyſiologicaeque expoſitioni regulas diaeteticas, quae ad has actiones pertinent, ſtatim ſubiungit. Deinde praecepta de vſu ſex rerum non naturalium et temperamentis exponit, additis conſiliis, cuiuis temperamento aptis. Tandem regulas diaeteticas ſpecialiſſimas, diuerſae viuendi rationi diuerſorum hominum accommodatas, profert, atque ad prophylaxin ſiue modum morbos imminentes auertendi et praecauendi tranſit. Addita eſt huic diſputationi breuis diſſertatio de in P. 426.
oculatione variolarum, cuius praeſtantiam Noſter laudibus extollit, docetque eius ope periculum, a variolis extimeſcendum, optime tolli poſſe. Vltimum caput de longaeuitate inſcribitur, in quo de ſignis illius et ratione, vitam per ſatis longum tempus prolongandi, Noſter exponit, atque ſimul de medicina infuſoria et transfuſoria inter longaeuitatis praeſidia olim relata diſſerit, et vehementer dolet, licet conatus nonnunquam ſucceſſu caruerint, nulla tamen experimenta vlterius hac in re inſtituta fuiſſe.

(o)

V.

Einleitung in eine wahre und gegründete Hebammenkunſt, verfaſſet von HEINRIC IOHANN NEPOMUCENUS CRANTZ, M. D. *und der Keyſ. Acad. der Naturforſch. Mitgl. Wien bey I. T. Trattner* 1756. 8. pl. 10.

i e.

Introductio in artem obſtetriciam veram et firmis fundamentis ſuperſtructam. Auctore H. I. N. CRANTZ.

Continet praeſens libellus illas regulas artis obſtetriciae, quas Cl. Auctor, tum ex celeberrimi magiſtri artis obſtetriciae Pariſini LEVRETI, cuius diſcipulus fuit, inſtitutione, tum ſua experientia collegit, atque ad foeminarum obſtetricantium maxime vſum in ordinem digeſſit, licet multa quoque in eo inueniantur, quae, vel exercitatis iam in hac chirurgiae parte, vtilia et proficua eſſe poſſint. Dolendum itaque eſt vehementer, quod ob anguſtos, quibus circumſcriptum eſt, terminos Cl. Auctor nonnunquam coactus fuerit, breuior in regulis iſtis proponendis eſſe, reſeruata quippe vlteriore earum explicatione priuatis ſuis lectionibus. Primum caput de partibus mulierum genitalibus agit, in quo ſimul de pelui oſſea, diuerſarum, quibus componitur, partium vſu, et differentiis peluis foemineae a virili, diſputat. Secundo Auctor Cl. de vtero et foetu, et tertio de grauiditate eiusque ſignis diſſerit. Atque cum ex eius mente ex iis vnicum certum minusque fallax ſit illud, quod a motu foetus in vtero deſumitur, qui ope manus, abdomini impoſitae, ſentiri poteſt, notas, quibus motus

motus, a foetu profectus, a motu alius cuiusdam rei, p. 32.
in abdomine contentae, dignoſci poteſt, addit. Quarto de mutatione vteri grauidi et exploratione grauidarum, et quinto de partu naturali atque inprimis de ea ſpecie agit, quae maxime naturalis dici meretur, in qua ſcilicet caput primum facie, ad os ſacrum conuerſa, progreditur. Placentam p. 48.
nunquam extrahendam et funiculum diſcindendum eſſe monet, antequam de foetus, in lucem editi, vita obſtetricans certum iudicium ferri queat, cum foetus debilis ad vitam iterum reuocari poſſit, ſanguine a matre ad eum per placentam tranſeunte. Praecocem quoque eiusdem extractionem cum recen- p. 50.
tiorum plurimis, tanquam multorum malorum cauſſam, reiicit, docetque eam nunquam extrahendam eſſe, niſi vtero iam contracto. Immiſſionem etiam manus in vterum, a multis poſt placentae extractionem commendatam, damnat. Deinde ad agripparum partum progreditur, qui cum ſaepius ſine multo obſtetricantis auxilio peragi queat, licet ab aliis v. c. BOESSELIO ſemper praeternaturalis dicatur, ad naturalem partum a Noſtro quoque refertur, variasque et egregias plane adnotationes de verſione in vniuerſum, et in ſpecie de brachii extractione ſubiungit. In ea ex Noſtri mente conuerſio faciei foetus, quae os pubis reſpicit ad os ſacrum, non amplius fieri debet, ſi lumbi iam proceſſerint, ſed iam in initio extractionis adminiſtranda eſt, quod tamen nonnunquam nullo modo fieri poteſt. Tertiam partus naturalis ſpeciem facit eam, in qua nates primum progrediuntur, tandemque de partu gemellorum ſignisque, ex quibus foetum in vtero mortuum eſſe, cognoſci poteſt, et de aliis impedimentis partus naturalis, in corpore foetus exiſtentibus, v. c. de funiculi vmbilicalis circa collum foetus contorſione verba facit. Sexto capi-

te rationem exponit dignoſcendi, ope exploratio-nis, diuerſas partes corporis foetus, quae ſe, orificio vteri aperto, primae offerunt, et ſeptimo modum docet, quo ex parte, quae prima tangitur, ſitus partium reliqui corporis determinari poteſt, quae duo capita ob egregias, quas continent regulas, qua-les a nemine ante tam perſpicue et docte traditae ſunt, omni attentione et perluſtratione digna iudi-dicanda ſunt. Octauum caput de partu praeterna-turali inſcribitur, quorſum Cl. Auctor omnes par-tus refert, ad quos abſoluendos obſtetricantis au-xilium requiritur. Hinc primo de ſitu vteri obli-quo exponit, et contra DEVENTERUM monet, rariſſimam eam eſſe ſpeciem, in qua orificium ver-ſus os pubis conuerſum eſt, nec vnquam in alia, quam in tali accidere foemina, cuius peluis diſtorta eſt. Adiicit varia de auxilio, quod hoc in caſu parturienti, inprimis ſitu corporis in vniuerſum mutato, ferri poteſt, multusque eſt in explicatione ſignorum, quibus diuerſae obliquitatis vteri ſpecies diſtingui poſſunt. Atque hoc loco inprimis ea at-tentionem Lectorum merentur, quae Cl. Auctor de ſignis ſpeciei obliquitatis, de qua modo verba feci-mus, profert. Tandem de ſitu foetus praeterna-turali et verſione agit, rectequc monet, eam non fieri poſſe in eo caſu, vbi caput nimis magnum par-tus difficilis cauſſa eſt, et in vniuerſum egregias alias de verſione regulas proponit. Nono tandem capi-te de extractione placentae et decimo de electione nutricis Noſter exponit.

):(o):(

VI.

Grundlegung zur Hebammenkunſt vor die Wehmütter und vor Frauen, die Wehmütter werden und ſich unterweiſen laſſen wollen, wie auch vor die ſchwangere, gebährende und entbundene Frauen --- Nebſt einem Anhange von Hebammen-Eyde, von GEORG DANIEL BOESSEL, *Med. Doct. Stadt- und Land-Phyſico am Herzogthum Schleſwig. Altona gedr. bey den Gebr. Burmeſter* 1753. 8. pl. 13.

i. e.

Elementa artis obſtetriciae in vſum obſtetricum aliarumque foeminarum, quae ad ferendam aliquando parturientibus opem inſtrui cupiunt, nec non in commodum grauidarum parturientium et puerperarum. Cum appendice de iuramento obſtetricum. Auctore GEORG DANIEL BOESSEL, Med. Doct.

Ad inſtitutionem obſtetricum etſi ſatis multa recentioribus temporibus in tanto artis huius lumine ſcripta ſunt; iſtud tamen, de quo nunc ad Lectores referimus, opuſculum, ex noſtro quidem iudicio ob ſyſtematicum ordinem, dictionis perſpicuitatem, regularumque, quas continet, praeſtantiam, reliquis fere omnibus palmam facile praeripere videtur. Non quidem inueniuntur in eo omnia artis obſtetriciae elementa, eſt enim non ad vſum medicorum obſtetricium, qui inſtrumentis vti poſſunt, conſcriptum; nec potuerit facile hic liber a foemina, aliarum ſcientiarum experte, cum fructu integer legi, varia enim Auctori praemittenda erant, quae

quae non proprie ad obſtetrices pertinent; nihilominus tamen ita conſcriptum hunc librum reperimus, vt difficiliora minusque neceſſaria commode omitti poſſint. Inprimis autem Cl. Auctor ideo laudandus eſt, quod tentauerit, artem obſtetriciam redigere ad iuſtam illam debitamque ſimplicitatem, ad quam et poſſunt et ſolent reduci omnes fere reliquae artes atque ſcientiae, quae non longe admodum abeſſe a perfectione ſua videntur; qualis etiam haec omnino dici, nemine, vt putamus, dubitante, poterit. Accedit et hoc, quod dictione Auctor vſus ſit plana ingeniisque earum, quibus ſcriptum eſt hoc opuſculum, egregie accommodata; in qua tamen dictionis perſpicuitate, totiusque operis breuitate nil omiſſum eſt, quod ad vtilitatem fructumque legentium facere poſſe videbatur. Nec minus ad commendationem huius libelli valet hoc, quod methodum doceat ſimplicem eam quidem, ſed tamen praeſtantiſſimam, maximam partem difficiliorum partuum praecauendi. Hoc enim fieri, verſionis ope, poſſe, inſtituendae ſtatim in initio poſt primum aquarum effluxum, ſi ſigna ſitus non naturalis aut in vniuerſum partus difficilioris futuri adſunt, ita teſtatum eſt multiplici experientia, vt omni dubitatione prorſus careat. Quae quidem cautela quam ſapienter excogitata ſit et quam proficua, omnes nobiſcum fatebuntur, qui perpenderint, poſt aquarum omnium effluxum, ſaepius verſionem impoſſibilem eſſe, multasque praeterea foeminas haemorrhagia aut alio modo perire, quae ſi verſio ſtatim in initio tentata fuiſſet, omnino vna cum foetu ſeruari potuiſſent. Vt autem dicamus etiam de ordine, quo hic liber ſcriptus eſt; primo capite Cl. Auctor diſſerit de partibus genitalibus mulierum; ſecundo de grauiditate; tertio de partu in genere, de partu naturali difficili, de partu prae-

praeternaturali, id eſt, in quo alia pars, quam caput, prior progreditur, facili et difficili, tandemque de partu ſpurio. Inter cauſſas obliquitatis vteri claudicationem et placentae extra fundum vteri adhaeſionem referri poſſe, quodammodo Noſter dubitat, cum in foeminis claudicantibus nullam ſaepius obliquitatem repererit, atque obſeruauerit, fundo vteri ad dextrum latus conuerſo, placentam tamen in ſiniſteriore vteri latere collocatam fuiſſe.

Ad praeſidia ſolutionis placentae, ab vtero facilius impetrandae, etiam ligaturam funiculi vmbilicalis duplicem refert, ſanguine enim in vaſis retento, illa diſrumpuntur et hac ratione ſeparationi placentae ab vtero anſa praeberi poteſt. Effluxum aquarum praecocem, vt inter cauſſas, quae partum naturalem difficiliorem reddere valeant, numeret, vix impetrare a ſe poſſe fatetur. Cauſſae ſunt, quia, vel quadraginta horis praeterlapſis poſt rupturam veſicae aquarum, partus tamen ex voto ſaepius ſuccedit, quid quod, membranis in ſomno ſtatimque ſub partus initio diſruptis, tamen feliciter iſte, trium tantum horarum ſpatio praeterlapſo, factus ſit. Quod vero ad regulas ſpeciales, a Cl. Auctore obſtetricantibus propoſitas, attinet, in variis earum limitatione quadam, inprimis noſtris, id eſt recentioribus temporibus opus eſſe, aut correctione, negari non poteſt. Non ſolum enim obſtetricantem medicum, id eſt, talem, qui inſtrumentorum auxilio partum abſoluat, variis in locis * Noſter nimis tarde adhiberi iubet: ſed et in anguſtia peluis verſionem commendat **, quo tamen in caſu caput, cuius baſis non aeque ac ſuperior pars cedere ſolet, ſaepius intra vterum maximo cum vitae foetus diſpendio retinebitur: tandemque in eo caſu, vbi verſio nulla

p. 56.

p. 128.

* v. c. p. 92. ** p. 96. et 140.

nulla amplius fieri poteſt, et ſine ſucceſſu iam tentata eſt, praeternaturalem ſitum in naturalem mutari vult *, quod vti omnes, qui ipſi hoc tentarunt, concedent, vix poſſibile eſt, ſed obſtetricantis medici auxilium exigit. Medici igitur, qui hoc libro ceteroquin vtiliſſimo ad obſtetricum inſtitutionem vti voluerint, admonendi omnino ſunt, vt ad haec ſimiliaque diligenter attendant foeminasque doceant, vt ſtatim medicum obſtetricantem aduocent, neque nimis longa expectatione, aut inutili opera parturientem foetumque perdant. Ex formula iu-
p. 186. risiurandi hic propoſita patet, ex Cl. Auctoris mente obſtetrices eo adſtringendas eſſe, vt in omnibus parturientibus regulas, ab Auctore hoc in opuſculo datas, ſequantur, et inprimis non ſolum in partu praeternaturali verſionem ſtatim inſtituant, quod ſapientiſſimum vtiliſſimumque eſt, ſed et in naturali difficiliore, quae res omnino vlteriore explicatione et limitatione indiget.

VII.

De febribus, ab chyli cruditate productis, opus IOSEPH MARIAE ROCCA, Phil. et Med. Doct. Feltriae 1751. ex typographia Seminarii apud Eduardum Foliolum, 4. 1 ½ Alph.

Iniuriam Cl. Auctori faceremus, niſi hunc multa cum aſſiduitate conſcriptum et lectione veterum pariter, ac recentiorum ditatum libellum indicaremus. In quo cum multa lectu digna et ſcitu neceſſaria contineantur, nec omnia a nobis commemorari poſſint, liceat totius libelli ſummam, dein quaedam ſelecta tradere. Conſtat hic liber ex duodecim ſectionibus, in quarum prima

* v. c. p. 165. et 169.

ma Cl. Auctor locum ac ſedem harum febrium, ſeu cauſſae efficientis earundem conſiderat; ſecunda quotnam ſint cruditatis fontes et quaenam cruditas magis noxia, perpendit; tertia de cauſſis procatarcticis et proxima, efficiente ac eſſentiali harum febrium et quarta de ſignis agit: quinta porro monſtrat multitudinem et particularitatem febrium, quae ab chyli cruditate naſcuntur, additque earum deſcriptiones, febrium quarundam quorundamque ſymptomatum diſtinctiones; et febres minus creditas huius generis argumentis probat. In ſexta reddit rationem mechanicam phaenomenorum per ſua principia et ſeptima tradit prognoſtica. Quibus praemiſſis, proponit Cl. Auctor in octaua ſectione effectus variarum medicationum, in nona ſanguinis miſſionem ad curandas has febres, in decima purgationem, in vndecima alterantia, digerentia et diuerſoria et in vltima diaetam, regimen et praeſeruationem expendit.

Relictis FERNELII ac SENNERTI aliorumque ſententiis, qui locum ac ſedem harum febrium in abdomine ſolo quaeſiuerunt,„ ſtat Noſter a partibus HIPPOCRATIS, qui quidem originem harum febrium a ventre deriuat, morbum ipſum autem in viis ſanguiferis, ſanguinem crudum ex chyli cruditate vehentibus, haerere autumat. Patere quoque hoc Noſtro videtur ex ſuperficie chyloſae concretionis in ſanguine, ab initio morbi e venis miſſo, eiusmodi aegrorum. Chylus itaque crudus, ſanguinem crudum reddens, eſt harum febrium materia. Crudeſcit autem chylus, tum in primis regionibus, tum in ſanguine; in primis regionibus ex mala materia, ex alimentorum multitudine et varietate nimia, ex laeſione viſcerum, chylum elaborantium; in ſanguine ob nimiam ſanguinis et chyli ipſius copiam, ob vaſorum et viſcerum ſecundae dige- p. 3.

p. 12. digeſtionis vitia, vt pulmo eſt. Praeterea eo deteriores febres excitantur, quo diutius latuit interna cruditas et eam omnium peſſimam iudicat Noſter, quae in ſanguine a cauſſis variis proficiſcitur. Sola autem cruditas primarum viarum non gignit has febres, niſi in ſanguinem migret ibidemque remaneat.

p. 18. Vigent hae febres initio autumni et veris in melancholicis et ſtudioſis, bilioſis et pituitoſis, quorum varia pro diuerſitate febrium ſunt ſigna. Linguam habent interdum ſimilagine conſperſam et albo velamine, quod demum in melleum colorem vergit, obductam, crebris punctis interſignatam, vti linguae varioloſorum et morbilloſorum: interdum circa quartum diem obſcurus in medio, ad latera albus, farinoſus, linguam occupat color, eaque ſicca, vtrinque arida, aſpera et veluti calloſa apparet, non raro lentor quidam glutinoſus aut luridus dentibus adhaeret.

Sudores viſcidi, vnctuoſi capitis, aliquando et corporis, in aliis parcius, vberius in aliis ſine magno calore prorumpunt.

p. 28. Foeces interdum croceae, albicantes, luteae, virides, in nonnullis mucoſae, pingues, viſcidae, in multis durae, cretaceae aut obſcuriores, foetidiſſimae ſunt. Nec minus vermes viui ac mortui per ſuperiora et inferiora cum viſcoſiſſima, virideſcente foece egrediuntur. Vrina varia: rubicunda, oleoſior, pallidior, ſerum lactis imitans, turbulenta, copioſa, non raro pauca.

Sanguis, e vena miſſus, habet mucoſam, flauo viridem, interdum coeruleam ſuperficiem, quae autem a cruſta inflammatoria ratione denſitatis et coloris albi facile diſtingui poteſt. Separatio enim huius ſuperficiei mucoſae admodum facilis eſt, cum

cum e contrario cruſtae inflammatoriae denſitas atque tenacitas multo maior deprehendatur.

Ratione primarum viarum tandem, vt praecipua ſigna, a Noſtro commemorantur, aluus parca, dura, oris, ructuum et flatuum inſolitus foetor, dolores ventris, interdum acutiores fixi et vagi. Omnino autem monet Cl. Auctor, haec ſigna cruditatis in primis pariter, ac in ſecundis viis non ſemper adeſſe, ſed quaedam in his, quaedam in illis, nec ſemper vnum ab altero poſſe diſtingui, imo interdum ſeſe excipere, interdum vniri inter ſe.

Multitudinem harum febrium dum perpen- p. 31.
dit Noſter, generalem febrium acutarum et chronicarum, ab chyli cruditate in vaſis ſanguiferis ortarum, tradit ideam. Quodſi enim chylus crudus ſanguinem perturbat et huius quantitatem et qualitatem auget vitiatque, eius circulationem retardat et nimia diſtenſione vaſa irritat, febres variae acutae et chronicae oriuntur. Quibus recenſitis, ad ſymptomata progreditur Noſter, quae omnino in communia et propria diuidit, et propriis annumerat moleſtiſſimam inappetentiam, capitis dolorem grauatiuum perſiſtentem, vertiginoſum, augmentum acceſſionale veſpertinum a prandio, et nocturnum a coena, conuulſiones et ſpaſmos atrociſſimos, vrinam cryſtallinam, ſudorem vnctuoſum, vigilias, anxietates, anhelitus.

Sanguis e vena miſſus, qui a ſero ſeparatus, p. 143
de vitro inclinato libenter effluit, cultroque facile ſeiungitur, ac ſuperficiem rubram habet, breuem morbum et felicem eius exitum praenunciat; ſuperficies ſebacea, virideſcens morbi grauitatem indicat. Malus ſanguis, qui non ſecernit ſerum.

Surditas in febribus his, inprimis poſt eua- p. 148
cuationes, ſemper ſalubris, ab initio autem omnium acutorum, praeſertim malignorum, periculoſiſſima.

Oculi aegrorum opaci, puluerulenti, floccoſi, graues, obtuſi, raro bonum morbi pollicentur euentum. Diuturnus meri et vinoſorum ſpirituoſorum abuſus febres mali ominis producit chronicas.

p. 152. Abundans vrina, etiamſi cruda, absque ſiti indigeſtionem quidem ex obſtructione viſcerum denotat, ſed bona iudicanda eſt, cum chyli cruditatem in ſanguine, aliquo ſaltem modo, victam eſſe, exinde appareat.

p. 167. Quod ad methodum medendi attinet, omnia calida ac ſudorifera in his febribus reiicit, eosque ſudores vtiles cenſet, qui, venaeſectione et purgatione inſtituta, aut ſpontaneo feceſſu abundante oborto, ceſſante febre, proueniunt. Omnia omnino veſicantia ob defectum ſeri in his febribus, inprimis in principio harum febrium, et purgantia ſine praemiſſa ſanguinis miſſione diſſuadet: nec minus aquam calidam, temperatam et frigidam ad has febres ſanandas inutilem et pernicioſam iudicat.

His et aliis remediis reiectis, ad ſanguinis miſ-

p. 177. ſionem venit Noſter, quae tutam et efficacem medendi methodum his febribus, acutis aeque ac chronicis, affert. Vitiatus enim eſt ſanguis qualitate & quantitate, primum igitur debet eſſe remedium phlebotomia, ac quidem reuulſoria, in brachio e. gr., larga pro repletionis, virium et aetatis ratione, ita vt in pueris ad ſex, in aliis ad octo, in pluribus ad decem et in nonnullis ad vndecim vncias extrahendus ſit, idque temporis eligendum, quo remiſit febrilis impetus, quod plerumque horis matutinis fieri ſolet. Repetendae venaeſectionis neceſſitas ex pulſu, morbi incremento et decremento et ſymptomatum ratione diiudicanda eſt. Superfluam putat Noſter ſanguinis euacuationem interdum in infantibus, dein in incipientibus

tibus febribus, massa sanguinis non adeo inquinata, vbi sola laxantia sufficiunt: porro in recidiuis, exceptis iis, qui a supressione menstruorum, haemorrhoidum, spiritus vini abusu oriuntur: in verminosis denique febribus ob crudiores spiritus animales et vitales, pulsum debilem, exilem ac pressioni deficientem. Pariter necessariam in chronicis febribus, vti sunt hypochondriacae, hecticae, nec non symptomaticae, arbitratur venaesectionem, ac in acutis, partim ob spissitudinem sanguinis imminuendam, partim symptomatum, vt dolores conuulsionesque, mitigationem efficiendam.

Quemadmodum Cl. Auctor, omissa ab initio p. 188
venaesectione, sic quoque, purgantibus neglectis post venaesectionem, plane nihil in his febribus curandis posse praestari arbitratur. Cum vero omnium harum febrium vna eademque sit caussa, nec pauca omnibus communia sint symptomata, eandem ferme purgationem omnibus praescribit, ita tamen, vt remediorum quantitatem, eorundem materiam atque ipsa exhibendi tempora interdum mutet. Omnium e. gr. optimum tutissimumque remedium in malignis quibuscunque, etiam a contagione epidemicisque febribus, oleum tartari per deliquium, ad drachmas duas in emulsione datum, vomitoria e contrario et alia laxantia minus conuenire compertus est Noster: nec minus lac asininum et serum lactis caprinum cum herba mercuriali mistum, nec non corticem Peruuianum post vniuersales euacuationes, vt lene et tutum commendat laxans. Hypochondriacis porro hecticisque febribus, quae praecipue in imbecilles cadunt, conueniunt aquae chalybeatae minerales Recobarii, Vallis Solis, quae, viscera roborando, leniter purgant. Aloeticorum autem, scammoniatorum et omnino resinosorum vsum in symptomaticis chronicis, nec

minus omnia laxantia, immo et clyſmata in febribus a mera ataxia ſpirituum ortis, quae vix febres ſunt plane interdicit.

p. 214. Alterantia et diuerſoria ſimul acutarum febrium ſunt veſicantia. Quorum efficacia per diluentia et reſoluentia praecipue augetur, inter quae ex Noſtri opinione primum locum obtinet, mercurius dulcis.

p. 234. Quod demum diaetam ſpectat, ſedulo eo reſpiciendum eſſe ſuadet Noſter, vt ea, quae ingeruntur, non augeant reſiſtentiam, ſed vires, nec minus medicamentis ipſis contrarientur.

VIII.

Plantae et papiliones rariores, depictae et aeri inciſae, a GEORGIO DIONYSIO EHRET, Palat. Heidelb. Londini 1748. ad annum 1759. Tab. I—XV. fol. mai.

Ad verum plantarum characterem cognoſcendum, deſcribendum et delineandum, etſi videantur eae tantum plantae adhiberi poſſe, quae in loco natali et proprio ſponte creſcentes collectae ſunt; ſiquidem cultura vegetabilium in hortis, ſub coelo inprimis extraneo ſitis, plantarum habitum ceterasque proprietates mire diuerſas reddit; non prorſus tamen negligendae ſunt illae plantae, quae, in hortis curioſorum cultae, faciliori negotio comparari atque a nobis examinari poſſunt. Parem igitur laudem merentur, cum, qui ad veram plantarum cognitionem methodicam conſequendam, diſſitas maxime adierunt regiones, tum vero etiam ii, qui plantas easdem, in noſtris terris cultas, eadem cura examinarunt, veros eorum characteres delinearunt, figurisque fidis expreſſerunt. Quo quidem nomine alio tempore iam in commentariis noſtris

ſtris laudauimus egregium illum pictorem Cl. EHRETUM, qui natus in Germania, poſt iter in Angliam ſuſceptum, plura artis ſuae ſpecimina eaque plane egregia dedit, quorum partem, vti alio loco diximus, Ill. TREWIUS publicauit * Praeter vero illa alias quoque idem Cl. EHRETUS plantas, in variis hortis curioſorum in Anglia cultas, multo ſtudio depinxit, atque ſub titulo, quem praemiſimus, ab anno huius ſeculi quadrageſimo octauo ad annum quinquageſimum nonum vſque, quindecim ex his tabulas in lucem edidit. In quo opere quamquam libenter agnoſcimus inſignem Cl. Auctoris artem ſtudiumque egregium; tamen non diffitemur minus probari, illam eiusdem rationem, qua in vna eademque tabula, plures plantas, velut in faſciculum collectas, depinxit, quo factum eſt, vt nonnullae ex iisdem, non ſine ſumma difficultate, examinari poſſint. Quae res, licet forte oculis illorum, qui plantas tantum ob colorum ſplendorem colunt, nullo autem vero botanices amore ducuntur, placeat, ſpecifici tamen characteris cognitionem, omnino, vt nobis videtur, difficiliorem ſolet reddere. Contra vero id nobis magna laude dignum viſum eſt, quod EHRETUS non nudas tantum plantarum imagines propoſuerit, ſed vbique floris ſtructuram genericosque characteres multo ſtudio accurate in aliis tabulis, prioribus additis, expreſſit, ita vt omnino hic liber inter praeſtantiora ſcripta, quibus noſtra aetas plantarum cognitionem adiuuit, referri mereatur.

Continet vero tabula prima figuras *Martyniae* Tab. I.
annuae LINNAEI, *Craniolariae* porro *annuae* LINN. quam Noſter *Martyniam aceris folio, flore albo, tubo longiſſimo*, vocat, et *Cytiſi procumbentis Americani flore*

 luteo,

* vid. Comment. noſtr. Vol. XIII. Part. I. p. 131.

luteo ramoſiſſimo PLUKEN. ſ. *Sophorae tinctoriae* LINN. Addita quoque eſt figura *Papilionis ricini* LINN. Habitus etiam *Martyniae annuae* figura mi-
Tab. II. nore expreſſus eſt. Secunda tabula continet icones *Oldenlandiae corymboſae* LINN. *Cytiſi foliis ſubrotundis glabris, floribus amplis, glomeratis, pendulis* SHAW. *Cacti flagelliformis* LINN. et cuiusdam papilionis
T. III. minoris. In tertia delineatur *Carica papaya* LINN. *Lyſimachia linum ſtellatum* LINN. et *Panicum colo-*
T. IV. *num* LINN. atque *Papilio midamus* LINN. Quarta exhibet genericos *Martyniae, Sophorae, Oldenlandiae, Cacti, Cytiſi* et *Lyſimachiae* characteres, quin-
T. V. ta vero *Verbena orubica* LINN. *Amaryllis zeylanica* LINN. et habitus eius, et tandem *Arachis hypogoea* LINN. pinguntur. Adiecta eſt figura *papilionis de-*
T. VI. *molei* LINN. Sexta comprehendit *Hibiſcum cannabinum* LINN. *Iridem verſicolorem* LINN. et *Phar-*
T. VII. *naceum molluginem* LINN. cum quodam papilione. Septima *Napaeam dioicam* LINN., quae hic *Abutilon folio profunde diſſecto, pedunculis multifloris* vocatur, *Conuoluulum purpureum* LINN. et papilionis
T. VIII. figuram continet. In octaua variarum harum plantarum characteres et *Napaeae* habitus pingitur, in
T. IX. nona vero *Coreopſis verticillata* LINN. *Martynia perennis* LINN. *Amaryllis ſarnienſis* LINN. nec non
T. X *papilio anchiſes* delineantur. In decima inueniuntur figurae *Crini Africani* LINN. *Oxalis purpureae* LINN. et *Iridis variegatae* LINN. nec non *papilionis*
T. XI. *heleni*. Vndecima *Plumeriam rubram* LINN. exhi-
T. XII. bet, nec non *papilionem midamum*, et duodecima
T. XIII. *Huram crepitantem* cum fructu eius. In tabula decima tertia picta eſt *Beureria petalis coriaceis, oblongis calicis foliolis reflexis*, quam LINNAEUS *Calycanthum floridum* dixit, mutato eius plantae nomine, quod Cl. EHRETUS ei in honorem IOH. AMBROS. BEURERI, pharmacopei Norimbergenſis impo-

impoſuerat. Decima quarta figuram *Amomi zerumbet* LINN. et *Gratiolae Monnieriae* LINN. comprehendit. In vltima tandem elegantiſſima illa planta reperitur, quae in horto Warneriano primum 1758 ex capite bonae ſpei allata, floruit, quam Noſter *Iaſminum ramo vnifloro, pleno, petalis coriaceis*, LINNAEUS vero *Gardeniam floridam* dixit. In explicatione huius tabulae autem *Rondeletia trifoliata* delineatur. T. XIV, T. XV

IX.

LAURENTII HEISTERI Deſcriptio noui generis plantae rariſſimae et ſpecioſiſſimae Africanae ex bulboſarum claſſe, cui in honorem atque ſempiternam memoriam Seren. Principis ac Domini CAROLI Brunſuicenſium ac Luneburgenſium Ducis hodie regnantis, tanquam rei herbariae ſummi promotoris et fautoris munificentiſſimi BRUNSVIGIAE illuſtre nomen impoſuit. In qua ſimul multae botanicorum quorundam hallucinationes indicantur et emendantur. Brunſuigiae typis orphanotrophei 1753. fol. mai. pl. 7. tab. aen. 3. coloribus pictae.

Plantae, quae hac tractatione deſcribitur, bulbus, capitis infantis magnitudinem habens, in hortum medicum Helmſtadienſem anno huius ſeculi quadrageſimo octauo ex capite bonae ſpei illatus eſt, ibidemque ſeptembri menſe duo folia protruſit, quae tamen, vere ſubſequente, iterum exaruerunt. Autumno anni 1749 quatuor noua folia redierunt, quae tamen idem ac priora fatum experta ſunt, donec eodem anni tempore anno 1750 flo-

res tandem prodirent, quos, et ſcapum, cui adhaerebant, aliasque proprietates Cl. Auctor hic ſollicite
p. 13. deſcribit. Habet vero haec planta ex Noſtri deſcriptione *perianthium* ſ. *calycem vniuerſalem, ex duabus valuis compoſitum. Floſculi ſunt monopetali nudi in ſex plerumque longas inaequales, anguſtas, lanceolatas, acuminatas et ad fundum vſque diuiſas lacinias varia ratione incuruatas diſciſſi Stamina, filamenta ſex inaequalia, ſetacea, ſurſum in multis inflexo; antherae oblongae. Piſtillum, ſtylus ſetaceus, ſtaminibus aequalis; ſtigma ſimplex obtuſum, pericarpium ſ. vterus triangularis, ſub flore poſitus, qui abit in capſulam membranaceam trilocularem. Semina ſubrotunda.* Eſt vero haec planta omnino ad *Amaryllidis* LINNAEI genus referenda, atque ſine dubio ea ſpecies, quae apud eundem LINNAEUM ſub nomine *Amaryllidis* (orientalis) *ſpatha multiflora, corollis inaequalibus, foliis linguaeformibus* occurrit, licet Cl. Auctor minime concedat, hanc, quam, vt nouam, propoſuit plantam, antea cognitam fuiſſe. Sic
p. 14. enim plantam, quae apud FERRARIUM ſub nomine *Narciſſi indici flore liliaceo ſphaerico* inuenitur, minime *Brunſuigiam* eſſe, licet aliqua inter has duas plantas ſit affinitas, pluribus docet, idemque hoc de aliis quoque plantis ſimilibus, a variis Auctoribus propoſitis, probare contendit. Atque hoc quidem ſummo iure factum eſt in *Amaryllide Sarnienſi* etc. Cum autem in vniuerſum in *Amaryllidis* LINN. diuerſis ſpeciebus mira in ſpatha et corolla varietas
p. 20. obſeruari poſſit, HEISTERUS varias ſpecies, vt noua genera proponit, atque v. c. *Amaryllidi Sarnienſi* nomen *Imhofiae* impoſuit. Aliud quoque genus nouum *Spreckeliae* illas ſpecies *Amaryllidis* continet, quae corollam irregularem habent. In adiectis tribus tabulis aeneis egregiis, viuis coloribus diſtinctis, planta, radix et folia, quae poſt florem

rem demum, tribus ſeptimanis elapſis, prodierunt, pinguntur.

X.

Obſervations ſur les cauſes et les accidens des pluſieurs accouchemens laborieux, avec des remarques ſur ce qui a été propoſé ou mis en uſage pour les terminer; et de nouveaux moyens pour y parvenir plus aiſément. Par Mr. LEVRET, Maitre en Chir. de l'Acad. Roy. de Chir. et Chirurg. ord. du Roy en ſon Artillerie. à Paris chez Charles Oſmont, 1747. 8. pl. 12. tab. aen. 1. Suite des Obſervations etc. 1751. chez Delaguette 1 Alph. 5 pl. tab. aen. 2.

i. e.

Obſeruationes de cauſſis et ſymptomatibus multorum partuum difficiliorum, cum adnotationibus ſuper remediis, hucusque propoſitis et adhibitis, ad partus hos ad finem perducendos, et variis nouis adminiculis, quorum ope facilius poſſint perfici. Auctore Cl. LEVRET, vna cum continuatione harum obſeruationum etc.

In eo, quod cepimus, conſilio recenſendi, ſi non omnia, ſaltem praecipua ſcripta, quae hoc decennio publicata ſunt, iniquum profecto eſſet, ſi velimus praeterire praeſens opus Cl. LEVRETI, cuius ſtudio praecipue debemus illud lumen, quo nunc obſtetriciam artem illuſtratam videmus. Eſt quidem prior huiùs libri pars iam ante decennium, in cuius ſcriptorum enumeratione noſtram operam

ponimus, edita; attamen cum ea, quae in posteriore volumine continentur, ex parte nitantur iis, quae sunt in priore, atque praeterea commemoranda etiam sit Germanica huius libri versio multis annotationibus aucta, veniam Lectorum hac de re facile impetraturos nos esse speramus, si huius quoque partis recensionem intulerimus in hanc scriptorum seriem.

p. 1. Sectione prima voluminis primi agit Cl. Auctor de extractione capitis foetus, in agripparum partu a reliquo corpore separati, et intra vterum relicti, atque causas huius infortunii exponit, nec non varia auxilia, a variis Auctoribus proposita et instrumenta, hunc in finem excogitata, examinat. Docet vero, plurima ex instrumentis, quibus capitis molem imminuere, et illud extrahere studuerunt, inutilia esse, atque hac occasione multa profert, quae in vniuersum ad perforatoriorum et vncorum hi-
p. 10. storiam pertinent. Reiicit quoque marsupia et fundas, quas MAURICELLUS et AMANDUS commendarunt, cum eae difficillime non solum adplicentur, sed et verticem capitis abrupti versus basin
p. 13. deprimentes eius latitudinem augeant. Tandem nouam *forcipem tribrachialem* (forceps *à trois branches*), quam ipse excogitauit, CI. LEVRET, fusius describit, figurisque adiectis explicat, quae quidem forceps, quae nunc amplius non in vsu et probe distinguenda est, a curua Leuretiana, quam nunc plurimi obstetricantium nostris temporibus adhibere solent.

p. 45. Secunda sectione de capite, in agripparum partu intra vterum relicto, cum corpore adhuc cohaerente, exponit. Licet enim agripparum partus nonnunquam facillimus sit, et multis hanc ob causam exoptabilis esse videatur, difficultas tamen, qua caput haud raro extrahitur, saepe summam foetui

et

et matri noxam affert. Auxilium vero Cl. LEVRET in eo ponit, vt mentum, quod vt plurimum tunc ſymphyſin oſſium pubis reſpicit, verſus os ſacrum conuertatur, et ita demum extrahatur. In qua tamen conuerſione et extractione obſtetricantem cautionem adhibere vult, ne corpus foetus adſtanti imprudenti tradat, cum ex eiusmodi hominis imperitia aliquando caput auulſum ſit. Hinc potius ipſe corpus contineat, quo, quantum fieri poſſit, hoc infortunium vitetur. Tandem docet, qua ratione caput, manus ope, ad latus peluis conuerti debeat, et quomodo, ſi id non ſuccedat, hoc in caſu forceps tribrachialis adplicanda ſit. Excipit hanc tractationem alia de paragomphoſi capitis foetus (Gallis *tête enclavée*), in qua primo de vncis et perforatoriis, quorum adminiculo varii hanc ſpeciem partus difficilioris tollere conati ſunt, exponit; vt v. c. de capititraha (*Tire-tête*) Cl. MAURICEAU, quam reiicit, de inſtrumento MESNARDI, de cochlearibus PALFYNI, quae tanquam primam forcipem, cochlearis formam habentem, conſiderat, de forcipe emendata a LE DOUX et ſequentibus, tandemque de forcipe CHAMBERLAINI, cuius tamen inuentionem Gallis tribuit, atque vltimo forcipem Anglicanam, qualem ipſe emendauit, deſcribit. Vbi tamen tenendum eſt, Auctorem hic ſemper adhuc de recta tantum forcipe verba facere. In eo caſu, vbi vnum tantum forcipis brachium in vterum immitti poteſt, alterum vero ob anguſtum in eo latere ſpatium minime in eum penetrat, brachium hoc primum in latere, cui caput foetus minus apprimitur, adplicare et deinde in oppoſitum latus, arcu quaſi facto, circumducere iubet. Quo in extractione capitis, forcipis ope, abſoluenda, perinaeum non diſrumpatur, caput, quod primum deorſum

p. 54.
p. 66.
p. 71.
p. 75.
p. 90.
p. 95.

tra-

trahebatur, ſimulac illud ſub ſymphyſin oſſium pu-
p. 97. bis deſcendit, iterum eleuandum eſt. Hoc ipſo quoque loco curuae forcipis, qua nunc in praxi ſua LEVRETVS vtitur, primum mentionem facit, licet eam non fuſius deſcribat, et adhuc cum dubitatione quadam de eius praeſtantia prae forcipe tribrachiali loquatur. Vſum vero forcipis huius tribrachialis obſeruatione quadam, vbi caput incuneatum, eius ope, extractum fuit, probare annititur.
p. 113. Inter cauſſas obliqui ſitus capitis foetus, qui haud raro partus difficilioris cauſſa eſt, placentae extra fundum vteri adhaeſionem refert: quae etiam ſitus vteri obliqui cauſſa exiſtit, licet a DEVENTERO non inter cauſſas huius obliquitatis relata ſit. Probat quoque Noſter aduerſus eundem, placentam omnino extra fundum vteri adhaerere. Vteri vero obliquitatem, ex hac praeternaturali ſede placentae ortam, explicat ita, vt doceat, vterum maxime in parte oppoſita, loco adhaeſionis, extendi et tenuiorem fieri, et hinc foetum, qui in hac ipſa parte ſitus eſt, pondere ſuo vterum verſus latus, adhaeſioni placentae oppoſitum, inclinare. Cum vero, vti diximus, vterus multo tenuior ſit hoc in loco, et foetus oblique ſitus ſit, facilior etiam ruptura vteri
p. 125. hoc in loco accidere poteſt. Deinde Cl. Auctor fuſius de diuerſo ſitu capitis foetus in partu, inprimis in capitis paragomphoſi, loquitur, diuerſasque ſpecies tam ſubtiliter enumerat, vt ob hanc ipſam ſubtilitatem ex hac tractatione minor, quam alias fieri potuiſſet, vſus ad Lectores redundet. In ipſa vero hac deſcriptione id praecipue adnotandum eſt,
p. 129. quod a vulgari conſuetudine recedens Cl. Auctor, diametrum peluis maiorem vocet illam, quae inter ſymphyſin oſſium pubis et os ſacrum eſt, minorem vero, quae eſt inter vtrumque os ilium, quam

alii

alii omnes maioris diametri nomine insignire solent *. Minoris huius diametri magnitudinem esse dicit, quatuor ad quinque pollicum, maioris quinque ad sex, quam tamen mensuram in pelui, ab omnibus partibus mollioribus non prorsus denudata, Cl. Auctor cepit. Iam generales quasdam regulas, ad quas in omni partu maxime vero in difficiliore attendendum est, Cl. Auctor proponit, et diuersas peruersi situs capitis foetus species ordine examinat, atque in singulis praestantiam suae methodi demonstrare annititur. p. 143.

In praefatione posterioris harum obseruationum voluminis Cl. Auctor, se librumque sunm contra anonymum defendit, qui contra volumen primum varia in diario eruditorum, vulgo dicto *Journal des Scavans* protulerat, quae ad capitis incuneati extractionem, quam anonymus, forcipis tribrachialis ope, fieri posse negat, ad forcipis porro curuae inuentionem et ad placentae extra fundum vteri adhaesionem spectant. In ipso vero opere Noster p. 1. exponit primum de caussis, quae, capite foetus in partu etiam praeuio, separationi tamen huius capitis a reliquo corpore, trunco in vtero relicto, ansam praebere possunt. Praeter putredinem et praeternaturalem magnitudinem trunci foetus, etiam caput humeris auelli potest, si, capite ex vtero iam egresso, humeri ita siti sint, vt eorum alter ossibus pubis insideat, alter vero os sacrum respiciat, cum in naturali partu semper foetus corpus, humeris versus latera directis, procedat. Hoc vero in casu ex Auctoris Cl. obseruatione, simulac caput in vagina haereat

* Monendum tamen est, Cl. Auctorem in posteriore harum obseruationum volumine p. 144. vulgarem sententiam et dictionem sequi.

p. 12. haereat, parturiens nullos amplius dolores experitur, quod quidem phaenomenon, ita LEVRETVS explicat, vt doceat, dolores in partu oriri ex extenſione orificii vterini per compreſſionem capitis, in hoc orificium nitentis. Hinc licet vterus ſe contrahat, tamen parturiens nullos ſentit dolores, irritatione orificii vterini deficiente. Quo vero capitis auulſionem praecaueat, partumque feliciter ad finem perducat, Cl. Auctor expectat, donec caput intra vaginam haereat, atque tunc foeminam genubus incumbere iubet, quo operator a poſteriore foeminae parte humerum, qui os ſacrum reſpicit, in latus conuertere poſſit, vt humeri maiorem diametrum peluis intrent; ex quo loco patet, ſententiam, ſuperius de maiore minoreque peluis diametro propoſitam, minus veritati conſententaneam eſſe. Si vero foemina iam nimium defatigata eſt, idem hoc artificium, ea in dorſo ſita, adhibet. Cum autem haud raro medicus obſtetricans accedat, capite iam humeris auulſo, inſtrumentum Noſter excogitauit, quo mediante, corpus ſine parturientis noxa extrahi poſſit. Vncus hic eſt, cui inter coſtas deiecto, vagina ita adaptari poteſt, vt non ſolum, eo elapſo, mater non laedatur, ſed et vniuerſum corpus firmius arripi et extrahi queat. Cuius deſcriptionem vberiorem cum ſine figuris vix intelligi poſſit, de induſtria hic praetermittimus.

p. 39. In altera ſectione, quae additamenta ad antecedentem tractationem continet, Cl. Auctor de cauſſis obliqui ſitus foetus agit, quas praecipue in placentae extra fundum vteri adhaeſione ponit. Hinc primo DEVENTERVM fuſius refellit, qui negauit, placentam alio loco, quam fundo adnatam, reperiri poſſe, putans in iis caſibus, vbi varii Auctores hanc minus conſuetam adhaeſionem ſe reperiſſe teſtati ſunt, ſemper placentam, fundo agglutinatam, vterum

rum vero ipſum obliquum fuiſſe; et ita Auctores, qui aliam ſententiam fouent, cum non in axi peluis placentam inueniſſe ſibi viſi ſint, falſo putaſſe, eam lateribus vteri adhaerere. Probat itaque Cl. LEVRET, placentam omni vteri ambitui affigi poſſe, commemoratque exemplum, quod maxime hanc rem illuſtrat, placentae haerentis ſupra orificium vteri internum, quem caſum periculi plenum eſſe, nemo ignorat. Neque negari poteſt, DEVENTERUN ipſum ſimile quid vidiſſe, licet putauerit, hoc in caſu ſecundinas, in fundo antea ſitas, iam ſolutas, ſanguine vero congelato, ori vteri aut vaginae ita rurſus agglutinatas fuiſſe, vt concretae vel vnitae ei viſae ſint. Veram autem placentae ſuper orificium adhaeſionem ſaepius accidere, Cl. LEVRET hic multis, tam propriis, quam aliorum obſeruationibus ita probat, vt id nunc extra omnem dubitationem poſitum ſit. Indicantur porro ab eo ſi- p. 66.
gna, quibus haemorrhagia vteri, quae ex hoc praeternaturali placentae ſitu, ſub initio partus oritur, a reliquis haemorrhagiae ſpeciebus, ad quas obſtetricans in parturientibus attendere debet, dignoſci poteſt. Ea partim, digito in vaginam immiſſo, explorationis ope, cognoſcuntur, cum ſcilicet obſtetricantis digito ſpongioſa maſſa, non durior, qualis foetus corpus eſt, ſe offerat, partim ex ipſo tempore, quo ſanguinis profluuium cum impetu ingruit, petenda ſunt. Augetur enim non ſolum illud ſub ipſo attactu, ſed et ſub ipſis parturientis doloribus, quod ideo notatu dignum eſt, quia omnis alia vteri haemorrhagia, doloribus accedentibus, ob contracta eo tempore vteri vaſa imminuatur. Cum vero hoc in caſu vnicum auxilium, quo matris et, ſi nondum periit, foetus quoque vi- p. 68.
ta conſeruari poteſt, poſitum ſit in cita foetus per pedes extractione, placentam ante manus in vterum immiſſio-

immiſſionem ita ſeparandam eſſe Noſter monet, ne in media ſua parte perforetur, quod alii ſuadent, ſed digito, in os vteri inſerto ac circumducto, exploretur locus, in quo ſoluta, iam deprehenditur, manusque tunc demittatur in hunc locum, placentae autem pars, cum vtero connexa, adhuc, vſque poſt foetus extractionem, integra relinqua-
p. 73. tur. Addit huic tractationi Auctor plures alias obſeruationes, in quibus placenta vteri lateribus, non fundo, adhaeſit, tandemque cauſſas obliquitatis vteri, a DE VENTERO propoſitas, examinat. Putat
p. 93. enim ille, grauiditatis tempore vterum non in omni ſuo ambitu aequali ratione extendi, ſed augeri potiſſimum fundi ſiue partis, quae ſupra ligamenta rotunda eſt, magnitudinem. Ipſa vero haec ligamenta non ſufficere autumat, quo, eorum ope, vterus in ſitu ſuo retineatur, ſed illum facillime quaquauerſus deflecti, ponderique foetus, in eo contenti, cedere poſſe. Errare autem hac in re DEVEN-
p. 104. TERUM, Cl. LEVRET hic pluribus argumentis probat, docetque, oriri ſaepenumero obliquum placentae ſitum ex placentae extra vterum adhaeſione, eoque in caſu ipſius quoque orificii vterini ſitum et figuram quodammodo mutari. Quod vero inaequalem vteri dilatationem attinet, quae etiam ex Cl. Auctoris mente ab iniquo placentae ſitu oritur, eam ille ita explicat, vt oſtendat, placentam primis grauiditatis menſibus foetus magnitudinem multum ſuperare, atque partem vteri, cui adhaeret, non aequali ratione, ac reliquum vteri corpus dilatari, vterumque hinc verſus illum locum, cui affixa eſt placenta, inclinari, ſicque obliquum ſitum accipere. Ipſum vero vteri orificium non eodem modo, quo fundus inclinatur, licet etiam quodammodo in latus conuertatur, ita, vt vterus, collo eius inflexo, haud raro retortae quaſi figuram accipiat.

Ipſius

Ipſius porro placentae ſitu mutato, locus etiam connexionis funiculi vmbilicalis cum ipſa placentae ſubſtantia mutatur. Quodſi enim placenta fundum occupat, mediae vt plurimum eius parti funiculus infigitur: cum contra placenta, in laterali vteri parte collocata, etiam funiculus margini, aut laterali parte placentae inſertus ſit, ita, vt eo propius ſit margini, quo magis ab vteri fundo placenta diſtet. Tandem Cl. Auctor demonſtrat, locum etiam, in quo aquarum veſica ſub ipſius partus initio diſrumpitur, a ſitu placentae determinari.

Sequenti articulo Cl. Auctor de placenta, peculiari ſacco aliquo ex vteri contractione incluſa, diſſerit, quam nonnulli incarceratam dicunt. Quodſi enim illa laterali vteri parti adfixa eſt, tunc ſubſtantia huius viſceris, foetu expulſo, ita nonnunquam contrahitur, vt obſtetricans, manu ad eius ſolutionem in vterum immiſſa, eam in cellula aliqua, aut cornu, quaſi reconditam deprehendat. Hinc Cl. Auctor propoſitis iis, quae hac de re apud alios adnotata inuenit, in phaenomeni huius cauſſas inquirit et oſtendit, contractionem hanc non ex ſpaſmodica quadam fibrarum vteri conſtrictione oriri, ſed in partu ex vteri obliquo ſitu difficiliore, vterum contrahi omnem, excepta parte, cui placenta affigitur, et vteri vicinam partem, circa hunc locum conſtrictam, ſaccum, cui placenta includitur, efficere. Hinc ſi placenta lateribus vteri adhaeret, fere ſemper extractio eius, manus ope, adiuuanda eſt. p. 119

Tertio articulo Cl. LEVRET de ſignis, quae, aquarum veſica nondum diſrupta, iam oſtendere poſſunt, placentam lateribus, non fundo vteri agglutinari, diſſerit, quorum tamen plurima non ſatis certa nobis eſſe videntur. Cum hoc in caſu ſemper ex eius mente, ſimulac orificium vteri ſatis apertum eſt, verſio inſtituenda ſit, de verſione et in p. 128.

fine de placentae extractione exponit, si irregularem figuram, funiculo, laterali eius parti, inserto, habet, quales placentas Galli *en raquette* vocare
p. 134. solent. Addit obseruationem quandam, qua in obliquo placentae situ, funiculo vmbilicali prolapso, versionem Noster cum successu instituit, atque monet, in capitis extractione, quae in agripparum partu, vti diximus, saepe difficillimum opus est, conuersionem faciei ad latus peluis summi vsus esse.
p. 147. Articulus quintus continet aliam obseruationem de vsu vnci incurui, vagina muniti, quem in initio voluminis huius descripsit, in extractione trunci foetus, cuius caput abruptum erat; sexto vero arti-
p. 154. culo Noster de vsu forcipis incuruatae differit, vbi quasdam regulas, in applicatione eius obseruandas, pluribus exponit, huiusque instrumenti praestantiam prae forcipe recta confirmat. Adnotatione digna est partus quoque historia hic relata, in quo Auctor, brachio prolapso, tamen capiti vicino forcipem adplicauit, ipsumque partum feliciter finiuit.
p. 203. Septimo articulo de forcipe Belgica s. vecte ROONHUYSII secundum RATHLAVII descriptionem exponit, atque instrumenta alia, hoc in opusculo descripta, simul examinat, pluribusque docet, dilatationem orificii vterini, hoc vecte tentatam,
p. 226. valde noxiam esse. Articulo sequente SMELLII forcipem, sed rectam tantum minorem, sub examen vocat, variaque contra illum, inprimis ratione corii, quo SMELLIE eam obducebat, monet, vtilitatem vero eius non negat, sed concedit, se ipsum eam, ad partum aliquem difficiliorem terminandum, cum fructu adhibuisse. Addit quoque descriptionem forcipis GIFFARDI et FREKE. No-
p. 237. no articulo de sectione caesarea agit, quam antiquioribus temporibus saepe sine necessitate institu-

tam

tam fuiſſe, atque cauſſas, quibus exiſtentibus, vulgo illam indicari autumant, non ſemper illam neceſſario vrgere recte monet. Exponit vero inprimis de caſu, in quo foetus extra vterum poſitus eſt, ſignaque, quibus talem ſitum adeſſe, iam durante grauiditate, cognoſci poſſit, perpendit, quorum tamen plurima incerta ſunt. Vnicus caſus, in quo ſectio caeſarea abſolute indicatur, eſt, ſi tanta adeſt peluis anguſtia, vt impoſſibile ſit, foetum egredi poſſe. Ipſa vero operatio in hoc caſu inſtituatur, aquis nondum effluxis, cum, vtero adhuc aquarum mole diſtento, ſeque poſt ſectionem contrahente, omnino minor ſectio ſufficiat, quam eo iam contracto. Diſputat quoque Noſter de ratione, qua p. 245. ſectio haec in foemina, hernia ventrali affecta, inſtituenda ſit, tandemque ipſam operationem ita deſcribit, vt varia ad eius deſcriptionem, olim a ROUSSETTO et RULEAU datam, addat. Locum inciſionis ponit in medio loco inter lineam albam et lineam, a fine anteriore criſtae oſſis ilii ad illum locum ductam, vbi coſtae vltimae verae cum cartilaginibus ſuis cohaerent. Inciſio ſatis ampla ſit, quo foetus, vel vtero iam ex parte contracto, tamen commode educi queat. In fine quoque de ſitu aegrae poſt operationem et vulneris cura varia monet.

Decimus articulus diſquiſitionem in cauſſas p. 267. maxime frequentes ſubitaneae mortis puerperarum, ſtatim poſt partum inſequentis, continet. Haec vt plurimum ex inertia fibrarum vteri, a nimia eius extenſione aliisue cauſſis profecta, oritur. Quodſi enim ex hac cauſſa vterus poſt foetus excluſionem non contrahitur, et vaſorum orificia hac ipſa contractione non clauduntur, tunc omnibus, quae partum conſtituunt, rite peractis, puerpera haemorrhagia perit. Hinc Cl. LEVRET iubet, ne partus

ipſaque placentae extractio nimis acceleretur, ſed vteri euacuatio lente ſuſcipiatur, quo fibrae ſenſim contrahantur. In hoc vero caſu obſtetricans manum vtero immittat, illumque a grumis purget. Puerperae autem manus aceto immergantur, linteaque, aceto madida, abdomini eius adplicentur,
p. 273. ſique id, ſi haemorrhagia non ſubito aegram interficit, per temporis rationem fieri poteſt, aliis remediis fruſtra tentatis, balnea ex aqua frigida ad-
p. 285. hibeantur. Sequitur breuis de haemorrhagia ex mola, orificio vteri inhaerente, aut ex placenta, foetus abortiui relicta, oriunda tractatio. Cum in hac ſpecie vnicum auxilium in corporis peregrini extractione poſitum ſit, manusque chirurgi nonnunquam huic officio praeſtando haud ſufficiat, Cl. LEVRET minorem quandam forcipem excogitauit, quam vulgo *pince à faux germes* nominant. Decima ter-
p. 291. tia ſectione Cl. Auctor, ſe ſuamque forcipem contra Cl. P. A. BOEHMERUM, Halenſis Academiae Profeſſorem et Beat. IANCKIUM defendit, qui varia contra forcipem, inprimis ex tribus brachiis conſtantem, ſub initio prioris voluminis harum obſer-
p. 384. uationum deſcriptum, monuerunt, vltimaque ſectione ſimilem defenſionem libri ſui de polypis vteri contra Cl. SHARP ſuſcipit.

XI.

Herrn LEVRET *Wahrnehmungen von den Urſachen und Zufällen vieler ſchweren Geburten etc. aus dem Franzöſiſchen überſetzt und mit vielen neuen Handgriffen und Werkzeugen vermehret von* D. IOH. IUL. WALBAUM. *Lübeck und Altona bey D. Iverſen*, 8. T. I. 1758. 1 Alph. 12 pl. tab. aen. 5. T. II. 1761. 1 Alph. 11 pl. tab. aen. 4.

i. e.

Cl. LEVRETI obſeruationes de cauſſis et ſymptomatibus multorum partuum difficiliorum. Ex Gallica in Germanicam linguam tranſtulit multisque nouis inſtrumentis et artificiis auxit IO. IUL. WALBAUM, M. D.

Operis Cl. LEVRETI, de quo ſtatim ante ad Lectores retulimus, Germanica verſio, quam nunc indicamus, plura habet, quae non ſolum eam, vſui illorum, qui Gallicam linguam non norunt, aptiſſimam, ſed et ipſo Gallico archetypo praeſtantiorem reddunt. In vniuerſum autem Auctori huius verſionis Cl. WALBAUM illam non mediocrem laborem feciſſe, ei lubenter concedimus, tum ob inſignem vocabulorum technicorum et deſcriptionum mathematicarum mechanicarumque numerum, tum ob genus ſcribendi Cl. LEVRETI, quod non vbique facile intellectu eſſe quilibet, qui archetypum ipſum perluſtrauit, lubenter concedet. Cum itaque haec dictionis obſcuritas nonnunquam aliquas mutationes, in Germanica verſione neceſſarias, redderet, Cl. WALBAUM omnibus iis locis Gallica verba addidit,

didit, quo variatio et mutatio, quae ei neceſſaria viſa eſt, cum ipſo textu comparari et diiudicari poſſet. Praeſtantiorem vero prae Gallico archetypo hanc editionem reddunt adnotationes et additiones Cl. WALBAUMII, quae de eius inſigni mechanices et artis obſtetriciae cognitione ſatis teſtantur, cum plura correcta aliaque addita ſint, quod factum quoque eſt in iis libellis, qui huic verſioni annexi ſunt, vna cum deſcriptione variorum inſtrumentorum tum WALBAUMIO propriorum, tum ex aliis, maxime Anglicis, ſcriptoribus deſumtorum. Ex quibus omnibus ſpeciminis loco ſequentia, tanquam praeſtantiora, adnotaſſe ſufficiat.

Tom. I. p. 15. Cum ob peluis anguſtiam nimiam vnci incurui ad foetus mortui extractionem difficile immitti atque applicari poſſint; (vnguis enim a manubrio et reliqua vnci parte in vulgari inſtrumento nimis diſtat) Cl. Auctor vncum excogitauit, in quo vnguis cum reliqua parte, ginglymi ope, ita coniungitur, vt vnguis ſub vnci immiſſione ad reliquam partem applicetur, ſub extractione autem iterum, quantum neceſſe eſt, emineat. Putat etiam Noſter, elaſticos vncos fabricari et nonnunquam inſigni cum fructu
p. 55. applicari poſſe. LEVRETI forcipem tribrachialem, tanquam inſtrumentum, nimis compoſitum, emendare ſimplicioremque reddere ſtudet. Fu-
p. 136. ſius quoque de cauſſis exponit, quae corpori foetus, in agripparum partu iam nato, eius in vtero retentioni anſam praebere poſſunt, nonnullasque, a
p. 145. LEVRETO omiſſas, addit. Nec minori attentione dignus eſt is locus, quo de ſignis foetus mortui,
p. 155. aliusque, quo de primis, forcipis ex cochlearibus duobus compoſitae, inuentoribus Noſter diſputat.
p. 173. Rectum quoque LEVRETI forcipem ingenioſe emendare ſtuduit. Atque cum LEVRETUS eo loco

loco, quo de placentae adhaesione variante, vt obliquitatis vteri causſa, exponit, partem vteri, ei, cui placenta adhaeret oppositam, semper attenuari atque, si vterus rumpitur, praecipue infortunium illud hoc in loco accidere contendat, Cl. WALBAUM p. 251
hac occasione de obliquitate vteri in vniuersum, rupturae eius causſis, atque signis, aliisque huc pertinentibus, multa egregia monet. Addit quoque varia de partu et contractione vteri in vniuersum, mensuris peluis et capitis foetus et vario illius situ. Atque haec peluis et capitis foetus dimensio magis p. 241.
adhuc alio quodam loco explicantur. Vltimo tandem praecipue nostra commendatione digna no- p. 288.
bis visa est illa adnotatio, qua Noster disputat de causſis, a LEVRETO omissis, quae capite etiam praeuio partum difficiliorem reddere et eius paragomphosi ansam praebere possunt.

Huic vero priori volumini, adpendicis loco, varia alia scripta addita sunt, quae ad artem obstetriciam pertinent. Horum primum est Cl. VOIGT p. 303.
egregia dissertatio *de capite foetus abrupto*, quae Giesae anno huius seculi quadragesimo tertio prodiit, et hic ex latina lingua in Germanicam translata, nonnullisque adnotationibus aucta est. Alterum est descriptio variorum nouorum instrumento- p. 405.
rum, quae Noster in augmentum artis obstetriciae excogitauit. Primum est dilatatorium vteri, (qua occasione Cl. WALBAUM de variis dilatatoriis egregie differt), quod ex vesica vrinaria suilla constat, quam vacuam inter partem foetus, quae orificio appressa est, et orificium hoc immittit, et deinde, siphonis ope, qui, mediante cathetere corneo, vesicae coniungitur, lacte tepido vel aere replet, quod instrumentum in variis casibus egregium forte vsum, inprimis, si manus ad pedum eductionem difficulter immitti potest, praestare posse iudicamus.

p. 435. Secundum inſtrumentum eſt forfex incuruata ad caput foetus aperiendum, quae etiam aliis rectis forficibus, atque magis adhuc variis aliis perforatoriis, de quibus hic fuſius diſſeritur, anteferenda
p. 461. eſt. Tertium eſt forfex curua ad foetus abdomen in diſſectione eius aperiendum. Quartum autem
p. 463. chirotheca, ex inteſtino coeco ouis parata, qua manus ſub verſione in vterum immiſſio multum facili-
p. 467. tatur, vltimumque tandem laqueus ad pedis ſub verſione eductionem. Tertius libellus adnexus eſt
p. 471. Ill. HALLERI obſeruatio de vtero, ſub partu rupto,
p. 499. ex opuſculis pathologicis, et IO. HORNE obſeruatio anatomica de vtero grauido.

Quo vtiliorem autem laborem, Auctorem huius verſionis ſuſcepiſſe et quo praeſtantiores eius adnotationes iudicamus, eo magis profecto dolendum eſt, ſecundum volumen, quod alterum Leuretianarum obſeruationum volumen conſtituit, non ſolum adnotationibus Cl. WALBAUMII plane carere, ſed et tertium ab eo promiſſum volumen, quod plurimas adnotationes et emendationes con-
p 491. tinebit, nondum apparuiſſe. Eſt tamen huic quoque volumini, appendicis loco, deſcriptio variarum mutationum annexa, quas ipſe LEVRETUS in inſtrumentis ſuis fecit.

Praeter figuras, quae ad ipſum LEVRETI opus pertinent, ſequentia quoque inſtrumenta, tum ex VOIGTIO, tum ex aliorum Auctorum ſcriptis in hac Germanica editione delineantur. In priore volumine: tabula ſecunda PUGHII, MAURICEAU, SMELLII, BVRTONI et PLEVIERI fundae et laquei, AMANDI marſupium, WALBAUMIIque laqueus: tabula tertia PUGHII forceps, aliaque inſtrumenta SMELLII, GREGOIRE, PEU aliorumque plurimorum forcipes et vnci. Quarta SMELLII forfex et vncus. Quinta Ouldiana inſtrumenta,

ſtrumenta, atque Burtoniana, nec non FREKII et GIFFARDI forcipes. In poſteriore et tabula tertia Smellianus forceps, in quarta WALBAUMII forfices nec non BINGII forceps, quam Beat. IANKIUS deſcripſit.

XII.

Proluſio, quam orationi aditiali d. IV. maii A. R. S. CIↃ IↃCC LIII habendae praemittit, in eaque obſeruationes quasdam anatomicas de capſis tendinum articularibus proponit IOANNES GODOFREDUS IANCKE, Phil. et Med. Doct. eiusdemque P. P. Extraord. atque in Theatro anatomico Proſector. Lipſiae ex officina Langenhemia, 4. pl. $2\frac{1}{4}$.

Beatus IANCKIUS, cuius obitum ob indefeſſum anatomiae, cui totum ſe dicauerat, ſtudium adhuc academia noſtra luget, hac proluſione de capſulis tendinum articularibus, diſſerit, quibus Ill. ALBINUS, qui earum poſt DUVERNEIUM et WINSLOVIUM mentionem fecit, burſarum nomen dedit. Eſt vero eiusmodi capſa membranaceus p. 5.
folliculus, qui duobus vel pluribus tendinibus aut tendineis partibus, vel quoque cartilaginibus ita interpoſitus eſt, vt eas laxe inter ſe iungat, cuiusque laxa et mollis ſubſtantia viſcidum et ſubrubrum humorem continet, quem compreſſa effundit. Membrana, quae folliculum format eadem eſt, quae tendines et ligamenta cartilagines et oſſa ipſa tegit. Ita vero ſita eſt, vt ab altera parte tendinibus et laxe quidem, ab altera oſſibus, cartilaginibus vel ligamentis firmiter adhaereat. Longe tenuiores eiusmodi membranae ſunt, qua parte cum tendinibus

dinibus et ossibus concreuerunt, firmiores et densiores vero ea, qua liberae sunt, vbi scilicet accessione quadam cellulosae telae augentur. In cauitate vero ipsa cellulosa quaedam filamenta reperiuntur, quae ab vno pariete ad alterum oblique procedunt. Haud raro capsularum altera in alteram et in ipsam denique ligamenti capsularis cauitatem patent, quod contra ALBINUM et in ipsa femoris articulatione, in quam cauitas capsulae, quae ad iliacum internum pertinet, patet, aliquando obseruari Noster probat. Duplicem in vniuersum vsum praestant, scilicet vt viscidum in iis secernatur, quod tendines lubricos reddit, et vt secundo loco motum tendinum quodammodo moderentur. His de capsularum harum natura in vniuersum propositis, duo eorum genera, tenuiorum scilicet atque crassiorum, Cl. Auctor constituit, omnesque ac singulas tenuiorum, quas inuenire potuit, enumerat, initio ab extremitatibus superioribus facto. Crassiores vero capsae vbique ad artus truncumque inter aponeuroses carnesque paullo latiores reperiuntur, immo inter ipsam cutem tendinesque proxime subiectos, quod v. c. ad olecranon vel patellam obseruatur. Aliae earum a membranis ligamentosis formantur, aliae non ligamentosae sunt, quae a Nostro simplices vocantur, atque illae ibi in vniuersum reperiuntur, vbi musculi sibi ipsis, vel ossibus imponuntur, neque tamen inter se cohaerent, v. c. inter glutaeum et dorsum trochanteris. Ligamentosarum exemplum illa est, quae inter ossis humeri caput et deltoideum musculum ponitur, quam aliasque similes accuratius Noster describit.

p. 8.

p. 9.

p. 18.

XIII.

Proluſio prior ad exercitationes anatomicas d. IV. menſ. nouembr. anni CIↃIↃCCLIII habendas, in qua obſeruationes quasdam anatomicas de cauernis quibusdam, quae oſſibus capitis humani continentur, proponit D. IO. GOD. IANCKIUS. Lipſiae ex officina Langenhemia, 4. pl. 2.

De ortu, numero et vſu cauitatum illarum dicturus Cl. Auctor, quae in vno vel pluribus oſſibus capitis ita latent, vt totae ac integrae, non niſi ipſis oſſibus diffractis, oculis pateant, primo docet, nullas earum in recens natis infantibus, et ne quidem in oſſe ethmoideo adeſſe, variaque obiter de vocis diploes vera ſignificatione animaduertit. Fieri vero incipiunt hae cauernae eo tem- p. 5.
pore, quo laminae, cauernoſam oſſium ſubſtantiam comprehendentes, fiunt, quo ſcilicet, exterioribus bracteis propius ad ſe inuicem appreſſis, ſpongioſa oſſium textura, quae in medio eſt, ampliatur, et ita cauernae generantur. Quo copioſior itaque cauernoſa pars oſſis in oſſe vel eius parte eſt, eo quoque citiores et ampliores cauernae hae naſcuntur. In ſpecialiore vero harum cauitatum deſcri- p. 9.
ptione primo de ſinubus ſphenoidalibus agit, qui licet in aetate prouectioribus in media oſſis ſphenoidei parte reperiantur, in iunioribus tamen in inferiore oſſis parte, qua cum vomere committitur, quaeri debent. Ad hunc vero ſinum formandum praeter oſſis palatini partem etiam oſſicula BERTINI ſ. *buccina ſphenoidalia* EIUSDEM multum faciunt, quorum mentio ſaepius iam in noſtris commentariis facta eſt *, qua occaſione Cl. Auctor p. 11.
haec

* vid. Comment. noſtr. Vol. X. p. 533. not. *

haec ossa eorumque figuram positam et commissu-
p. 12. ras accurate describit. Deinde ad cauitatem, quae inter ossis palatini partem orbitariam et os ethmoideum latet, progreditur, atque in vniuersum plures varietates, in hac ossis palatini parte obseruandas, recenset, quae efficiunt, vt illa non in omnibus cum Winslouiana descriptione conueniat. De antro Highmoriano pauca Noster habet. Paullo tamen
p. 18. vberius cauernas describit, quas maxillare ethmoideumque os inter se iuncta, nonnunquam componunt, quarum etiam HALLERUS mentionem facit. Addere liceat Cl. Auctorem cauitatibus hic omnibus nomina imposuisse ab ossibus, ex quibus componuntur, desumta. Quod consilium licet ob nomina difficulter retinenda et eloquenda forte non omnibus arridebit, tamen tironibus ex eo proficuum esse potest, quod, nomine semel memoriae impresso, etiam plurima alia, circa hanc cauitatem attendenda, sciant.

XIV.

D. ANTON HEINS Pharmacia rationalis, *oder vernünftiger Gebrauch auserleſener Genesmittel, in zwey Theilen, deren erſterer von den Hülfsmitteln überhaupt, der andere von denſelben ins beſondere, in zwey Abſchnitten, zum Dienſt innerlicher und äuſserlicher Krankheiten handelt. Nebſt einer Vorrede* D. IOHANN ERNST HEBENSTREITS *von der Wahl des beſten Mittels, und einen doppelten Regiſter derer Nahmen und derer Sachen. Leipzig bey Bernh. Chriſt. Breitkopf* 1757. 4. 2 Alph. 15 pl.

i. e.

Pharmacia ſ. vſus rationalis ſelectorum medicamentorum in duabus partibus, quarum vna remedia in vniuerſum, altera ſingula medicamenta externa et interna continentur. Cum praefatione b. IO. ERNEST HEBENSTREIT de optimi remedii electione et duplici nominum et rerum indice. Auctore ANTON. HEINS.

Cum nonnulli medentes, latina lingua ignari ſint, idque praeſertim in chirurgos cadat, non plane inutile hoc opus, germanice conſcriptum, et quod indicaretur, dignum iudicauimus. In praefatione praemiſſa et a b. HEBENSTREITIO noſtro conſcripta, oſtenditur difficultas, id remedium eligendi, quod morbo optime, facillime et tutiſſime medetur, eamque nec minus a peritiſſimo, quam ab imperitiſſimo alienam eſſe medico. Quapropter quoque Noſter de remediis in vniuerſum non-

nonnulla praemiſit et de vera ac falſa medicina, vbi valdopere empiricis iraſcitur, de ambitu et limitibus materiae medicae, de medicamentorum effectibus, praeparatione et mixtione, eorumque doſi pro aetatis diuerſitate, cuius tabulam adiecit, et tandem de methodo, ſecundum quam materia medica diſtribuitur, egit.

Quibus peractis, ad remedia ipſa progredi-
p. 55. tur Cl. Auctor et interna primum, dein externa conſiderat. Ac primum quidem euacuantia remedia, vt ſunt vomitoria, purgantia draſtica, mitiora et mitiſſima, quibus annumerat clyſmata, porro anthelmintica, carminatiua, ſialagoga, ſternutatoria et ptarmica, bechica, ſudorifera, diuretica, aemagoga et tandem veſicatoria aliaque irritantia remedia, quae Noſter euacuantia per nouas vias
p. 281. appellat: deinceps mutantia ſeu alterantia, ad quae adſtringentia ſimul cum inuoluentibus, tonica, analeptica et roborantia, inter quae et alimenta refert, aperientia, quae obſtructionibus viſcerum medentur, promouendo ſanguinis et omnino humorum circulo ſine euidenti criſi, ſedatiua ſeu dolores compeſcentia demumque alterantia pertinent, contemplatur Noſter. Ad externa ſ. chirurgica, poſtquam ea omnino perſe-
p. 375. cutus eſt, referuntur a Noſtro diſcutientia et reſoluentia, refrigerantia et anodyna, emollientia, maturantia, antiputrida, adſtringentia, ſeptica et eſcharotica.

Singulorum tandem medicamentorum, partibus conſtitutiuis, indole et viribus eorum monſtratis, morbisque, quibus proſunt, nominatis, addidit varias compoſitiones et formulas magiſtrales, in quibus componendis partim ad medicamenti efficaciam augendam, partim ad ſaporem et odorem medicamenti nauſeoſum occultandum, partim ad alia

ſympto-

ſymptomata, ad morbum non pertinentia, ſopienda, reſpexit.

Iam ſpeciminis loco id caput breuiter enarrabimus, cuius fundamentis totus liber ſuperſtructus nititur. Eſt nimirum illud, cui ineſt methodus materiae medicae diſtribuendae et in ordines redigendae. Inter multas placuit Noſtro illa, quae cernitur in materia medica externa et interna ſ. chirurgica et medica, quam limitibus quaſi circumſcribunt manualia, cum chirurgia partim manu, partim medicamentis tractanda ſit. Qua methodo aſſumta, in morborum cauſſas inquirit, easque diuidit in poſitiuas, et in priuatiuas. Poſitiuarum effectus ſunt morbi, vel a praeternaturali mixtione vel ab abundantia humorum pendentes. Vtrumque quidem requirere videtur corporis purgationem et materiei peccantis euacuationem varias per vias, quae materiei eliminationi aptae deprehenduntur. Siquidem vero praeternaturalis mixtio ſaepenumero poſſit in corpore mutari et ſanorum humorum mixtioni ſimilis reddi ſine euidenti particularum peregrinarum egreſſu, ideoque morbis, ab humorum abundantia proficiſcentibus, per euacuantia et a praeternaturali eorum mixtione pendentibus, per mutantia medendum ſit, optime medicamenta externa et interna Noſtro videntur poſſe diſpeſci ratione effectuum in euacuantia et alterantia. Quoniam vero nunquam ſolidae et fluidae corporis humani partes ſeparatim labefactatae deprehenduntur, ſed fluidae interdum ſolidarum, et ſolidae e contrario fluidarum efficiunt laeſionem, & in compoſitis motibus apparent, alterantium effectus ratione partium, e quibus corpus humanum compoſitum eſt, duplex eſſe debet et ex vna parte in fluidas, ex altera in ſolidas cadere. Quae in fluidas earumque morboſas diſpoſitiones agunt, in ſenſu ſtrictiori alterantia appellat,

appellat, quae vero ſolidas adeunt partes, pro earum diuerſitate, quae potiſſimum in rigiditate et laxitate, ſtrictura et debilitate verſatur, in adſtringentia, emollientia, anodyna et ſic porro diuidit. Quod tandem ad morbos, ex defectu virium vitalium ortos, attinet, his ſuccurrit Cl. Auctor roborantibus, leniter nutrientibus et analepticis.

XIV.

Chirurgiſke Händelſer anmärkte uti Kongl. Lazarettet, ſamlade och genom usdrag af Dagboken til trycket befordrade på Höglofliga Kongl. Lazarets Directionens befallning af OLOF ACRE, Profeſſor. öfver-Fältskär i Kongl. Lazar. Chir. vid Kongl. Adelsfanan-Ledam. af Kongl. Sv. Vet. Acad. Kongl. Chir. Acad. Paris, och. Chir. Soc. i Stockholm. Stockholm, hos Carl Gottlieb Vlff. 1759. Absque praefatione et indice, pag. 380. in 8 mai.

h. .e

Caſus chirurgici, obſeruati in Reg. noſocomio Stockholmienſi et ex aduerſariis, ibidem concinnatis, ſuperiorum, qui noſocomio praeſunt, iuſſu collecti typisque mandati Auct. OLAVO ACREL.

Ex inſigni iſta caſuum chirurgicorum copia, qui Auctori Cl. in noſocomio Stockholmienſi inde ab a. 1752, quo inſtructum fuit, obuiam venerunt, rariores hic ſelegit, hisque alios quosdam, de quibus in actis Reg. academiae ſcientiarum iam retulerat, ſed nouis animaduerſionibus auctos, addidit. In praefatione

praefatione libri de nosocomii initiis, de aegrotorum, quotannis receptorum, numero, de magistratu, qui isti praeest, de medicis, qui aegrorum curam habuerunt, et de norma, qua regitur, paucis exponit. Proprio suo horto instruitur. Et regia lege statutum est, vt quilibet summam, siue in medicina, siue in chirurgia dignitatem aspirans, certo quodam temporis spatio nosocomium adeat, obseruationesque factas aduersariis excipiat. Ad quod vtilissimum institutum, quo cuilibet discentium absque vllis sumtibus vti licet, mirum est, quod voluntate superiorum quidam teneri debeant, quod simile alibi, praecipue in academiis, nonnisi insignioribus expensis, redimi potest. Datur et ibi tironibus, moderante veterano doctore, venia, suas vires tam in rebus medicis, quam chirurgicis periclitandi.

In sex capita totus liber dispertitur, quorum primum agit de casibus, in capite vel collo obuiis, alterum, quibus pectus obnoxium fuit, tertium, qui in abdomine et partibus generationis apparuerunt, quartum de vitiis, quae artus superiores, et quintum, quae artus inferiores infestarunt. Sextum caput persequitur tumores quosdam adiposos. Quae ita Cl. Vir pertractat, vt, licet plerumque vnice in casu recensito acquiescat, interdum tamen scite, nec loquaciter, vt fieri saepe solet, ad generaliores animaduersiones excurrat, in omnibus autem eam animi integritatem, quae nec errores commissos occultat, prodat. Nobis vero licebit ex insigni obseruationum numero eas modo attingere, quae nostro iudicio potiores videantur.

Fuit vir, qui ex corpore duro, in cranium il- p. 5.
lapso, paralysin pedum concepit, etsi mentis omnino ceterum compos. Postquam vero, terebra, cranio applicata, sanguini exitum Cl. Auctor parasset,

p. 9. ceſſauit hoc ſymptoma. In alio, cui os pariter perterebrauerat, ſanguis ſub exſpiratione praecipue copioſus effluxit. Ex ictu, quo caput percuſſum
p. 14. fuerat, ſingularis ſuturarum eius facta fuit ſeparatio; et quum aliquot dies poſt cutis incideretur, copia puris ſtupenda promanauit. Optimum nihilominus tamen reſtitutionis indicium hebdomade nona aderat, quod vero lapſus fortuitus irritum fecit.

p. 24. In labio leporino curando ſcalpellum ob minorem vaſorum conquaſſationem et vulnus magis aequale praefert; exceptis iis caſibus, qui celerem chirurgiam requirunt, in quibus forficem praeſtan-
p. 25. tiorem iudicat. Dolet Cl. Auctor, nec belladonnam, nec phytolacam, opem in cancro labii inferioris praeſtitiſſe. Nec, quod initio eam pollicebatur, alumen vſtum ſpem adimpleuit. Quin immo exſecto tumore, vnicum exemplum ſi demas, in vicinis glandulis tumor rediit.

p. 31. Sequuntur iam varia palpebrarum vitia, trichiaſis, diſtichiaſis, ectropium, lagophthalmos, ancyloblepharum, in quibus aliquando ab vſitatis curandi modis deflectere, Cl. Auctorem oportuit.
p. 47. Felix fuit in exſecando tumore adipoſo orbitae, quo oculus ex ſua ſede extrudebatur, et viſu omnino fe-
p. 50. re priuabatur. Rediit vero viſus et priſtinum ſitum oculus recuperauit. In puero, cancro oculi laborante, totum oculum auferre neceſſe erat, in quo autem nulla priſtinae fabricae veſtigia poſtea deprehendit.

p. 57. Paucis de pterygio et ſpina ventoſa orbitae oculi obſeruationibus prolatis, ad cataractam tranſit, et operationem, in nouem hominibus factam, recenſet. Fuerunt inter hos quatuor Sueci nati, quibus viſum ſua arte reſtituit. In his omnibus curatione St. YVES vſus eſt, eo tamen interdum diſcrimine, quod rei ratio requirebat. Quidam cataracta lactea affecti fuerunt.

fuerunt. Memorabile autem eſt, quod ex numero dicto ruſticus cum quatuor ſororibus eſſet, in quibus tamen, etſi caſu fortuito, grauius affli&ctis, feliciter res ſucceſſit. Aliquando varia ſymptomata vehementiora chirurgiae huic ſeſe adiunxerunt, ad quae ſuperanda ſectio arteriae temporalis ſemper plurimum contulit. Praegreſſa cephalalgia quatuor annorum, tandem ſucceſſit in altero oculo hypopion, in altero vehemens inflammatio. p. 75. In alio homine puris collectio ex inciſis ſub ipſa encheireſi arteriis, vitioſo ſanguine turgidis, nata fuit. p. 78. Quam vero ſanguinis effuſionem non ſemper hunc euentum pediſſequum habere, ipſe Cl. Auctor ſaepius expertus eſt.

De polypo narium, aliquoties a ſe curato, referens; addita nota, eius tria genera conſtituit: carneum, membranaceum, humoralem ſ. ſeroſum. Inter hos carneum ex carie oſſis ſubſtrati progigni veroſimile illi videtur, vtpote quum nulla certa medela absque ſeparatione oſſis praeuia obtineri potuerit. p. 80. Sunt quidam, Auctore iudice, vuulae relaxatae caſus, qui non niſi praeciſione eius curari poſſunt, cuius exempla duo hic leguntur. p. 85. In ſequentibus duabus ſectionibus de carie maxillarum Cl. Auctor agit. p 87. In calculi, qui in ductu Warthoniano aliquando generatur, et cuius duo exempla hic memorat, diagnoſi monet, ne cum oſſeis iſtis prominentiis, ex maxilla inferiori interdum procreſcentibus, confundantur. p. 92.

Succeſſit Auctori glandulae parotidis ſcirrhoſae, eiusque inſignioris molis exſtirpatio, etſi ex pertuſo carotidis ramo ſubnata haemorrhagia malum euentum praeſagiret, quam, agarico applicato, perite coercuit. p. 96. Tranſimus ſilentio ſectionem de fiſtula meatus auditorii cum carie; et de otalgia comitibus conuulſionibus aliisque malis referemus. Haec ſcilicet vermibus, muſcae domeſticae laruis haud

abſimilibus, ex aure prouenientibus, omnino conticuerunt.

p. 113. De fiſtulis colli complicatis tum ſermo fit. Nec vulnus aſperae arteriae, quocum et vena iugularis externa transfoſſa erat, aliam opem, quam futuram et emplaſtrum glutinans requiſiuit, quibus adhibitis, intra vigeſimum diem perfecta conſolidatio exſtitit. In alio, qui ira exaeſtuans, laryngis caput in ſe ipſo vulnerauerat, ita, vt vna cum aere ingeſta tranſirent, fiſtula per aliquot hebdomadas remanſit, quae
p. 116. vero dein coaluit. Tumorum cyſticorum colli variorum mentio hic fit, quos non tam a ſtagnatione adipis, quam remora in ductibus ſecretoriis glandularum colli deriuat.

Pluries Noſtro contigit, glandulas mammarum induratas, quae cancri naturam induerant, feliciter enucleare. De qua vero ſua dexteritate tam modeſte ſentit, vt ipſe dubitet, an in his caſibus vere can-
p. 127. croſus fomes humores inquinauerit. In duobus tamen aegris rediit ſcirrhus, quod vero ſemper accidit, ſi ſolito modo cancer vna cum cute auferretur. Varia lectu digna de diſcrimine ſcirrhorum tradit, inque eo ſubſiſtit, vt credat, ſcirrhum benignum nunquam, niſi ex ſummo errore, in malignum tranſire poſſe, ſed hunc iam initio tam peruerſae naturae eſſe. Vlcera interna pectoris, euacuato pure per fiſtulam, ſponte natam, ſed arte ampliatam, in nonnullis aegris ad ſanationem per-
p. 131. uenerunt. Quin hoc naturae beneficio ſpinae vertebralis vitioſa incuruatio, in pectoris empyemate
p. 137. alias frequens, ſuperata. Accurate definiuntur momenta empyematis, quae ſpem curationis admittunt. Sub hoc quoque capite cancrorum, in axilla ſiniſtra natorum, mentio fit. Tria exempla puris, abſque praeuia inflammatione collecti, recenſentur.
p. 164. Quae ad finem capitis ſecundi excipit hiſtoria tumoris

moris cyſtici, in dorſo emergentis, cuius materia contenta, ſpiritu arthritico Cl. POTT illito, emollita fuit.

Abdominis paracenteſi in aſcite inſtituta, orditur Noſter ſequens, quod de abdominis et adiacentium partium vitiis agit, caput. Cuius encheireſis in hydrope curando efficaciam ad eum modo caſum, in quo lympha intra peculiarem ſaccum, viſceribus adhuc integris, collecta eſt, reſtringit. Hepatis vero abſceſſum, inciſione facta, curauit. Mul- p. 155.
tae obſeruationes ad hernias ſpectant; adiectis animaduerſionibus plurimis, quae inter alias vſum ſectionis in herniis vetuſtis determinant. Nec de- p. 181.
fuit occaſio in fiſtulas perinaei, quae lotium transmiſerunt, inquirendi. Et ſemel opus fuit ob duritiem inſignem, cultro collum vrethrae et veſicae vna cum indurata parte diſcindere. Generatim expertus eſt, adiumentum inſigne in curatione ſcarificationem afferre. Fuit femina, in qua materia arthritica ſeſe ad femur contulerat, vbi fiſtula enata, quae in inguine ſeſe tandem aperuit.

De ſarcocele ſequuntur varii caſus, inter quos p. 199.
quoque meminit Cl. Auctor tumoris cancroſi inſignis, in vagina vteri feminae cuiusdam erumpentis, quem ob ſimilem naturam, ſarcocelem comparatiuam vocat. Ligatura commode auferebatur, quod anſam illi dedit, ligaturae exſtirpationem, cultro factam, praeferendi. Iunguntur hiſtoriae de hydrocele et fiſtula ſcroti.

In calculi vrinarii ſectione curationem fratris p. 217.
COSMI praecipue adhibet, ſub cuius adminiſtratione ſitum ſupinum maxime neceſſarium arbitratur. Quae, quamuis ſectio alias probe ſuccederet, in vnico tamen aegro euentum triſtem habuit, quem tamen exhalationibus duorum phthiſicorum, in eodem conclaui commorantium, adſcribit. Calculum, vre- p. 228.

thrae impactum, cultro haud aegre eduxit. Retentionis vrinae causa in aegro quodam non, nisi post mortem sectione, constitit, qua facta, in vesicae cauo apparuit copia caseosae materiae, ceruix vero vesicae cartilaginosa eiusque membranae durae et fracidae repertae sunt. Alio casu malum ex vermibus, ascarides referentibus, pullulauit, quibus cum lotio emissis, sponte cessauit. Tristiorem autem euentum disruptio vesicae, vrina turgidae, in sene septuagenario habuit, quam immissa syrinx pro clysmate produxit.

p. 237. Ad caput quartum pertinet casus spinae ventosae, quae ad cubitum, scabie foeda cum erosione ligamentorum et cartilaginum iuncta, producta fuit, in qua coercenda praeter amputationem brachii nullum auxilium supererat. In alio aegro, eodem malo afflicto, conulsiones ex amputatione nulla arte sopiri potuerunt, sed, inter alia vitia ipsius vulneris, mors successit. Alium eiusdem tenoris casum, nec non exfoliationis ossium varia exempla de industria omittimus. Fracturarum multa genera, humeri scilicet, antibrachii, metacarpi, carpi et phalangum Auctori nostro occurrerunt, de quibus omnibus encheiresis adhibitas exponit. Memora-
p. 256. mus modo, in nonnullis ob succum osseum, per moram siccescentem, vnionem partium contingere non potuisse. Et in femina venerea, sine vlla praegressa fortiori vi, brachium fractum fuit.

p. 264. Aneurysmate spurio, venae sectione incauta enato, quod vna cum medela adhibita describit, inductus Cl. Auctor monet, ne ligaturae nimia fides tribuatur, vtpote, quae in casu obuio, sub suppuratione, ante coalitum perfectum arteriae eo loco, vbi iniecta ista primum fuerat, discesserat; vt alia argumenta, ab Auctore prolata, taceamus. Quae de
p. 266. atheromate ad carpum, de abscessu ad eundem, de glandulis

glandulis tendineis, de eryſipelate brachii poſt venaeſectionem, et de variis oedematibus artuum ſuperiorum Cl. Auctor habet, ne nimis diffuſa noſtra ſit oratio, memorare non licet. Lectu vero digniſſimae ſunt obſeruationes de paronychia dolentiſſima, in qua os vel in gluten, vel in adipem degenerauit, nec niſi amputatione membri vinci potuit.

Progreditur Cl. Auctor ad vitia inferiorum ar p. 302.
tuum, quae in capite quinto pertractantur. Horum e numero ſunt oedema liuidum, fiſtulae, caries, fracturae, fungus articularis et anchyloſis, ruptura tendinis Achillis eiusque exfoliatio. Fungi
quercini in haemorrhagiis ſiſtendis efficaciam cura- p. 331.
tius Auctor expendit, nec praefert conſueto fungo igniario. Infidum eſſe affirmat in arteriis maioribus, plethora, quando arteria vel ſemi aperta eſt, vel ſubter cutem retracta, uel firma nimis et cartilaginoſa. Ab exhalationibus carioſi vlceris quo p. 337.
que repetit conuulſiones, quibus tres aegri poſt cruris amputationem correpti fuerunt. Corticis Peruuiani in gangraena compeſcenda efficacia multis in caſibus debilis modo fuit, nec niſi in mitiori humorum corruptela voto reſpondit.

Quod callus, poſt fracturas oſſium natus, ali p. 350.
quando iterum ſolutus fuerit. Cl. Auctor pariter expertus eſt, tum inprimis, prout in noſocomiis bellicis fit, quando aeris puritas ſeruari non potuit.
Par fere fuit ratio rupturae tendinis Achillis, quae p. 361.
eodem loco ex ſaltu contigit, vbi antea ruptus, futura tamen coaluit. In alio exfoliatio tendinis huius facta eſt, et diſpendium vitiatae partis nouis fibris ſuccreſcentibus, ſicut in oſſibus contingere ſolet, reſtitutum eſt.

In vltimo capite tumores adipoſos quosdam p. 369.
deſcribit; ad quos non tunicatos tantum, ſed et

ſcirrhoſos, ſiue illos, qui nullo velamine cingun-tur, refert. Quod ad illos attinet, plures vidit, qui ſolitis tribus ſpeciebus non commode accenſeri poſ-ſunt. Fuit enim tumor ponderis librarum 21 vna cum cyſtide, in qua materia eiusdem pelluciditatis et conſiſtentiae, ac humor oculi vitreus latuit. Inter-dum carnoſae vel polypoſae indolis haec ipſa fuit. Scirrhoſorum pariter diuerſa natura eſt, carnea, glan-duloſa, vaſculoſa, membranacea et propria adipoſa. Qui adipoſi proprie vocantur, hi prae reliquis inſigni incremento augentur. Nam exſtitit femina, quae ad nates lateris dextri tumorem eiusmodi geſſit libra-rum 21, et ad interius femoris eiusdem latus alium, qui pondere libras 15 aequauit.

XVI.

Paleſtina ovvèro primo viaggio di F. LEANDRO DI SANTA CECILIA, Carmelitano ſcalzo in oriente, ſcritto dal medeſimo. In Roma 1753. nella ſtamperia de Angelo Rotili, 4. 1 Alph. pl. 5. tab. aen. 4. Perſia ovvèro ſe-condo viaggio 1757. 1 Alph. pl. 15. tab. aen. 1. Meſopotamia ovvèro terzo viaggio 1757. 1 Alph. 1 pl. tab. aen. 5.

i. e.

Palaeſtina ſiue primum iter in orientem F. LEANDRI A SANCTA CAECILIA, Car-melitani diſcalceati deſcriptum ab eo ipſo. Perſia ſiue ſecundum iter. Meſopotamia ſiue tertium iter.

Non a paucis inde annis inſignem cuiusuis fere per omnem Europam terrae eruditos operam in eo laudabiliter poſuiſſe, vt animalium, vegetabi-lium

lium et mineralium, in patria maxime reperiundorum, formas, naturas et qualitates cognoscerent atque vlterius examinarent, quis est qui negare sustinuerit? At vero tantum nihilominus ac fere commune studium, et quae ab illo prouenit tanta historiae naturalis lux, non impedit, quo minus multa adhuc hac in re admodum obscura, non pauca prorsus ignota superstint. Quod querelarum genus multo grauius est, si de remotiorum terrarum historia naturali perquirendum aliquid nobis sumserimus, cuius tamen historiae cognitio ad explodendas fabulosas narratiunculas de rebus, non nisi fama, cognitis, ad perfectionem methodi sic dictae naturalis herbarum animaliumque in genere, et ad veram certamque historiam mercium et medicamentorum, quae ad nos ex istis regionibus adferuntur, vt alia taceam, maxime necessaria est. Multiplex enim hoc vt nanciscemur commodum, non leui et fugitiuo, sed diligentissimo harum rerum examine, studioque per plures annos continuo opus erat. Difficillimum vero esse peregrinanti per terras, a patria remotissimas, quarum lingua moresque ipsi prorsus ante erant ignoti, inter innumera vitae pericula ducesque itineris admodum saepe fallaces, rudes ignarosque istarum rerum versanti, nemo negabit. Optandum itaque est, vt ii, qui in terris, quarum corpora naturalia nobis nondum satis cognita sunt, per aliquot annos commorantur, linguas eorum rectius discunt, atque adeo multis modis ad hanc vlteriorem cognitionem sibi parandam iuuantur, vera quoque historiae naturalis scientia polleant, tempusque sibi concessum vtiliter, id est in scientiarum verum augmentum, impendant. Sic enim meliora praestabunt iis, quae antehac de his rebus in publicum prodierunt, neque fabulosis et imperfectis tantum relationibus propositis, spem

et expectationem, de eorum laboribus conceptam, fruſtrabunt. Atque ſane dolemus, Auctorem quoque itineris, cuius titulum nunc lectoribus propoſuimus, ter diuerſo tempore in orientales regiones ſuſcepti, ob hanc ipſam rem reprehendendum eſſe, occaſionemque optimam, naturalem harum terrarum hiſtoriam illuſtrandi, neſcio, quam ob cauſſam, plane fere neglexiſſe. Miſſus quidem primario erat, ad propagandam ibi fidem Chriſtianam, cuius cauſſa per ſatis longum et viginti quinque fere annorum ſpatium in Palaeſtina, Perſia et Meſopotamia et inter vicinos populos verſatus eſt; verum exercebat ſimul artem medicam, atque, vt ipſe aſſerit, feliciſſimo cum ſucceſſu, vnde colligimus, non omnino nullam aliarum ſcientiarum cognitionem in iſto viro fuiſſe. Tamen fefellit opinionem, de eo conceptam, nec quidquam in hoc trium voluminum opere, quod nobis longae peregrinationis hiſtoriam dare debebat, praeſtitit, quod aliquo vſui nobis eſſe poſſet. Figurae, aeri inciſae, rudes ſunt, quod iudicium et de ea valet, quae inter peſſimas optima eſt, qua *Rheum Ribes* LINN. foliis granulatis pingi-
Tom. I. tur. Ex hac planta, quae copioſe in monte Liba-
p. 57. no ſub niue creſcit, ſyrupus acidus, guſtu gratiſſimus, paratur, qui quotannis Byzantium magna in copia defertur. Partes vero, quibus huius plantae vis ineſt, caudicem foliorumque coſtas eſſe Noſter mo-
T. III. net. Vehementer quoque extollit vires radicis cu-
p. 125. iusdam nigrae ex ſpecie quadam ſcorzonerae, quam parthicam vocat, deſumptae, aduerſus morſum ſerpentum, eiusque figuram dat, ex qua tamen nihil certi colligi determinarique poteſt. Venia igitur Lectorum petenda nobis eſſet, quod tali libro recenſendo non plane ſuperſedere voluerimus, niſi vel hac de cauſſa non inutile videretur, iſtius meminiſſe, vt ſciret, qui vel hiſtoriam naturalem vniuerſalem

ſalem colunt, vel ſpeciatim cognitioni hiſtoriae naturalis terrarum ex ſacra ſcriptura et veteris aeui monumentis adeo cognitarum, ſtudium impendunt, et quibus rarum hoc in noſtris terris opus videre, non facile contigerit, nihil ei ineſſe, quod ipſorum attentione aut deſiderio dignum ſit.

XVII.

Figures of the moſt beautiful, uſeful, and uncommon plants deſcribed in the gardeners dictionary, exhibited on three hundred copper plates, accurately engraven after drawings taken ſtom nature cet. By PHILIPP MILLER, F. R. S. Member of the botanic Academy at Florence, and Gardener to the worshipful Company of Apothecaires at their botanic Garden at Chelſea. Vol. I. London printed for the Author 1760. fol. mai. pag. 100. tab. aen. color. diſtinct. CL. Vol. II. eod. anno pag. 100. tab. aen. CL.

i. e.

Icones plantarum pulcherrimarum, vtiliſſimarum et rariorum in lexico hortulanorum deſcriptarum, in tabulis aeneis CCC, ita ſculptis, vt accurate reſpondeant picturis illarum, ad naturam factis. Vol. I. et II. Auctore PHILIPPO MILLERO.

Celeberrimum illum lexici hortulanorum Auctorem PHILIPPUM MILLERUM, qui horti Chelſeani curam per plures iam annos ſumma cum laude geſſit, ſplendido, quod nunc indicamus, opere,

re, haud parum famam ſuam et conceptam de eius doctrina et ſtudio opinionem auxiſſe, nemo facile negabit. Cepit enim ille, lexico illo feliciter ad finem perducto, conſilium, figuras quoque ſingulorum plantarum generum, quorum in hoc ipſo opere mentio fit, ita edendi, vt characteribus, ex flore et fructificatione deſumtis, accurate expreſſis, plantisque ad naturam viuis coloribus diſtinctis, vel ii, qui botanices ignari eſſent, ex his iconibus aliquam ſibi deſcriptorum vegetabilium cognitionem comparare poſſent. Cum vero hac ratione operis magnitudo nimis increſcere videretur, multique deſiderarent, vt, delectu quodam facto, non omnes et vulgatiſſimae quaeque plantae, ſed eae tantum pingerentur, quae notatu maxime dignae eſſent; votis his annuens, Cl. Auctor conſilium ſuum, parte harum iconum iam in lucem edita, quodammodo mutauit, neque in toto opere, alphabeticum ordinem, quo primum vſus eſt, adhibuit. Hinc non omnia, ac ſingula plantarum genera figuris illuſtrantur, ſed in poſteriore inprimis volumine, eae tantum plantae delineantur, quae in Anglia rariores, atque ob floris elegantiam vel medicum, aut oeconomicum vſum prae reliquis attentione dignae ſunt. Inuenies itaque hic magnum plantarum, quarum maxima pars in horto Chelſeano floruit, numerum, inter quas plures nouae, aut antea nondum ſatis apte delineatae, reperiuntur, quae vel a HOUSTONO ex America meridionali allatae, vel ex America ſeptentrionali, Sibiria et Promontorio bonae ſpei aliisque terris transmiſſae fuerunt. Figurarum elegantia ſumma eſt, nec coloribus nimis ſplendidis nimiamque artem prodentibus, intuentium oculi falluntur, ſed ita colores iſti quaſi ad naturam temperati ſunt et expreſſi, vt cognoſcas, Auctorem non oculos emtorum allicere, ſed verum incrementum

ſcientiae

ſcientiae promouere voluiſſe. Additae vero ſunt ſingulis quoque plantis deſcriptiones characterum generis et methodica huius generis ſecundum RAII, TOURNEFORTII et LINNAEI ſyſtemata diſpoſitio, adiectis nonnunquam obſeruationibus, in quibus fere ſemper aliqua contra LINNAEI methodum aut definitiones et nomina eius monet. Hanc deſcriptionem excipit ſpecificum plantae nomen ex LINNAEO, vel alio auctore aut lexico hortulanorum deſumtum, aliorumque ſcriptorum ſynonyma, nec non breuis plantae hiſtoria, in qua ratio, qua illa inuenta inque Angliam et ad Auctorem delata fuit, et praecipua, quae circa eius culturam et vſum notanda ſunt, commemorantur. Ex plurimis vero plantis rarioribus et interſperſis obſeruationibus notatu digniſſimis ſequentes tantum ſpeciminis loco nominaſſe ſufficiat.

Tabula prima delineatur *pinus canadenſis* LINNAEI, cuius arboris reſina ab Americae incolis et medicis Europaeis, in iis terris medicinam facientibus, ad vſum medicum adhiberi ſolet. In explicatione tabulae XVI. monet Auctor, plantas iuniores *Alaterni* ſiue *Phylicae* foliis anguſtioribus ſerratis H. L. ſaepe in Hollandia pro iunioribus arboribus theae vendi. Baccae huius plantae egregium colorem flauum largiuntur, et in Anglia baccae Auenionenſes (*Auignon berries*) vocari ſolent. Tabula XIX. *aloes diſtichae* LINN. Varietas β. pingitur, atque in explicatione huius tabulae Noſter aſſerit, veram aloen officinarum parari ex *aloe ſuccotrina* COMMELINI ſ. varietate ξ *aloës perfoliatae* LINN. Ex varietate vero π ſ. *vera* LINN. illam aloës ſpeciem obtineri, quam *barbadenſem* in Angliae officinis vocant. Tabula XXIII. *Amaryllidis belladonnae* et tabula XXIV. *Amaryllidis reginae* figurae exhibentur. Ex foliis *Amorphae* pigmentum, indigo ſimile, parari poteſt. Tabula XXXI. figuram *Trichoſanthis anguinae*.

Vol. I.
p. 11.
p. 13.
p. 15.
p. 19.
p. 21.

anguinae. Tab. XXXV. *Annonae trilobae.* T. XXXVI. *Ononidis fruticoſae* et Tab. XXXVII. *Ononidis natri-*
p. 30. *cis* continet. Tab. XXXVIII. *Anthemis pyrethrum* delineatur. Pappus ſeminum ex variis *Apocyni* ſpeciebus, inprimis ex *Aſclepiade fruticoſa* collectus, Gallis *de la Ouate* dicitur, et fulcimentis implendis in-
p. 34. ſeruit. Ex cortice *Ilicis aquifolii* viſcum aucuparium paratur. *Argemones* ſemina purgantis loco in America adhiberi ſolent, atque ſuccus huius plan-
p. 35. tae in variis oculorum morbis laudatur. Radix *Ari* autumnali tempore, poſtquam ſemina matura facta ſunt, colligi debet, quo tempore vires ſuas longius, quam ſi vernali tempore collecta fuit, conſeruare ſo-
p. 37. let. *Aſparagum ſatiuam* et *maritimam* varietates tantum eſſe, non diuerſas ſpecies experimento facto cognouit. Tab. XXXIX. *Anthericum* (an *aſphodeloi-*
p. 40. *des?*) et *Hypoxis decumbens*, Tabula vero LX. *Baſieriae* nouum genus pingitur, quod eadem planta eſt, quam EHRETUS *Beureriam*, LINNAEUS vero *Calycanthum floridum petalis interioribus, longioribus* vocauit. Tab. LXIV. *Zinniam pauciflora* ſiſtit, quam Noſter ſecundum IUSSIAEUM *Bidentem calice oblongo ſquamoſo, ſeminibus radii corolla non decidua coronatis* dicit. Tab. LXIX, *Browallia* delineatur, de qua Noſter monet, ſe hanc plantam primum *Daleae* ſub nomine deſcripſiſſe et LINNAEO communicaſſe, qui ei *Browalliae* nomen
p. 47. dedit. *Bryoniae* radix a fraudulentis circumforaneis pro *Mandragora* venditur. Poteſt enim in varias figuras fingi, ſi iunior radix vaſi immittitur, cuius cauitas formam, quam radici huic dare volumus, habet. Haec enim creſcens in hoc vaſe anni ſpatio omnem cauitatem replet, eiusque figuram exacte
p. 56. refert. Herba quae ieſuitarum ſiue *paraguay* dicitur et theae loco in America adhibetur ex *Viburno caſſinoide* et *Prino glabro* ſecundum Noſtri Auctoris

ſen-

ſententiam componitur. Tab. LXXXVI. *Ceanothus foliis trineruiis*, tab. XC. *Cactus grandiflorus* et tab. XCIV. *Carduus helenioides* pingitur, de quo Auctor notat, eum a variis empyricis in Anglia in morbis melancholicis adhiberi, quam ob rem quoque *Carduus melancholicus* (*melancholy thiſtle*) PARKINSONIO dicitur. Tab. XCV. *Clinopodii vulgaris* varietatem β et tab. XCVI. *Chironiam fruteſcentem* continet. Tab. CII. *Conuolvulus ſcammonium* ex planta, e ſeminibus in Anglia nata, delineatur. Tab. CIV. *Cornus ſylueſtris fructu albo* ſ. *foemina, baccis albis racematim haerentibus* pingitur, quam plantam a vulgari et Americana ſpecie diuerſam eſſe, Noſter contendit. Tab. CVI. *Coronillam variam* ad prata artificialia Auctor multum commendat, et experimenta cum illa in Anglia facta optimum habuiſſe ſucceſſum, aſſerit. Tab. CX. *Crinum foliis carinatis* continet Tab. CXII. *Cucubali* baccis noxium effectum tribuit, monetque, plantas has non libere in hortis creſcere debere. Tab. CXIII. *Cunoniae* iconem ſiſtit, quam LINNAEUS ad *Antholyzam* retulit, Noſter vero ſingulare genus eſſe contendit. Plantas, quas LINNAEUS ſub *cyclaminis Europaei* nomine coniungit, non vnam ſpeciem, ſed plures efficere Noſter contra eundem per experimenta et obſeruationes probare contendit. Tab. CXVIII. *D'Ayena* pingitur, noua planta, quam LINNAEUS *Ayeniam puſillam* dixit. Tab. CXX. figura *Digitalis Canarienſis*, Tab. CXXV. *Dioſma hirſutum?* et *ericoides*, Tab. CXXVI. *Dioſpyros lotus*, Tab. CXXVII. *Dodartia* et Tab. CXXXI. *Coronilla emerus* reperitur. In comitatu Ceſtrienſi (Cheshire) *gallium* in lacticiniis ad lactis coagulum impetrandum adhiberi ſolet. De *gentiana lutea* ſ. vera officinarum Auctor notat, ante aliquot annos inter has radices alias quoque ex Heluetia in Angliam miſſas fuiſſe, quae venenatae erant,

noxios-

noxiosque effectus in multis producebant, cum magna oris siccitas, calor, nausea et cephalalgia inde orirentur. Cl. Auctor, qui accuratius in hanc rem inquisiuit, cognouit, has radices ad *Hyoscyamum* (*henbane*) pertinere, quod historia malorum, quae in variis ex esu radicum hyoscyami euenerunt, vlterius probare tentat. Tab. CXLVIII. egregiam varietatem *Hyacinthi flore pleniſſimo albo intus elegantter roſeo et purpureo variegato* et Tab. CXLIX. *Hyoscyamum* maiorem albo similem, vmbilico floris virenti sistit.

Ex altero volumine sequentes maxime plantae nobis notatu dignae videntur. Tab. CLIV. *Iris florentina* ex seminibus, a POCOCKIO in Carniola collectis, nata. Tab. CLV. et CLVI. variae species *Gladioli* et *Ixiae*, vt *polyſtachia*, *crocata*, *flexuoſa*. Tab. CLXII. *Phlomis nepetaefolia*. Tab. CLXV. *Lilium philadelphicum* et *Lilium pomponium*, quod *Lilio camschatcenſi* LINN. ſimillimum est. Tab. CLXVI. *Linum perenne ſibiricum*, cuius cultura multum commendatur. Tab. CLXX. Ignotae speciei *Lychnidis* varietas aliqua petalis dissectis. Tab. CLXXII. *Magnolia*, quae in Anglia hinc inde laete crescit, et in aere libero flores, non vero fructus producit. Tab. CLXXIII. *Mandragora* et tab. CLXXIV. *Meadia*, quae copiose in Angliae hortis crescit. Tab. CLXXVIII. *Mespilus amelanchier* LINN. et *crataegus crus galli*. Tab. CLXXIX. *Crataegus coccinea*. Tab. CLXXX. Elegans planta *Gardenia florida*. Tab. CLXXXII. *Mimoſa aſperata*. Tab. CLXXXV. *Nicotiana puſilla* LINN. Tab. CLXXXVI. *Vinca roſea* planta elegans et noua, quae apud nos tamen intra paucos annos satis vulgaris facta est. Tab. CLXXXVIII. *Oenothera pumila*. Tab. CXCIV. *Oſteoſpermum piſiferum*. Tab. CXCVI. *Prunus luſitanica*,

Lusitanica, eximium illud hortorum Anglicorum decus. Tab. CXCVIII. *Aesculus pauia.* Tab. CXCIX. *Paeoniae* varietas foliis difformiter lobatis, pubescentibus. Tab. CCVI. *Physalis arborescens* et *pensylvanica?* Tab. CCVII. *Phytolacca icosandra.* Tab. CCIX. *Polemonium reptans.* Tab. CCXIV. *Ipomoea quamoclit.* Tab. CCXV. *Quercus aegilops.* Tab. CCXVIII. *Rheum compactum.* Tab. CCXXII. *Agaues Americanae* varietas, quae anno 1757 in horto Chelseano floruit. Tab. CCXXIII. *Rubus Canadensis.* Tab. CCXXVIII. *Kalmia* s. *chamaerhododendros lauri foliis semper virens, foliis bullatis corymbosis* CATESB. Elegans planta, quae in aridioribus rupibus Americae septentrionalis crescit. Tab. CCXXXVIII. *Morea* nouum genus in honorem Ill. MORE ita dictum, corollam habet hexapetalam, petalis tribus interioribus patentibus, antheras tres et stylum vnicum. Satis cum *Iride* LINN. conuenit. Est vero species hic delineata *Morea vegeta* LINN. Tab. CCXXXIX. *Morea iridioides* LINN. syst. et *Ixia crocata.* Tab. CCXL. *Ixia bulbocodium.* Tab. CCXLI. *Sarracenia purpurea.* Tab. CCXLII. *Cypripedium.* Tab. CCXLIII. Varietas *Robiniae pseudoacaciae floribus roseis* ex mente Auctoris, LINNAEUS vero in Mantissa *hispidam* vocauit. Tab. CCXLV. *Othonna cheirifolia* et *Othonna crassifolia.* Tab. CCXLVI. *Schinus molle.* Tab. CCXLVII. *Cnicus cernuus.* Tab. CCL. *Delphinium elatum*, quod in Americae septentrionalis pratis crescens, bobus funestum est. Tab. CCLI. *Hydrangea arborescens.* Tab. CCLII. *Chelone pentstemon.* Tab. CCLIII. *Cercis arbor iudae.* Tab. CCLVIII. *Stapelia denticulis ramorum erectis.* Tab. CCLX. *Styrax officinale.* Tab. CCLXI. *Populus balsamifera* siue *Tacamahaca* PLUKENETII, cuius icon cum EHRETI figura a TREWIO publicata conuenit, cum folia ouato

oblonga, ſubtus alba ſint. Tab. CCLXIII. *Tetragonia fruticoſa* et *herbacea.* Tab. CCLXVI. *Tordylium latifolium.* Tab. CCLXVIII. *Turnerae* ſpecies duae aut varietates duae *Turnerae vlmifoliae.* Tab. CCLXIX. *Pyrus baccata* LINN. ſyſt. Ed. XII. cuius bacca auſterum guſtum habet. Tab. CCLXXI. *Veratrum album.* Tab. CCLXXII. *Veratrum racemo ſimpliciſſimo corollis patentibus, ſtaminibus longioribus* eſt *Helonias bullata* LINN. ſyſt. licet MILLERUS aſſerit, multos flores mares hermaphroditis intermixtos eſſe. Tab. CCLXXIII. *Verbaſcum Boerhauii* LINN. ſyſt. Tab. CCLXXVI. *Watſonia* nouum genus in honorem Cl. WATSON, D. Med. ita dictum. Eſt planta quam TREWIUS in Ehretianis tabulis *Merianam flore rubello* dixit, LINNAEUS vero ad *Antholyzam* retulit et *Antholyzam floribus infundibuliformibus*, addito nomine triuiali, *merianiae* vocauit. A *Gladiolo* corollae limbo magis regulari differt. Tab. CCLXXII. *Verbaſcum myconi* LINN. ſyſt. foliis lanatis radicalibus, ſcapo nudo. Tab. CCLXXX. *Ferraria vndulata.* Tab. CCLXXXV. *Warneria* nouum genus in honorem Ill. WARNERI ab Auctore vocatum eſt *Hydraſtis Canadenſis* LINN. Petala tria, calycem nullum, nectaria nulla et baccam compoſitam acinis monoſpermis habet, atque ad polyandria polygynia pertinet. Tab. CCLXXXVI. *Martynia annua.* Tab. CCLXXXVII. *Gundelia Tournefortii* LINN. Tab. CCXC. *Ciſtus halimifolius.* Tab. CCXCIV. *Solanum bonarienſe.* Tab CCXCV. *Arum arboreſcens* LINN. ex mente Auctoris, ſed LINNAEUS ad ſequentem ſpeciem (*ſeguinum*) *foliis lanceolato ouatis* retulit. Tab. CCXCVI. *Dracontium pertuſum.* Tab. CCXCVII. Varietas *Watſoniae humilis* foliis lineari enſi formibus, tubo floris longiſſimo ſiue *Antholyza meriania minor* LINN. Tab. CCXCVIII. *Triumfetta annua* LINN. ſyſt. Tab. CCXCIX. *Sidero*

deroxylon. Flores maſculos et foemineos in diuerſis plantis creſcere Auctor monet et hic marem exhibet. Tab. CCC. *Arduinia biſpinoſa* LINN. ſ. *Lycium foliis cordato obouatis oppoſitis ſeſſilibus perennantibus, ſpinis craſſis bigeminis, floribus confertis.*

XVIII.

IACOBI HENRICI OTTENS Diſſ. med. inaugural. de Ἀναστομωτι. Lugd. Bat. 1757. 4mai. pl. 5. apud Samuelem et Io. Luchtmanns, Academ. typograph.

Relicta anatomica vocis ἀναστόμωσεος ſignificatione, pathologicam modo examinat Cl. Auctor, eiusque definitione, et diuiſione in naturalem et praeternaturalem praemiſſa, naturalem prius conſiderat, quam praeternaturalis ſeu morboſae cauſſas et effectus, tam morboſos, quam ſalutares, diagnoſin, prognoſin, tandemque therapiam perſequitur. p. 1.

Vt igitur, ab ipſa definitione exordiamur, eſt illa ex Cl. GAUBII pathologia petita, immodicam oſtii cauitatis, quod admittit, aut emittit, laxationem complectens atque in omni corporis cauo, praecipue tamen in vaſis et organis, circulationi ſecretionibusque dicatis, locum habens. Cum vero non omnis anaſtomoſis morboſa deprehendatur, ſed ſaepius ſalutaris, eam diſtribuit in naturalem et praeternaturalem. Naturalis inprimis patet ex copia et motu humorum in ſanis nunquam eadem, et ex flexili et mutabili oſtii aeque, ac ventris vaſorum diametro. Exempli loco commemorantur, vt errores loci naturales, circulatio ſanguinis, perſpiratio inſenſibilis, ſudor naturalis dicendus, in feminis menſtrua, lochia, lac, forte quoque ad pubertatem in viris ſemen; porro in appetitu ſaliuae copioſior adfluxus, in verecundia faciei erubeſcentia, pluraque alia mittimus.

p. 6. A qua gradu tantum differt praeternaturalis, cuius generalis effectus est, quod plus, aut aliud quid, quam lex sanitatis exigit, permittat, introeat vel exeat, cuius causſae vel in vitio contentorum, vel continentium, vel vtriusque simul consistunt. Contenta peccant copia, volumine et impetu: continentia nimio languore virium renitentium: duplicata causſa ab aucta priorum et imminuta posteriorum vi proficiscitur.

p. 8. Inter vitia contentorum primum referenda est plethora, a qua quoque pendet volumen. Impetus humorum est vel vniuersalis, vel particularis: vtrumque obseruauit BOERHAAVE, qui vidit errorem vniuersalem loci ex motu nimio, lethalem anastomoseos sequelam, et mictum cruentum a vestibus strictioribus atque apoplexiam in febrili horrore, vt particulares. Plurima porro quoque medicamenta ita agunt: e. gr. diuretica, inter quae hedera terrestris, a medico iuniori inter excursiones botanicas saepe comesta, diabeten excitasse, a Nostro dicitur.

p. 12. Vitia porro continentium si perpendas, consistunt in imminuto robore virium renitentium, quod quidem oritur vel a cohaesione imminuta, vel ab externo fulcimento laeso sublatoue, vel a sphincterum resolutione. Cohaesio minor est laxitas. Fulcimenti externi laesio pendet ab imminuta atmosphaerae grauitate, vel calore et raritate aucta; hinc in montosis locis haemoptoe, vel intus in corpore, vt haemorrhagia vteri ab extracta placenta. Quod ad sphincterum resolutionem attinet, duo tantum veri sunt sphincteres, ani nimirum externus et internus; reliqui vt oesophagi, vesicae, vasorum lacteorum, punctorum lacrymalium ex quadam analogia ita dicuntur, ratione resolutionis tamen,

men, qua non claudunt, ſphincteres omnes dici poſſent.

Vltima claſſis cauſſarum duplicatam cauſſam p. 15.
continet, quam inprimis praebent animi commotiones, ſolidarum partium iuſtum mutantes robur, vt diarrhoea ex metu, anxietas ex triſtitia, ſudor ex angore: vt in moribundis forte a reſolutis ſphincteribus vaſculorum et glandularum ſebacearum cutis ſudor frigidus et viſcidus, immo ſanguineus, vt ſudor ſeruatoris noſtri Chriſti verus ſanguineus fuit, non ſeroſus, vt putant Cl. MEAD aliique.

Cauſſis iam fuſius pertractatis, ad effectus No. p. 17.
ſter progreditur. Qui licet innumeri ſint, omnes tamen reduci poſſunt ad errorem loci, cuius variae iterum ſunt ſpecies. Eſt enim vel error fluentium, vbi humor inquilinus aliena loca tranſit absque vlla obſtructione praegreſſa; vel error impactorum cum obſtructione, vt in omni inflammatione: vel error excretorum, qui duplex eſt: aut humor inquilinus e propriis vaſculis per canales excretorios nimis excernitur v. g. diarrhoeae ſeroſae vel cruentae, vomitus et mictus cruentus, ſudores colliquatiui, diabetes vera; aut humor non per ſuum, ſed per aliud emunctorium excernitur: vel error effuſorum, quando vapor, qui in omni cauo perſpirat et reſorbetur, copioſius excretus, colligitur, vt hydrops, ſanguinis extrauaſatio, ſugillationes, haemorrhagiae internae. Tandem error ſecretorum, qui ex iam dictis patet. Addi poſſet hic tumor et ſcirrhus ex copioſioris et craſſioris humoris glandularis affluxu.

Perluſtrandi nunc ſunt effectus ſalutares ſ. vis p. 21.
medicata anaſtomoſeos. Huc referri merentur omnes euacuationes criticae, quae vel ſponte, vel medici auxilio ſeſe exſerunt, vt ſudor in acutis, ſaliuatio in variolis, haemorrhoides, haemorrhagiae

narium, menſtrua, omnes metaſtaſes, abſceſſus, diarrhoea et mictus purulentus. Porro in chronicis morbis, vt in ſuppreſſione menſium, vbi ſaepe ſanguis per oculos, per brachium, per digitos, per haemoptyſin ſ. vomitum cruentum exit. Nec minus omnia omnino huc pertinent exanthemata.

p. 29. Quoniam diagnoſis et prognoſis ex his cauſſis et effectibus facile patet, therapiam adhuc paucis conſideremus. Variam profecto pro varietate cauſſarum eligendam eſſe medendi methodum, Noſter ſuadet. Quapropter plethorae venaeſectionem, laxitati roborantia et adſtringentia opponit, haemorrhagiis externa interdum fulcimenta, vt faſcia, infimo ventri et cruribus obducta, in haemorrhagia vteri, ab extracta placenta oborta. Diarrhoeam a laxitate curauit SYDENHAMUS clyſmate ex corticibus granatorum et roſis rubris, a refrigerio per ſudorem. Diabeten compeſcuit HARRIS rhabarbaro.

XIX.

Diſſertatio inauguralis de veſicae vrinariae appendicibus. Auctore IO. FRID. DE BROKE, Altenb. Miſn. Argentorati typis Pauſchingerianis 1754. 4. pl. 5. tab. aen. 1.

Caua veſicae vrinariae continua, coecosque eius receſſus, quos Ill. MORGAGNI *hernias veſicae* minus apte, alii vero, ſi paullo maiores fuerint, *duplices* vel *triplices veſicas* dixerunt, Cl. huius diſſertationis Auctor *appendices veſicae vrinariae* nominat.

p. 3. Ita vero de iis diſſerit, vt primo varias obſeruationes, ex diuerſis Auctoribus collectas, recenſeat, vbi eiusmodi appendices exterius in veſicae lateribus vel

vel fundo eius repertae fuerunt, hisque subiungat
hiſtorias appendicum, in interna veſicae ſuperficie p. 12.
repertarum. Notandum tamen eſt, non omnes eas
obſeruationes in hominibus, ſed earum aliquas in
brutis quoque inſtitutas eſſe. Propria vero Auctori
huius diſſertationis eſt hiſtoria mulieris, in cuius ca-
dauere ambo renes praeter naturam magni erant,
illorumque ſubſtantia plane conſumta, membrana
externa, ſacci in modum, vrina purulenta et calculis
diſtendebatur. Veſica vero vrinaria pro aetate ſub-
iecti, nonnihil minor erat, et ad vtrumque latus
eius, paullo ſupra inſertionem, vreterum aderant
duae eminentiae, magnitudine nucis moſchatae,
quae in ambitu ſuo craſſis fibris muſculoſis circum-
dabantur. Nouae quoque cellae initium ad latus
appendicis ſiniſtrae vaginam verſus obſeruabatur.
Vbi vero orificia harum appendicum cum veſica
communicabant, ibi limbus eorum in valuulae mo-
dum duplicatus erat. In vitulo etiam tumor ali- p. 11.
quis per vmblilicum protuberans, fundum veſicae
occupabat, aut potius vrachus ita dilatatus erat in
appendicem, vt contineret calculum, drachmas ſex
cum ſemiſſe ponderantem. Quod vero ad origi-
nem harum appendicum ſpectat, tenendum eſt, p. 15.
eas ex plurimis cauſſis oriri. Tono enim veſicae,
ex quacunque cauſſa, in parte quadam debilitato,
minorum tumorum generationi anſa praebetur.
Vrinae enim preſſioni, qua neruea tunica extror-
ſum premitur, muſculoſae fibrae minus reſiſtunt,
vt itaque eo in loco, cuius fibrae debilitatae ſunt,
prorumpat, atque ſacculos iſtos formet. Quae
vero in lateribus veſicae obſeruantur appendices p. 17.
maiores, eae vt plurimum malae a prima aetate
confirmationi originem debent. Poſſunt tamen ex
morbo quoque prouenire, ſi, tunicis veſicae debili
tatis, exitus vrinae ex ea impeditur. Appendices au- p. 18.

tem, quae in fundo veſicae reperiuntur, primum oriri poſſunt, ſi corpus aliquod heterogeneum mediam veſicae partem ita comprimit, vt ea, ſepto quaſi, in inferiorem ſuperioremque cauitatem diuidatur; deinde ſi vrachus a retento in veſica lotio, aut a corpore aliquo peregrino v. c calculo, vti in vitulo, de quo ſuperius retulimus, factum eſt, dilata-
p. 22. tur. Appendices tandem, quae interius tantum in veſica, non vero exterius conſpiciuntur, etiam nonnunquam ex conformatione prima proueniunt. Saepius tamen per morbum oriuntur, ſi locus inſertionis vreterum in veſicam dilatatur, aut, ſi vlcera, quibus veſica corrodebatur, ita conſolidantur, vt cauitas tantum ſuperſit, qua veſicae tunicae ab iſtis
p. 25. vlceribus antea diſtendebantur. Vltimo loco Cl. Auctor de origine appendicum, in quibus calculi ſic dicti incarcerati reperiuntur, breuiter diſputat. Frequentiſſimam ſpeciem harum appendicum conſtituunt illae, quae in anteriore veſicae parte intra inſertionem vreterum et collum veſicae poſitae ſunt. Oriuntur illae, ſi, via ex vreteribus in veſicam obſtructa lotium, in canalis latera irruens, veſicae tunicas ſeparat, et cuniculos, vel ſaccum format, in quo deinde calculus formatur. Altera ſpecies eſt appendicum, quae eadem ratione oriuntur, ſed ſedem ſuam inter inſertionem vreterum et fundum habent, minusque frequentes ſunt illis, quae in anteriore parte ſunt. Tertia ſpecies eſt appendicum, quibus calculi ex parte tantum incluſi ſunt, quae vel ex prima et ſecunda ſpecie, cyſtide rupta et vlcere facto, oriuntur; vel vlcere, ex calculo, veſicam irritante, nato, calculoque ſe ſpiculis ſuis in caua huius vlceris inſinuante, nouis tandem fungoſis membranis excreſcentibus, calculumque includentibus, oriuntur; vel proueniunt, ſi minores calculi intra caua, quae a columnis carneis intertextis formantur, recipiuntur,

piuntur, ibidemque creſcunt, firmiterque ab his columnis retinentur; vel tandem generantur, ſi muco, veſicam obducente, conſumto, calculoſa materia membranam quaſi format, quacum calculus concreſcere ſicque veſicae accreſcere poteſt. Quarta tandem ſpecies eſt illa, in qua calculus includitur, appendice ipſa in exteriore veſicae ſuperficie poſita. His praemiſſis, Cl. Auctor ad ſigna tranſit, ex quibus p. 28. appendices tales adeſſe colligi poteſt, tandemque de curatione exponit. Aſſeritur radicalem nunquam locum habere, omnemque chirurgi curam in ſymptomatum mitigatione, aut in vltima ſpecie, in calculi extractione poſitam eſſe, de qua re pauca quaedam addit.

XX.

Tentamen theoriae electricitatis et magnetiſmi. Accedunt diſſertationes duae, quarum prior phaenomenon quoddam electricum, altera magneticum, explicat. Auctore F. V. T. AEPINO, Acad. Scient. Imper. Petropolit. Reg. Berolinenſ. et Elector. Mogunt. Erford. Membro. Petropoli. Typ. Academ. ſcientiar. 1759. 4. Alph. 2. pl. 3 c. tab. aen. 7.

Dactum nouitate ac varietate experimentorum et propoſitionum inde deductarum non minus, quam eleganti theoria, ex qua omnia electricitatis ac magnetiſmi phaenomena explicari, immo praedici poſſunt, maximopere ſe commendans opus nemo felicius leget, quam qui in eo legendo ſemper menti infixum habuerit: Auctori Cl. animum fuiſſe magnetiſmi potius, quam electricitatis theoriam condere, congruentiam, quae magnetiſmum inter ac p. 6

electricitatem intercedit, iuſtis circumſcripſiſſe limitibus, fluidumque, quod ad declaranda vtriusque vis phaenomena, ratiocinia ac experimenta eum aſſumere cogebant, non pro vno eodemque, quemadmodum aliqui phyſicorum ſtatuerunt, fluido habere, neque vires eiusdem attractiuas ac repulſiuas inter primitiuas referre, ſed more geometrarum, qui problemata, a circuli quadratura pendentia, reduxiſſe credunt, ſi oſtenderint: quomodo ab ipſa pendeant, parum ſolliciti de ipſa quadratura circuli, ex aſſumptis illis viribus innumera ac admiranda magnetis ac electricorum corporum phaenomena declaraſſe, ad easque reduxiſſe, ac aliorum diſquiſitioni reliquiſſe, vnde vires illas primitiuas attractrices ac repulſiuas ortum trahant.

p. 9. Electricitatis theoria, quam paucis propoſitionibus complexam exhibet, cum Franckliniana ex aſſe, ſi impenetrabilitatem vitri exceperis, conuenit, ſumitque Cl. Auctor in ea fluidum ſubtiliſſimum valde elaſticum, eiusque ſe partes inter ſe repellere fortiter, a reliquis autem nobis hactenus notis corporibus fluidum hoc attrahi: porro locum habere quandam in corporibus, electricitatis reſpectu, differentiam: quaedam nempe corpora ita comparata eſſe, vt materia electrica non ſine inſigni in poris ipſorum moueatur difficultate, alia motum hunc facillime admittant: illa eſſe, quae non per ſe electrica, haec, quae per ſe electrica vocari ſolent. Ad magnetiſmum vero explicandum itidem ſumit fluidum ſubtiliſſimum eiusque ſe partes inter ſe repellere, a ferro vero aut corporibus, ad hoc genus pertinentibus, attrahi, reliqua vero corpora, nec in fluidum iſtud, nec hoc in illa aut attrahendo ſe, aut repellendo agere: fluidum hoc in corporum ferreorum poris admodum difficulter aeque ac materia

teria in poris per se electricorum corporum mouetur.

Quae summatim proposita theoriae capita copiosius considerat Auctor Cl. et quidem primo ex sola fluidi magnetici ac electrici natura per analysin mathematicam generales eius proprietates demonstrat, quarum praecipuae eaeque, quae ad perspiciendam indolem ac analogiam magnetismi ac electricitatis inseruiunt, huc redeunt 1) ne quis putet, omnimodam magnetismum inter ac electricitatem analogiam esse, Auctor Cl. docet, electricitatem phaenomenorum varietate insigniter ditiorem esse debere magnetismo, cum innumera dentur corpora, quae in fluidum electricum et hoc vicissim in illa agit, non autem dentur corpora, in quibus magneticae materiae respectu idem obtineret. Tota itaque doctrina magnetica corporum, vt loquitur Auctor Cl., non per se magneticorum nulla dantur phaenomena, cum contra, quae in non per se electricis admodum sunt numerosa. Iis ergo phaenomenis, quae non per se electricis propria sunt, nulla suppeditat magnetismus phaenomena analoga, sed analogia haec subsistit in phaenomenis corporum, per se electricorum. p. 13.

2) Ex natura fluidi assumpti consequi demonstrat: materiam electricam per vniuersum terrae globum ac quaeuis corpora aequaliter ita esse distributam, vt quoduis debitam eius partem ac quantitatem possideat, quae naturalis eius quantitas vocari potest, idque aeque verum esse de magnetica materia respectu ferri corporumque ferreorum. Quod vero, vt experimenta docent, alia corpora sint per se electrica, alia vero non per se electrica, id non deriuandum esse ostendit ex diuersa eorum quantitate electricitatis primitiua, sed potius ex eo, quod fluidum electricum in poris illorum admodum insigni

ſigni difficultate moueatur, in horum autem ſumma facilitate. Corpus itaque ſibi relictum, neque maiorem, neque minorem electricitatis quantitatem, ſed naturalem ſolam poſſidet, quae ad aequilibrium vis attrahentis atque repellentis producendum requiritur.

Vt itaque conflictus harum virium oriatur, attendendum eſſe per ratiocinia colligit 3) ad immutationem huius quantitatis naturalis fluidi electrici, quo corpora pollent. Haec vero duplici ratione immutari poteſt, cum copia fluidi eius vltra naturalem augeatur, vel diminuatur, in vtroque caſu aequilibrium repulſiuae ac attractiuae vis tollitur. Augendo electricam materiam in corpore, oritur in eo electricitas poſitiua methodo Franckliniana, minuendo vero negatiua. Triplici vero ratione fieri poteſt, vt corpus magnetiſmo vel electricitate donetur. Vel enim fit totum poſitiue, vel totum negatiue magneticum vel electricum, vel denique in eum redigitur ſtatum, vt, dum vna pars eſt poſitiue, altera ſimul et eodem tempore ſit negatiue magnetica. Theoria itaque docet triplicis generis eſſe magnetiſmum, ſeu electricitatem ex triplici illo corporum ſtatu ortam. Qui ſtatus corporum electricorum, accuratius conſiderati, ſuppeditant innumeras propoſitiones, quorum praecipuae ſunt: corpora, in ſtatu naturali conſtituta, hoc eſt, quantitate naturali fluidi electrici praedita, a corporibus aliis, ſiue haec ſunt poſitiue, ſiue negatiue electrica, neque attrahi, neque repelli, nullamque dari in eiusmodi corpora actionem electricitati: ferrum aut corpus ferreum quodcunque quamdiu ipſum nullam vim magneticam poſſidet, a magnete neque attrahi, neque repelli h. e. magnetem non agere, niſi in magnetem. Quo abſurdiores hae propoſitiones plerisque phyſicis, inprimis iis, qui conſectaria ſyſtematis FRANCK-

LINI

LINI non ſatis animo complexa habent, quoque experimentis magis contrariae videntur, et quo magis tamen neceſſaria ſunt ad perſpiciendam multorum phaenomenorum rationem, eo accuratius eas Cl. Auctor ex natura fluidi aſſumpti declarat atque extra omne dubium veras demonſtrat: Porro electricitatem poſitiuam ac negatiuam corporum minus eſſe durabilem, ſed cito deſtrui debere, niſi corpus imbutum earum alterutra cinctum fuerit corporibus per ſe electricis, aut ipſum fuerit per ſe electricum, in tertio vero ſtatu, qui maxime notabilis eſt et in quo corpus, cuius altera pars fluido abundet, dum altera ab eo euacuata eſt, conſtitutum varii iterum exoriuntur ſtatus, qui omnes ad quatuor reducuntur 1) pars altera fluidum, neque attrahit, neque repellit, dum interim altera illud manifeſto, aut attrahit, aut repellit, 2) corpus ex vtraque parte fluidum repellit. 3) Ex vtraque attrahit denique corpus fluidum, ex altera parte repellit, ex altera attrahit. His ex aſſumpta theoria rigoroſe demonſtratis, ex eadem leges ac regulas generales, per quas actiones corporum in ſe inuicem ex magnetiſmo vel electricitate pendentes, determinantur, eruit, et quidem regulae corporum, vel poſitiue ſolum, vel negatiue electricorum his continentur formulis, 1) ſi vel vtrumque corpus vel alterutrum eorum ſit in ſtatu naturali conſtitutum nulla datur corporum in ſe actio, 2) ſi in vtroque corpore vel abundet fluidum, aut in vtroque deficiat, tum corpora iſta ſe inuicem repellunt, 3) ſi in altero corporum fluidum abundet, in altero deficiat, corpora ſe mutuo attrahunt: corpora vero, in ſtatu tertio conſtituta, agendo has regulas obſeruant: corpus, cuius pars fluido abundat, altera caret, in alia corpora, in ſtatu naturali conſtituta, plane non agit; 2) ſi corporis eiusmodi pars altera in eo ſtatu conſtituta ſit, vt in fluidi particulas plane

non

non agat, tum haec ipſius pars agit, quaſi in ſtatu naturali eſſet conſtituta, 3) ſi pars corporis eiusmodi, quaecunque illa ſit, fluidi particulas repellit, agit ipſa in alia corpora prorſus, vt agere ſolet corpus, in quo fluidum abundat, attrahit nempe tum corpora, in quibus fluidum deficit, repellit ea, in quibus fluidum abundat; 4) ſi pars corporis altera fluidi particulas attrahit, agit illa, prout agere ſolet corpus, in quo fluidum deficit, id eſt repellit corpora, in quibus fluidum deficit, attrahit ea, in quibus fluidum abundat. Examen iam Cl. Auctor inſtituit, vtrum
p. 53. theoria haec cum experimentis, tam reſpectu electricitatis, quam reſpectu magnetiſmi conſentiat. Quae profecto diſquiſitio pulcherrima multaque accurata meditatione digna continet capita. Nulla enim alia ratione elegantia, veritas ac concinnitas theoriae cuiusdam melius commendari poteſt. Pauca vero huc transferri poſſunt. Cum enim eiusmodi examen ingenioſiſſimis, quorum pleraque pars ab ipſo Auctore excogitata eſt, experimentis nitatur, in quibus, ſi minimum omittatur, neque ſucceſſus praeſcriptus ſperari, neque meditationes iis ſuperſtructae, mente comprehendi poſſunt, plura de his, niſi omnia tranſcribantur, dici nequeunt, quam, vt index meditationum harum apponatur.

Allatis rationibus, cur prae reliquis experimentis lagenam Lugdunenſem elegerit Cl. Auctor atque lagenae, cum a vitri figura experimenti ſucceſſus non pendeat, reliquoque apparatui Muſchenbroekiano praetulerit tabulam vitream, ex vtraque parte metallicis laminis obductam, quarum ſi vnam corpus quoddam non per ſe electricum e. g. catena a corporibus per ſe electricis non ſuffulta, ſed cum ipſo terrae globo per alia corpora non per ſe electrica connexa contingat, atque cum anteriori ſua parte electricitas communicetur, vel poſitiua, vel negatiua

tiua docet Cl. Auctor accidere in hoc experimento ea, quae leges ſtabilitae requirunt, vt 1) in vna lamina accumuletur ac comprimatur electricitas, in altera euacuetur ac rarefiat, 2) explicat, quid vitro lamellis interpoſito accedat, 3) ex theoria ac experimento eruit: accumulari in experimento ita ordinato longe maiori gradu ac tempore breuiori electricitatem, quam ſi cum apparatu Muſchenbroekiano inſtitueretur. 4) Paradoxa quaedam in lagena Lugdunenſi phaenomena, quae difficilem habent ex theoria Franckliniana explicationem, ex ſua ſine vlla difficultate explicat. 5) Phaenomena longioris durationis accumulati fluidi in lagena Lugdunenſi, exploſionis, fragoris, vehementiorum dolorum vnde oriantur, ex theoria illuſtrat. 6) Conſiderata huius experimenti reliquorumque accuratius indole con- p. 74.
cludit, quatuor eſſe cauſſas, ex quibus illa celeritas materiae electricae ac eius vehementia in exploſione lagenae Lugdunenſis oriatur ad eamque non requiri vitrum tanquam eius cauſſam, vt primo cogniti experimenti Muſchenbroekiani tempore plerique phyſicorum arbitrabantur, ſed eius loco ſubſtitui poſſe quoduis corpus per ſe electricum, interpoſitum aliis duobus corporibus, vt ex altera parte fiat condenſatio accumulatioque fluidi electrici; ex altera vero eiusdem rarefactio ac euacuatio, in omnibus eiusmodi caſibus ſimilis vehemens ac atrox obtinebitur exploſio. Theoria id ſuccedere facile commonſtrat, nec experimentum, eo fine excogitatum, ſucceſſu caruit. Loco enim vitri ac lagenae decreuit Auctor Cl. vti aere, de quo cognitum eſt, illum eſſe corpus per ſe electricum. Confici itaque curauit tabulas duas octo circiter pedum quadraticorum magnas ligneas metallicis foliis obductas, easque ad vnum et dimidium pollicem diſtantes, ſuſpendebat. Quum earum vna, more conſueto, electrici-

ctricitate imbuta esset, commotionem validam eique simillimam, quae in lagena Lugdunensi obtinetur, vna cum aliis phaenomenis lagenae Lugdunensis obtinuit. Multum hoc experimentum ad cognoscendam electricae theoriae intimiorem indolem confert. Dirimit enim illam controuersiam de impermeabilitate vitri, quam FRANCKLINUS excogitauit ac defendit, NOLLETUS vero impugnauit. Omnem enim illam impermeabilitatem vitri, si terminus, semel exceptus, seruandus est, reducendam esse ad naturam corporum per se electricorum, quis non ex eo videt? corpora enim per se electrica ea proprietate gaudent, cuius vi motum fluidi electrici per poros suos difficulter admittant. Mirifice etiam facit ad declarandos tempestatum fulminearum effectus, cum facile vna tabularum memoratarum sumi possit pro nube, electricitate seu tonitru grauida, altera pro terrestris globi superficie, cui nubes imminet.

p. 95. Progreditur Cl. Auctor ad declarandum, eadem methodo, experimentorum, cum magnetibus factorum, cum theoria consensum. Tria magnetum genera dari theoria docet, in quorum vno magneticum fluidum abundat, in altero infra naturalem magnetismi quantitatem deficit, in tertio vbi simul magnetismus positiuus, ac negatiuus in eodem corpore locum obtinet. Maximopere in eo experientia contraria esse videtur theoriae. Omnes magnetes naturales aeque ac artificiales ordinarii duos, anomali plures habent polos, qui non secundum easdem leges, sed quodammodo oppositas agunt, quis vero vnquam vidit aut arte parari posse comperiit magnetes vno polo, vna magnetismi specie praeditos? Erroneane est proinde theoria? Multus in hoc scrupulo tollendo est Auctor Cl., atque, vt viam ex hac difficultate emergendi pararet, luculentius phoeno-

mena

mena magnetiſmi, inſtitutis variis cum magnetibus ordinariis experimentis, colligit, deſcribit, ex theoria illuſtrat, ac docet per theoriam ac experimenta extra dubium poſitum eſſe 1) magnetiſmum per corpora ferrea inaequaliter fuſum eſſe, ac in quouis magnete ſibi relicto, eius magnetiſmum continuo ad deſtructionem tendere, hinc opus eſſe ad eum conſeruandum armaturis (2) chalibea corpora, magnetiſmo donata, diutius conſeruare, mollius vero ferrum impertitum magnetiſmum vix vnum alterumque diem retinere. Cumque in eo magneticum fluidum cum electrico conueniat 3) quaeſtionem proponit Auctor Cl.: annon magnetiſmus aeque ac electricitas in lagena Lugdunenſi vnico ictu oculi per exploſionem deſtrui poſſit, fieri id poſſe negat, cauſſasque eius rei ex comparatione vtriusque vis grauiſſimas deducit, ex iisque ac aliis huius theoriae principiis concludit: fieri quidem poſſe, vt dentur magnetes vnius poli, ac excogitare poſſe methodos, quibus ferreo corpori induci poſſit iſte ſtatus; quanquam rationes in Auctore Cl. legendo adſint, quae ſatis monſtrant, eas in praxi eſſe admodum difficiles. Expeditiſſima eo redit: in quouis magnete concipiendum ſe praebet centrum magneticum h. e. limes magnetiſmi poſitiui ac negatiui, cuius limitis determinatio ab imminutione denſitatis fluidi magnetici pendet, quae cum per theoriam adhuc non pateat, tentando eruenda ac per ſectiones magnetum inuenienda. Cuius rei tentamina inſtituta a ſe Cl. Auctor copioſe deſcribit, ſimulque eorum ſucceſſum indicat. Ampla hac theoriae generalis eiusque cum experientia conſenſus recenſione eminens huius operis praeſtantia, ex quo, cum omnes diſquiſitiones maximi ſint momenti ac inter ſe colligatae, vtiliſſimas ſeligere difficile eſt, ſatis declarata, paucis ſpeciales magnetiſmi

ac electricitatis affectiones, quae ex generali theoria fluunt, ac eadem methodo ab Auctore Cl. pertractantur, adhuc attingendae.

p. 114. Capite secundo de repulsione et attractione magnetismi ac electricitatis agitur. Vbi leges attractionis ac repulsionis iuxta statum triplicem, in quo corpus electricum constitutum est, copiosius pertractantur, quarum occasione Cl. Auctor in curiosissimam meditationem de scala distantiarum, vt cum geometris loquitur, ad quas eae se exserunt, deuoluitur, eaque pertractata, regulas repulsionum ac attractionem, quae a scriptoribus de electricitate tradi solent, examinat, earumque primam, qua dictitant, corpora heterogenea electrica se attrahere, per theoriam atque experimenta admitti posse: alteram vero prout vulgariter enuntiari solet: corpora heterogenee electrica se repellere falsam esse, demonstrat. licet inuersa vera sit, si ita interpretetur, si corpora se repellunt, esse tum in vtroque corpore fluidi electrici quantitatem simul, vel naturali maiorem, vel ipsa minorem. Longe vero vberius magnetismi, cum de eo potissimum agit Auctor Cl., at-

p. 147. tractiones ac repulsiones explicantur. Ex theoria earum leges eruuntur, consensus legum cum experientia singularibus experimentis illustratur. Leges attractionum vel repulsionum duorum magnetum in se inuicem determinantur. De scalis distantiarum, ad quas se exserunt, disquiritur, tandemque agitur de congruentia ac analogia repulsionum ac attractionum electricarum atque magneticarum in diuersis hypothesibus.

p. 176. Capite tertio communicatio electricitatis atque magnetismi pari methodo fuse expenditur, ac in eo Lectores inuenient, leges communicationis vis electricae primo ex theoria demonstratas, easdemque ex experimentis erutas, rationesque allatas, cur armaturae

maturae vires magnetis augeant, in quo potiſſimum methodus magnetificandi Micheliana, Cantoniana conſiſtat, quomodo magnetum naturalium vires ad inſignem ac inconſuetum gradum augeri poſſint, qua ratione methodi, ad conficiendos magnetes naturales hactenus adhibitae, faciliores, commodiores efficacioresque reddi poſſint, vnde ſpes oriatur perficiendi acus magneticas.

Tandem ex quarto capite, in quo agit Auctor Cl. de phaenomenis quibusdam corporum, vortici electrico et magnetico immerſorum et de magnetiſmo telluris, ſingularia quaedam huc transferenda. Per vorticem Cl. Auctor nihil aliud intelligit, quam ſphaeram actiuitatis atque ſpatium, ad quod ſe attractio ac repulſio electrica, vel magnetica ſenſibiliter extendat. Quo bene notato, diſquirit, quid per theoriam eueniat, ſi magneti cuidam maiori ac immobili alter propinquus ſit, ac circa punctum quoddam liberrime mobilis et quidem, ita, vt centrum poſterioris 1) in axe maioris ſitum ſit, nullum per theoriam virium in ipſum agentium attractricium ac repulſiuarum aequilibrium, niſi is in ſitum cum axe maioris directum conceſſerit, concipietur in eoque ſitu quieſcet; ſi vero 2) centrum mobilis extra axem maioris iaceat, ex principiis theoriae ac ſtatices idem a maioris altero polo attrahetur, ab altero repelletur orienturque inde prioris declinationes inclinationesque ab axe maioris, earumque pro diuerſo ſitu in diuerſis locis numerus infinitus, vt in iis determinandis, cum adhuc functio, geometrico ſenſu ſumta, attractionum ac repulſionum magneticarum incognita ſit, theoria in his generalibus principiis terminetur, ex quibus vero ſatis patet, vnde declinationes ac inclinationes acuum magneticarum oriantur: ſpecialioresque leges earum ex experientia ac obſeruationibus, quae eas mirifice confirmant, pe-

tendae. Vniuerſales declinationum et inclinationum leges Cl. Auctor ex optimis obſeruationibus factis in diuerſis telluris noſtrae locis abſtractas exhibuit, ratioque, ac theoria, ei plane perſuaſit ſumere: vim directiuam magnetum acuumque magneticarum phaenomenum ſecundarium eſſe, quod a vi magnetica, globi terreſtris nucleo competente, penitus pendet, ſupra itaque, quam dici poteſt, probabile, quin immo certum eſt, incluſum eſſe terrae globo nucleum praegrandem ex materia ferrei generis conſtantem atque magnetica vi imbutum, ita, vt alterum hemiſphaerium ipſius poſitiuum, alterum negatiuum poſſideat magnetiſmum planumque, quo haec hemiſphaeria ſeparentur, parum aberrare a plano aequatoris terreſtris, non tamen penitus cum eo coincidere, leuique negotio ex declinationibus ac inclinationibus acuum magneticarum colligitur, nuclei huius aut figuram, aut magneticae materiae per ipſum diſtributionem quodam modo eſſe irregularem. Diu iam in eandem opinionem praeſtantiſſimi phyſici ac inprimis magnus HALLEIUS ex iisdem principiis delapſi ſunt, cumque ea principia omnem probabilitatis ſpeciem prae ſe ferant, Cl. Auctor omnem ingenii aciem conuertit, ad obiectiones, contra eam allatas, diluendas, eamque certam reddendam.

Eo ſpectant ſubtiles diſquiſitiones, quales lineae ſint, quas ſcobs ferrea, circa magnetem diſperſa format? cum experientia doceat, corpus ferreum quodcunque, in magnetis vicinia conſtitutum, protinus ipſum magneticum euadere ea lege, vt extremum eius quoduis contrarium nanciſcatur magnetiſmum eius, quem poſſidet polus, cui obuerſum eſt, num ſuppoſito, nucleum magneticum globo terreſtri incluſum eſſe, idem phaenomenon obtineat atque virgae ferreae, in certo ſitu detentae, ſponte

magne-

magnetiſmum, a magnetis centralis actione productum, adipiſcantur? quantam vis magneticae quantitatem globus terreſtris virgis ferreis inducat? Cur in ipſo aequatore nullam? qua lege eundo ab aequatore vſque ad polum borealem et ab aequatore eundo, verſus auſtralem? Cumque haec omnia bene ac pulchre cum experientia, vt ex diſſertatione Cl. MUSCHENBROEKII, de magnete, vbi tentamina, huc ſpectantia, ex transactionibus Anglicanis collecta ſunt, conſentiant, cur ipſe terrae globus, etſi magnus ſit magnes, in ferrum tamen, aut magnetem nullam exerceat attractionem, aut repulſionem? num minerae, quae vocantur refractariae, ferri omnem magnetiſmi acquiſitionem penitus reſpuant? cur eae ipſae magneti reddantur obedientes, ſi vel in igne carbonum aperto ad candorem vſque igniantur, aut in crucibulo, addito phlogiſto, aut inflammabili quocunque ad candorem vſque vrantur? de his aliisque maxime in theoria magnetica memorabilibus capitibus conſulendus eſt ipſe liber, qui cum ornamentum noſtri ſeculi ſit, poſteris in perquirenda duarum virium, electricae ac magneticae vis, a quibus ſtupenda huius mundi phaenomena pendent, natura facem lumenque praeferet.

XXI.

Diſſertatio inauguralis medica de ſede variolarum non in ſola cute. Auctore CASIMIR. CHRIST. SCHMIEDELIO. Reſpondente *Friderico Auguſt. Lammers.* Erlang. 4. 1758. pl. 4[3].

Eſt profecto haec diſſertatio contra eos, qui ſtatuunt, variolarum ſedem ſola in cute eſſe, nec vltra pharyngem vnquam puſtulas prouenire, aut ventriculam, inteſtina aliaue viſcera occupare, ſcripta. Antequam autem ad eos refutandos Auctor
p. 4. Cl. venit, nonnulla de ſuppuratione praemittit, ad quam requirit ſtaſin fluidi, praeſertim acris: deinde actionem intrinſecam h e. motum inteſtinum eiusdem liquidi, a naturali alienum, nec raro naturali maiorem; nec minus calorem naturali maiorem, talem tamen, qualis non ficceſcit; et tandem humectationem continuam, per vaſa minima in locum adfectum deriuatam. Exinde fit pus, quod non ſolum ex pinguedine ſeu ibi, vbi pinguedo haeret, oriri debet, vti multi putant, ſed vbique in hepate v. c. pulmonibus, renibus, immo ipſo cerebro, vbi plane nulla pinguedinis veſtigia appa-
p. 17. rent, reperitur. Ex his nunc, cum ſuppuratio et in variolis locum habeat, concludit Noſter, eas non ſolum cutem, ſed et alia occupare loca, et, quod praecipue in illa appareant, non in cutis fabrica eſſe quaerendam cauſſam, ſed in materia ipſa varioloſa, quae ob fluiditatem ſuam et volatilitatem maxime ad cutim tendit.

p. 25. Iam collegit Cl. Auctor variorum auctorum, qui eadem obſeruarunt et ſenſerunt, fida teſtimonia et nominauit FERNELIUM, PARAEUM, RODERICUM A CASTRO, I. D. HORSTIUM, THOMAM

MAM BARTHOLINUM, THEODORUM KERKRINGIUM, qui iecur, lien, inteſtina, pancreas, omentum, pulmones, aliaque interna corporis humani loca variolis aeque copioſis, ac cutis externa, ſcatere inter ſecandum viderunt. Tandem ad rem propoſitam confirmandam commemorat illacrymantes oculos, qui ſaepe poſt variolas remanent, nec interiora, vt ſcleroticam et corneam, ab hac labe immunia eſſe docet. Finem au- p. 28.
tem imponunt huic tractationi duae obſeruationes corporum, poſt mortem diſquiſitorum, quarum vna meſenterium et inteſtina et meſocolon, nec minus colon, non intacta relinqui a miaſmate varioloſo, vbi puſtulae ſub membrana externa latuerunt eamque eleuarunt, pure albo ſpiſſoque impletae, dimidiam piſi partem ſuperantes; altera ne cor quidem a variolis liberum eſſe, prodit. Diſſecto enim ventriculo poſteriore ſiue ſiniſtro, intra ipſum orificii auricularis marginem, ex quo valuulae mitrales deſcendunt, eiusque parietem exteriorem anteriora verſus puſtula, piſi maioris dimidiae partis magnitudinem habens, pure ſpiſſo albidoque referta, omnique ex parte varioloſae puſtulae ſimilis, cui quoque palpitationes crebriores cordis, quas aeger ſaepenumero paſſus eſt, adſcripſit, a Noſtro viſa eſt.

XXII.

Diſſertatio inauguralis de infeſtis viuentibus intra viuentia, Auctore PETRO SIMON PALLAS, Berol. Lugd. Bat. apud Theod. Haak. 1760. 4. pl. 8½.

Primum hoc Cl. PALLAS opus, qui his ipſis, quo haec ſcribimus, annis, zoologiae doctrinam adeo laboribus ſuis, auxit, licet non ex omni parte abſo-

lutum sit dicendum, tamen iam luculenter ostendit, quanta sit Auctoris eruditio, quantumque in disquisitione corporum naturalium studium. Agit vero in eo de iis animalibus praecipue, in corpore animalium habitantibus, quae ex vermium classe sunt, omniaque, quae de historia eorum naturali, ortu, et symptomatibus, ab iis productis, a variis Auctoribus dicta sunt hic in vnum compendium collecta, atque egregiis plane obseruationibus aucta ita exponit, vt omnino huius libelli lectio omnibus, qui de his rebus instrui se cupiunt, commendanda sit.

p. 2. In initio tractationis huius varia corporis humani loca recenset, in quibus animalia reperta fue-
p. 4. runt. Plurimas laruas tipulae palustris maximae vna cum taeniae vulgaris magno frusto, a puero ex-
p. 5. creto, Noster obseruauit. Fasciolam hepaticam, qua ouium haud raro hepata abundant, in ramis ductus hepatici in foeminae cadauere idem reperit. Cum seminales vermiculi in liquido masculino saepe
p. 8. bicipites sint, eos instar pseudopolyporum (*polypes à bouquet*) per bipartitionem multiplicari Cl. Auctor putat. Iam ad vermes in corpore humano reperiundos propius accedens, sequentia ex iis genera, quae intra animalia frequentius inueniuntur, considerat, *furiam* scilicet, *gordium*, *ascaridem*, *lumbricum*,
p. 12. *fasciolam* et *taeniam*. Pruritum immanem in intestino recto, ab ascaridibus excitatum, clystere ex fumo tabaci curatum vidit. Lumbricus intestinalis
p. 13. omnino a terrestri specie differt. Primo enim vncinulorum quadruplex series in intestinali non adest, licet LINNAEUS Ill. eam adesse putauerit. Deinde annulorum quoque latitudo diuersa reperitur. Maximum vero discrimen obseruatur in interna structura, inprimis ratione genitalium, quae in intestinalibus mire prolixa et dioica, in terrestribus

vero

vero contracta et hermaphrodita sunt. Quod vero lumbricorum intestinalium ortum attinet, concludit Auctor, illos, nisi animalibus innati et proprii sint, certe in aquis sedem suam habere, cum in piscibus insignis copia illorum reperiatur, qui nulla ratione ab humanis differunt. Duos describit Noster p. 16. fasciolae species *hepaticam* scilicet LINNAEI et aliam sulclauatam ore sessili, quae frequentissime in pulmone ranarum reperitur. Amplissima est descriptio taeniae, cuius varias species hic Cl. PALLAS recenset, scilicet *vulgarem* LINN. deinde *latam*, tertio *rugosam, osculis marginalibus punctisque lateralibus solitariis*, quae species licet, in piscibus frequenter adsit, tamen nunquam in homine obseruatur, ideoque probat esum piscium, non ex caussis taeniae esse. Notandum quoque est, Auctorem Cl. p. 29. in hac specie experimentis factis cognouisse, taenias omnino naturam zoophytorum habere, dissectasque vegetare. Quarta species est *cucurbitina* LINN. et quinta *canina*. Sexta tandem species singulare illud animal, quod Noster sub *taeniae hydatoideae* nomine describit, LINNAEUS vero *hydram hydatulam* p. 38. dixit. Habitat illud inauditae profecto structurae animal in celluloso tractu variorum animantium, praesertim sub peritonaei membrana, inque cauis ventrium. Corpusculum eius est oblongum, album, tranuersim rugosum, attenuatum: in apicem obtusiusculum, retractilem, pone in bullam sphaericam ex membrana tenerrima, albida, pellucente, corpore multoties ampliorem, expansum. Huius animalis motum peristalticum et vndulatorium Noster p. 50. in specimine, in muris iecinore reperto, vidit, qui hydropes vesicarias et tumores, hydatidibus refertos, aut hydatides, viscerum caua effarcientes, ad haec animalia refert. Appendicis quasi loco taeniolam aliquam osculis obscuris describit, quam, quia inte- p. 52.

ſtinis piſcium tenaciſſime inhaeret *haeruculam* vocat.
p. 53. Huic vermium deſcriptioni addita eſt a Cl. eius Auctore breuis aliqua de origine vermium, praeſertim taeniae atque lumbrici in inteſtinis diſputatio. Origines ſcilicet taeniae, lumbrici inteſtinalis, a terreſtri diuerſiſſimi et non primas vias ſolum, ſed renum venarumque latebras quandoque incolentis et hydatidis viuae, tanquam animalium extra animalium corpora nullibi reperiunda, obſcuram eſſe, et ab omni aeuo medicorum ingenia ſine ſucceſſu in eius explicatione laboraſſe, nemo non ignorat. Re-
p. 57. cenſitis vero praecipuis ſententiis, hac de re a variis Auctoribus prolatis, ſententiam vulgarem, qua ſeminia vermium cum aſſumendis in corpus transferri ſtatuitur, refutare Cl. Auctor annititur. Docet enim, ſaepius vermes in foetubus, abortu reiectis et lactantibus obſeruatos eſſe, illudque confirmat recentiore quadam beat. BRENDELII obſeruatione, taeniam et lumbricum teretem extra animale corpus nusquam in rerum natura habitare etc. Paullo
p. 58. magis fauet Auctor ſententiae nonnullorum, connatos nobis vermes, eorumque genus noſtro aequaeuum eſſe, atque ad praecipuas obiectiones, quae contra illam in medium proferri ſolent, breuiter
p. 61. reſpondet. Tandem FRISCHII et VALISNIERII hypotheſin aſcarides, lumbricos et taeniam aetate tantum differre, et taeniam, rupta larua, ex lumbricis prodire, breuiter refutat.

XXIII.

De principiis animalibus exercitationes viginti quatuor, in theatro collegii medicorum Londinensium habitae a GVLIELMO BATTIE, M. D. Collegii eiusdem Societ. Londini, apud Ioh. Whiston et Beni. White. 1757. 4. 1 Alph. 17 pl.

Cum medendi methodus, quae, corporis natura non explorata, ignotis remediis vtitur, omnino imperfecta sit, sequitur, omnis medici rationalis officium esse, vt sedulo inquirat in ea principia physiologica et pathologica, quibus animalium status sanus et morbosus debetur, et quibus aut conseruandis, aut redintegrandis instrumenta et media, quae medicina docet, adplicantur, cum iis detectis, proximae quoque morborum caussae detegi, auerti tollique possint. Dolendum hinc omnino est, Auctores fere omnes, qui de natura hominis sani et aegroti egerunt, de illis ipsis principiis inter se non conuenire, sed illa morborumque caussas proximas vel per calidum quoddam innatum, vel per chemica principia, vel per solam anatomen, aut mechanicam explicare velle; ita vt multi in tanta Auctorum discordia omnino negent, eiusmodi principia dari, aut eadem quaerentibus innotescere, quod tamen omnino fieri posse, Cl. huius libri Auctor prima exercitatione docet. Hinc in secunda exercitatione de varia methodo inuestigandae veritatis, et differentiis principiorum mathematicorum physicorumque exponit. Principia vero animalia, eadem ratione, qua physica, quorum species sunt, detegi debent. Intelligimus autem per principium animale omne phaenomenon, quod primo in corpore animato sensubus ipsis

p. 1.

p. 13.

p. 18.

ipſis vere et clariſſime offertur; ſecundo cuius praeſentiam ſemel datam alia quaedam ſenſuum obiecta, iisdem poſitis, conſtanti lege ſequuntur; tertio quod ita primum ſit, vt nullam ſui ipſius originem materialem inter cauſſas ſecundarias dictas agnoſcat.

p. 22. Hinc quaenam ſint illa principia, et quid illa ad ſanitatem et morbum conferant, inueſtigaturus Cl. BATTIE, primum eorum facit cohaeſionem corpoream, ſeu conatum approximandi mutuum, particulis materiae quamplurimis innatum, docetque eum 1) vere exiſtere et clariſſime innoteſcere, 2) effectus complures in corpore, quolibet animali proferre et 3) cauſſam ipſius materialem nullam adhuc detectam eſſe.

p. 27. Tertia exercitatione Cl. Auctor de doctrina methodicorum de ſtricto et laxo, quae ex primo principio animali, ſeu cohaeſione corporea pendet, agit, docetque hunc conatum non cum actione muſculari, vnum idemque eſſe, ſed elaſticum motum a muſculari differre, neque pro actionis muſcularis cauſſa haberi poſſe. Hinc ſecundum principium animale in actione muſculari, ſiue particularum, corporibus ſolis animatis propriarum, motu Noſter ponit, illudque principium cum motu elaſtico coniunctum, fibris muſcularibus ita innatum eſſe autumat, vt fibrae hae motu quodam animali ſibi proprio ſe contrahant. Cauſſam, vero huius principii materialem inter cauſſas ſecundarias dictas nullam reperiri poſſe putat, cum motus hic ex Auctoris mente non a ſpiritu animali, per neruos ex cerebro, ad muſculos delato, oriatur, ſed fibris muſculoſis proprius ſit.

p. 33.

p. 41. Quarta itaque exercitatione cerebri ac neruorum vim motricem ita Cl. BATTIE impugnat, vt doceat, fluidum nerueum nequaquam cauſſam proximam motus muſcularis eſſe. Cum vero neceſſi-

tas

tas actionis neruorum ad motum muſcularem perficiendum, vt plurimum probari ſoleat, experimento, quo, neruo ligato, paralyſin muſculi, ad quem tendit, produci conſtat. Auctor demonſtrare annititur, experimentum hoc minime docere, fluidum nerueum pro motus muſcularis inſtrumento habi- p. 47.
tuali habendum eſſe, diſputatione inprimis contra Ill. ALBINUM directa. Muſculum enim tres partes ſimilares, vena ſcilicet, arteria et neruus cum reliquo corpore non ſolum connectunt, ſed et eundem ingreſſae, ſubſtantiam ipſius maxima ex parte conſtituunt. Arteria vero, vti Cl. Auctor quinta p. 55.
exercitatione docet, compreſſa vel ligata, muſculi quoque paralyſis ſequitur, idemque phaenomenon, venis quoque, muſculum adeuntibus, ligatis, obſeruari ſolet. Paralyſin vero, quae arteriae ligaturam concomitatur, non ſolum oriri ex defectu fluidi ad motum muſcularem neceſſarii, ſed et ex parte quoque produci ex ſtagnatione ſanguinis in vaſis, quae a progreſſiuo ſanguinis motu et vi cordis atque arteriarum ſublata, proficiſcitur, Noſter putat, eum hic ſanguis contractili muſculorum potentiae p. 62.
valide reſiſtat. Eadem quoque ratione ſuccus nerueus ad vaſa, in muſculo diſtributa, delatus, ibidemque, neruo ligato, ſtagnans, contractionem muſculi impedire valet, neque minus, quae ex venae ligatura proue- p. 59.
nit paralyſis, ſoli fluidorum in muſculo ſtagnationi adſcribenda eſt. Cum itaque cuiuscunque humoris tranſitus, per muſculum impeditus, paralyſin producat, ſequitur illam, quae influxu fluidi neruei ad illum internum accidit, minime probare, motus muſcularis inſtrumentum neruos eſſe.

Sexta exercitatione Cl. Auctor probare anni p. 68.
titur, paralyſin muſculi, cuius neruus reſectus eſt, minime probare, vim motricem ex neruis oriri, cum ſimile phaenomenon, arteria ad muſculum quendam tendente,

tendente, refecta obſeruetur. In vtroque enim caſu eadem, qua in nerui ligatura fieri ſolet, ratione ſtagnatio fluidorum in neruis et vaſis arterioſis fibras muſculares ita comprimit, vt illae nullum plane motum exercere valeant. Vena contra inciſa, p. 70. nulla paralyſis oritur, ſed potius muſculorum vis contractilis, durante ſanguinis venoſi profluuio, ita tandem increſcit, vt coerceri nequeat, ſed conuulſiones tandem vniuerſales ſequantur. Cum vero ex Auctoris Cl. mente, ſanguis, vena inciſa, per vaſa muſcularia celerius moueatur, atque hinc fibris muſcularibus minorem reſiſtentiam opponat, inde concludit, fluida quaelibet arterioſa et neruea motibus animalibus officere potius, quam pro ipſorum cauſſa materiali habenda eſſe. Tandem ad obiectiones quasdam reſpondet, docetque, primum conuulſionem, quae, vena inciſa, oritur, non a reſiſtentia fluidorum imminuta et largiori ſanguinis fluidique neruei influxu pendere, idque ex motu fibrarum, a corpore ſubito abſciſſarum, quae, more ſolito, adhuc per aliquod tempus moueri pergunt, probat; deinde hunc motum, in portione muſculari abſciſſa ſuperſtitem, ſanguinis aut ſucci neruei reliquiis prius huc, muſculo illaeſo, adhuc delatis, minime adſcribendum eſſe. Si enim eiusmodi reliquiae in hoc caſu ad motum muſcularem continuandum ſufficerent, ſufficerent etiam tunc, quando, ligatura vaſis nerueis et ſanguiferis iniecta, paralyſis oritur, quod tamen neutiquam obſeruatur.

Septima exercitatione, de vi motrice, quae p. 85. fibris muſcularibus ipſis inſita eſt, et quam non aliunde accipiunt, diſputaturus, primo demonſtrare annititur, materiae naturam nihil obſtare, quo minus p. 90. particula quaeuis corporea ſpontaneo motu feratur: et deinde corpora dari, in rerum natura ſponte mota, ſiue quae motu ſpontaneo feruntur, quin

quin credibile esse, corpora vniuersa sponte moueri, p. 105.
idque in octaua exercitatione vlterius probat, variis
argumentis et exemplis, v. c. planetarum, quae cir-
ca solem perpetuo mouentur, effectuum virium p. 114.
magneticarum, radiorum lucis, materiae electri-
cae etc.

Nona exercitatione tertium principium ani p. 122.
male sensationem esse Noster docet, quae in sub-
stantia cerebri medullari et neruea sedem suam ha-
bet, et cuius causa non minus, quam motus ela-
stici et muscularis, tanquam primi et secundi prin-
cipii animalis, caussa ignoratur. Hinc ipsis fibris
encephali et sensationis quandam vim inesse, ner-
uosque sensationum animalium instrumenta esse,
contendit, neque hunc sensum a fluido nerueo
produci, sed potius a principio neruorum filamen-
tis insito. In fine huius exercitationis, ad alteram p. 132.
huius operis partem transiens, ea, quae et in hac
exercitatione et in praecedentibus fusius exposi-
ta fuerunt, in vnum collecta, Noster proponit.

Iam in decima exercitatione ad explicationem p. 141.
effectuum, qui tum in sano, tum in aegroto cor-
pore, per tria haec cohaesionis, motus et sensa-
tionis principia, a se inuicem probe distinguenda,
oriuntur, Auctor transit, primumque effectus tam
salutares, quam noxios enumerat, qui fibrarum so-
lidarum cohaesioni iustae, vel vitiatae debentur.
Cohaesionis principium omnibus fibris et ipsis quo-
que muscularibus atque nerueis implantatum est.
Fibras autem, quibus corpus humanum componi- p. 143.
tur, a se differre, neque, vt BOERHAAVIUS do-
cuit, omnes partes neruosis fibris contextas esse,
aut in specie fibras musculares ex nerui vltimi ex-
pansione tenuissima oriri, pluribus argumentis con-
firmat. Nihil enim nerueum esse asserit, nisi quod
pariter sentiat, nullamque partem musculum dici
mereri

mereri, niſi quae motum alternum habeat. Ab
p. 147. hac autem muſculari fabrica etiam vaſa ſanguifera, nec venas ſolum, ſed arterias quoque remouet, fibrasque tantum elaſticas arteriis ineſſe ſanguinique promouendo illas non ſolum ſufficere, ſed et circulationem ſanguinis neceſſario maxime turbari, planeque ſiſti debere, ſi tunicae arteriarum, muſculari
p. 149. more, in ſanguinem agerent, autumat. Tranſit tandem ad effectus ipſos, quos primum animale principium in ſano atque aegroto corporis ſtatu habet, primumque de oſſium et cartilaginum compage diuerſa, atque de ligamentorum tono, tam ſano, quam morboſo diſputat.

p. 155. Vndecima exercitatione ad effectus huius principii in vaſis et morbis, ex nimia ſtrictura et laxitate eorum oriundis, Cl. BATTIE tranſit, variaque mala recenſet ab elaſticitate partium corporis humani, morboſe aucta vel imminuta, oriunda. Inpri-
p. 172. mis vero hanc doctrinam duodecima exercitatione declarat ſcorbuti exemplo, cuius cauſſam primariam in ſolidarum fibrarum laxitate poſuit, indicationemque
p. 179. curatoriam in hoc morbo triplicem facit, 1) vt vaſa lymphatica, inprimis onerata depleantur, 2) vt fluida ſtagnantia in priſtinum orbem reducantur, et 3) vt fibrarum ſimplicium laxitas, tanquam cauſſa primaria, tollatur.

Exercitatione decima tertia effectus ſalutares
p. 185. et noxii principii ſecundi animalis, quod in muſculis ſedem ſuam habet, vis ſcilicet illorum motricis, iudicantur. Declaratur vero hoc inprimis cordis exemplo, in cuius fibrarum motu aeque ac in motu reliquarum fibrarum muſcularium corporis humani nullum antagoniſmum locum habere putat, ſed cauitates eius inuicem ſponte patere non minus,
p. 190. quam obturari. Contractio autem morboſa fibrae ſine animali voluntate, ſpaſmus, qnietis morboſae

ſtatus

ſtatus paralyſis, Noſtro dicitur, quorum morborum varias ſpecies, diuerſasque morboſas adfectiones huc referendas paullo curatius examinat. Atque haec quoque tractatio continuatur exercitatione de- p. 195:
cima quarta, qua Noſter docet, duas ſpecies ſpaſmi eſſe, muſculo ſcilicet motu reciproco agitato, aut conuulſo, vel pertinaciter contracto, quem conſtrictum dicit, effectusque ſpaſmi et conuulſionis fibrarum tam in hac, quam in ſubſequente exercitatione vlterius perquirit. Ex ſpaſmo cordis febris p. 205:
oritur, hinc nullam differentiam inter febres inflammatorias et nerueas Auctor concedit, neque putridam febrium cauſſam eſſe poſſe, putat.

Exercitatione decima ſexta effectus tum ſalu- p. 220:
tares et noxii principii tertii animalis ſiue ſenſationis, tanquam fibrarum neruearum functionis, in ſtatu ſano et morboſo, enumerantur, cui quoque argu- p. 230:
mento exercitatio decima et ſeptima dicata eſt. Primum vitium eſt ſenſatio ſupra modum aucta, ſiue nimia ſenſibilitas, ſecundum ſenſationis defectus, tertium ſenſatio viuida quidem, ſed deprauata et fallax, ſine inſania.

Exercitatione decima octaua Cl. Auctor docet p. 243:
in ſecretionibus animalibus, in glandulis peragendis, tria principia animalia, fibrarum ſcilicet muſcularium actionem, ſenſationem neruearum et cohaeſionem operari et conſociari, huicque translationi varia corollaria de effectu medicamentorum variorum p. 251:
in glandulas adiicit.

Iam in exercitatione decima nona Cl. Auctor, p. 255:
quid principia tria animalia vlterius vſui medico conferre valeant, inueſtigaturus, docet malorum animalium effectus nonnullos, et multas cauſſas remotiores omnino praecaueri, aut radicitus tolli poſſe, licet proprietatum animalium cauſſa intimior nondum detecta ſit, attamen inter has ipſas cauſſas

multae quoque occurrunt, quae nulla ars praeuertere, vel remouere poteſt, cauſſae ſcilicet omnes, quibus natura ſedem ſuam in fibris ipſis ſolidis po-
p. 260. ſuit. Quotiescunque enim principiorum alterum ita peccat, vt alterum quoque principium in conſenſum ſecum trahat; quotiescunque fibra quaeuis animalis intrinſecus laeditur, vt inter cauſſas morbi cuiuslibet remotiores locum obtineat, tunc medicina nihil praeſtare poteſt.

p. 263. Exercitatione viceſima de medicina rationali, quae a mediis quibusuis, aut datis, aut demonſtratis, concluſiones certas depromit, in vniuerſum Auctor diſputat, actionemque corporum medicae arti obiectorum abſolutam et mechanicam ab actione corporum relatiua diſtinguit, eamque iterum in duas ſpecies, ſingularem et ſpecificam, diuidit. Prior abſoluta actio ſola ad medicinam rationalem, relatiua vero ex parte tantum pertinet, cum ſenſu ſtricto experimentalis ſit, et praecepta quaelibet phyſices
p. 275. generaliora aſpernatur. De actione tandem corporum ſpecifica, quae relatiuae actionis ſpecies eſt, exercitatione viceſima diſputatur.

p. 295. Exercitatione viceſima ſecunda et viceſima tertia Cl. Auctor conſequentias quasdam ex praemiſſis obortas in medium profert, v. c. de ſimilitudine gentilitia, morbis haereditariis, quae tamen, ne limites nobis praeſcriptos tranſcendamus, omit-
p. 307. timus. Vltima tandem exercitatione diſquiritur: an fluida animalia phyſiologiae vel pathologiae principia vlla ſuppeditent? atque an fluida animalia ita mutari poſſint, vt ipſorum vitia cauſſae morborum proximae ſint? quod vtrumque Noſter negat ſimulque docet, nec ex humoris cuiusdam v. c. ſanguinis vel bilis praedominio, temperamenta oriri, nec fluidum nerueum dari, nec acrimonias humorum

cauſſas

cauſſas proximas morborum, nec lentorem, aut acrimoniam febrilem, febris cauſſam eſſe.

XXIV.

Aphoriſmi de cognoſcendis et curandis morbis nonnullis ad principia animalia accommodati a GULIELMO BATTIE, Med. D. Londini apud Ioh. Whiſton et Beni. White 1760. 4. 1 Alph. 15 pl.

Principia animalium in priore opere, de quo mox ad Lectores retulimus, ſtabilita Cl. Auctor magis adhuc confirmare et vſui publico accommodare decreuit, aphoriſmis quibusdam practicis, phyſiologicae doctrinae antea prolatae, ſuperſtructis. Cum vero morbi plerique acuti, ex Auctoris mente ideo praecipue exitioſi ſint, quod partis cuiusdam vitalis inflammationem ſecum coniunctam habeant, de inflammatione breuem diſſertationem praemittit. Cauſſam inflammationis quam proximam in muſculorum quorundam affectione ſpaſmodica Noſter ponit, cum hic ſpaſmus non modo dolorem, ſed et ex compreſſione vaſorum et conquaſſatione fluidorum calorem, fluidorumque motu intercepto, tumorem quoque producat. Ex hac itaque hypotheſi non modo cauſſas et effectus inflammationis Noſter explicat, ſed etiam in curatione eiusdem, medici curam praecipue contendit in eo verſari debere, vt non modo inflammationis cauſſa ſiue ſpaſmus minuatur remediis, quae actionem muſcularem cohibent, vel tollunt, vel in ordinem redigunt, v. c. cortice Peruuiano, opiatis, acribus, quae tamen remedia cum cautionibus hic propoſitis applicanda ſunt, ſed et ſpaſmi effectus i. e. inflammatio ipſa tollatur et compeſcatur remediis, quae calorem et p. 5.

fluidorum ſtaſin minuunt, venaeſectione ſcilicet. Sanguis tamen non eo vſque mittendus eſt, donec cruſta coriacea abſens venaeſectioni terminum ponat, ſed etiam hac in re cautio adhibenda eſt, ſimulque ſalibus neutris et ſaponibus, veſicatoriis et cucurbitulis ſiccis fluidorum reſiſtentia, ſpaſmus et humorum affluxus tollatur.

In aphoriſmis ipſis regulas, in morborum curatione obſeruandas, eo ordine proponit, vt initium faciat a capite, et primo de ſyncope, apoplexia, paralyſi et epilepſia agat, tandemque ad cephalalgiam et reliqua mala, quae in capite ſedem ſuam habent, progrediatur, atque ſingulis capitibus varia remedia et obſeruationes, ex aliis Auctoribus collectas, ſubiiciat. Notandum tamen eſt, hoc ipſo libro Auctorem Cl. regulas practicas non ſemper principiis, in priore libro, ſuperius indicato, propoſitis, prorſus accommodare. Illum enim aliquid influxui neruorum tribuere, neque fluidorum quoque deprauatam mixtionem, inter cauſſas morborum omnino referendam eſſe, plane negare ex variis huius libri locis patet. Quo vero de ipſa ratione, qua Cl. Auctor regulas practicas profert, Lectores iudicare poſſint; ſpeciminis loco praecipua ex iis, quae de angina habet, hic addamus. Homo, cui deglutiendi facultas, aut tollitur, aut impeditur, angina laborare dicitur, quem quidem deglutitionis defectum ſaepe quoque ſtrangulatio comitatur, ita tamen, vt ſtrangulatio deglutitioni laeſae, nec ſemper, nec neceſſario adiungatur, atque potius ad reſpirationis vitia referenda ſit. Hinc angina Noſtro muſculorum, deglutitioni inſeruientium, impotentia dicitur. Huius cauſſae modo *quam proximae* ſunt, i. e. fibris muſcularibus intrinſecae, modo externae. Eſt vero haec impotentia etiam aut abſoluta, ſi fibrarum muſcularium actiuitas vndecunque amiſſa eſt, aut relatiua

p. 86.

relatiua, ſi obſtaculum aliquod adeſt, fibris iisdem, per ſe ſatis actiuis, non facile ſuperandum. Abſoluta debetur cauſſis iisdem, quae paralyſin producunt, relatiua vero muſculorum pharyngis ſpaſmo, vel pharyngis, aut oeſophagi inflammationi et tumori purulento, vel oedemati, aut ſcirrho. Abſoluta et relatiua ſpaſmodica nullum tumorem oſtendunt, qui reliquas ſpecies comitatur. Praetermiſſis ſignis omnium harum ſpecierum ab Auctore traditis, ad prognoſin progredimur, ratione cuius anginam ſpaſmodicam et paralyticam, tumore nullo notatam, raro ſanari poſſe contendit. Quod curationem tan- p. 89.
dem attinet in paralytica veſicatoria et ſtimulantia Noſter adhibere iubet. Spaſmodica primo ſanguinis detractionem per venaeſectionem, atque per cucurbitulas et hirudines poſtulat, cautione habita ne vaſorum ſubita depletione ſpaſmus augeatur: deinde ſpecifica antiſpaſmodica, veſicatoria, quae deplent et ſpaſmum leniunt, atque bronchotomiam, quae mortem pro tempore auertit. In inflammatoria requiritur primo venaeſectio, ſanguinis deinde reuulſio per veſicatoria, ſalia cathartica, atque diuretica, porro remedia empirica ex nitro et ſalibus mediis, quae antiphlogiſtica, aut forte antiſpaſmodica ſunt; tandemque fotus et gargariſmata etc. relaxantia. In purulenta abſceſſus lanceola aperiatur, vel emetico, aut gargariſmate acriore rumpatur. Oedematoſa cathartica hydragoga, vomitum ſtimulis ſalium empiricis, mercurio addito, potentioribus excitandum, veſicatoria, tandemque gargariſmata acriora, et ſi vaſa depleta iam ſint, adſtringentia poſtulat. Scirrhoſa tandem angina nullam medelam admittit, et cum acria omnia noceant, topicis tantum lenioribus tractari debet.

XXV.

Praelectiones medicae duodecim, in theatro Collegii Medicorum Londinenſium habitae, a THOM. LAWRENCE, Med. D. Collegii eiusdem ſocio. Londini apud Io. Whiſton et Beni. White. 1757. 8. 1 Alph. c. tab. aen. 1.

Cum in hoc libello variae doctrinae medicae partes tangantur et cum veterum ſententiis conferantur, non incongruum duximus, ordinem rerum propoſitarum, quem ſibi Cl. LAWRENCE elegit, enarrare atque nonnulla breuiter illuſtrare.

p. 1. Prima praelectio continet caluariae conſiderationem eiusque vtilitatem, capacitatem, robur, ſuturas, membranas, cerebrum inuoluentes, proceſſus, ac ſinus. In caluaria formanda ad quatuor potiſſimum reſpexiſſe naturam autumat Noſter. Ac primum quidem, vt cerebrum loco ſatis amplo, eiusque figurae adaptato, quam minimo autem parietum ambitu contineretur: deinde, vt valide muniretur cerebrum, et tertio, vt ei, in iunioribus quotidie increſcenti, amplior in dies daretur locus, ac tandem, vt arteriis, venis et neruis viae promptae apertaeque pararentur. Quod attinet ad tertium caluariae vſum, Auctor Cl. eum icone, praeternaturalem caluariae diſpoſitionem prae ſe ferente, demonſtrat, vbi in quinquenni puero caluaria, propter ſuturam ſagittalem obliteratam, ſecundum latitudinem iuſto arctior, in longitudinem vero abnormem producta eſt, et increſcenti cerebri moli ceſſit. Plus enim id quam vice ſimplici, cum in pueris teneris materia, quam ad oſſa duranda natura comparauerat, in membranas, inter haec medias, impulſa ſubſtitiſſet, deletisque futuris, oſſa coaluiſſent, figuram capitis naturalem in aliam vidit

dit mutatam, et ita cerebri increſcentis vis, quae in oſſium compage diuellenda parum valuiſſet, oſſibus in longum extenſis, cauum caluariae ampliauit. Meninges porro compactas duras, tendinoſasque affirmat, quarum motum contra BAGLIVIUM aliosque non a muſculoſis filis deriuat, dum aſſerit, ſe quidem lacertos quosdam, ligamentorum naturam referentes, reliquisque filis craſſiores, interdum quoque rubicundiores vidiſſe, nunquam autem muſculoſos.

Argumentum praelectionis ſecundae ſiſtunt p. 24. tunica aranea, meninx tenuis, arteriarum, ad cerebrum euntium, origo, curſus et diſtributio, cerebri fabrica eiusque partes.

Tertiae praelectionis argumentum continet p. 54. naturam corporis animalis, facultatum diuiſionem tripartitam, quae in vitalibus, animalibus et naturalibus cernitur actionibus, cerebri vſum in vniuerſum, cerebri et cerebelli vſum ſecundum WILLISIUM, neruorum naturam, ganglia, ſympathiam, exilitatem, fines, vim duplicem, ſenſum nimirum ac motum. Sympathiam neruorum, qui vndique in p. 64. corpore ſunt, non vbique aſſumit Noſter, aſſerens, irritationem narium ſequi ſternutationem, vti explicant ob quinti paris cum neruo intercoſtali coniunctionem: cur autem non tuſſim, non ſingultum, non vomitum propter mutuam neruorum quinti, ſexti et octaui paris coniunctionem? Aliam igitur huius effectus cauſſam neceſſariam, arbitratur Noſter, quae in principii vitalis ἐνεργεία ei rectius, quam neruorum συμπαθεία quaeri poſſe videtur. Nerui porro ſenſus et motus faciunt, quo p. 74. rum motuum duo genera Noſter conſtituit; vnum efficitur muſculorum contractione, alterum reſpicit varium tonum corporis, ideoque motus tonicus ab eo appellatur, quippe qui vel intenditur,

vel remittitur, et a vi illa naturali, qua particulae corporis minimae ſiue elementa ſibi inuicem adhaereſcunt, nec non ab ipſa elaſticitate, plane differt. Quapropter quoque tres, ſanguinem per corporis vaſa promouendi ſtatuit cauſſas: contractionem nempe cordis, arteriarum elaſticitatem et tonum vaſorum tenſiorem et remiſſiorem, qui humorum curſum quaſi habenis laxatis, vel adductis ita flectit, cohibet, moderatur, vt rerum natarum diligentiſſime ratio habeatur. Quem quidem illuſtrat lipothymiis, variisque celeribus animi perturbationum effectibus, celerrima oculi illacrymatione, ex irritatione puluiuſculi acrioris orta, variisque haemorrhagiis, vt haemorrhoides, menſtrua aliaeque, per anaſtomoſin vaſorum oborientes, quae omnia, toni harum partium celeriter mutato moderamine, quam citiſſime in corpore eueniunt.

p. 85. In praelectione quarta proponitur apoplexia eiusque definitio, imminentis ac praeſentis ſigna, a morbis ſimilibus differentia, aegri, apoplexiae expoſiti, cauſſae earumque diuiſio in remotiores et
p. 91. propiores. Motum non ſemper aboleri in apoplexia, quid quod vim muſculorum maximam interdum ſupereſſe poſſe, aſſerit Noſter, ideoque duas apoplexiae effecit ſpecies: cum nimirum et ſine corporis rigore, cuius ſignum pathognomonicum ponit in abolitione ſenſuum omnium cum ſtertore
p. 104. et craſſa turbidaque vrina. Cauſſae propiores, miſſis remotioribus, ſunt, quae cerebrum ipſum ſpectant, et in humoris alicuius plus iuſto maiore in vaſa cerebri congeſtione, vel in eius e vaſis intra caluariae cauum effuſione, vel in materia morboſa, criſi mala in cerebrum depoſita, vel in venenis quibusdam, ſoporem efficientibus, conſpiciuntur.

Praelectio

Praelectio quinta offert vim cauſſarum, a p. 114.
Noſtro propoſitarum, apoplexiam efficiendi, porro ea, quae poſt apoplexiam euentura ſunt, apoplexiae imminentis praeſeruationem et praeſentis curationem, recidiuas, dein cari naturam et ſigna, cauſſas et medendi rationem. Abolitio ſenſuum et motuum triplici oritur modo: vel a cerebri deſtructione, vel a meatuum aut vaſorum eiusdem minimorum obſtructione, vel a valida cerebri compreſſione. Carus, vbi ſopor absque febre profundus, relicto tamen ſenſu, acriore ſtimulo excitato, adeſt, apoplexiae affinis a Noſtro dicitur, qui cadit in omnem aetatem; cum e contrario apoplexia iis ſolum, qui annum quadrageſimum egerunt, exceptis iuniorum, per caſum ab alto, ictum, vulneraque omnino apoplexia tactorum, exemplis, conuenit; nec vnquam in caro humoris alicuius conſpicitur effuſio, vti in apoplexia, ſed plerumque cerebri compreſſio ſiue decubitus, inde fit, vt, caro ſoluto, ſecunda adſit valetudo, apoplexia autem ſublata, remaneat paralyſis. Quid vero cerebri com- p. 135.
preſſio valida ſoporem arceſſendi valeat, ex cuiusdam Pariſienſis exemplo intelligitur, cui, cum maxima caluariae pars caſu quodam eſſet ablata, a leuiori cerebri compreſſione viſus obtuſior factus eſt, a validiore aurium tinnitus et a magis validiore ſopor profundus exoriebatur. Quamquam autem carus, cum apoplexia comparatus, minus afferre videtur vitae periculum, tamen ſuadet Noſter, purgatis enemate primiis viis, venaeſectionem, ne apoplexia inde oriatur.

Iam in praelectione ſexta perſequitur Noſter p. 141.
lethargi ſigna eiusque differentiam a morbis ſimilibus, proximam cauſſam, prognoſin, medelam, neruorum paralyſin, eiusque futurae atque praeſentis ſigna, cauſſas, prognoſin, curationem. In-

tereſt inter lethargum et apoplexiam, quod in hac ſenſus omnis perit, in illo autem homo et pulſus ſentit et vocatus audit, interrogatusque reſpondet, accedente praeterea lethargo febre lenta, quippe qua optime a caro dignoſcitur. Nec raro lethargus in phrenitidem mutatur, interdum ſuppuratione pectoris, vt in lethargo cum peripneumonia coniuncta, quam tuſis pituitoſa comitatur, interdum pure, ex aure promanante, finitur. Quod
p. 158. ſpectat paralyſin, eius cauſſam non ſemper in parte cerebri, lateri corporis reſoluto oppoſita, quaeri oportere, nec fila cerebri medulloſa, in contrarias partes ducta, ſeſe mutuo decuſſantia, cauſſam huius phaenomeni eſſe, nec ſemper paralyſin a neruis, ſed potius a vi principii vitalis pendere; id quod demonſtrat ex motu paralyticorum, graui aliquo periculo v. c. incendio perterritorum excitatorumque, et aegrorum, febribus peſtilentialibus laborantium, vbi ab initio omnis vis muſculoſa ſubito perit, Noſter arbitratur.

p. 173. Praelectione ſeptima tradit Noſter conuulſiones, ſpaſmum eiusque cauſſas, medendi modum, tendinum ſubſultum eiusque cauſſas, prognoſin et ſanationem. Diſtribuit Cl. Auctor conuulſiones in quinque ſpecies, quarum prima eſt ſpaſmus φυσώδης, ſecunda muſculorum contractiones breues et repetitas, febre praeſente, quae a medicis ſubſultus tendinum nuncupantur, ſpectat; tertia rigor neruorum, vbi dolor adeſt, quarta chorea ſancti Viti, vbi ſenſus non deficit, quinta epilepſia dicitur.

p. 196. In octaua praelectione inquirit Cl. Auctor in neruorum rigorem eiusque diuiſionem triplicem; tetanum nimirum, opiſthotonum et emproſthotonum, horumque ſigna, diagnoſin, cauſſas, prognoſin, medendi methodum, nec non choream ſancti Viti,

Viti, diagnoſin, homines, huic morbo maxime opportunos, et medelam expendit.

In nona praelectione epilepſia eiusque praeſentis ac futurae ſigna, diagnoſis, aegri, huic morbo expoſiti, cauſſae, morbi diuiſio in idiopathicum et ſymptomaticum, prognoſis medicamentaque antiepileptica conſiderantur. Epilepſia, quae et morbus ſacer, ſeu νῦσος σεληνίακη TRALLIANI, ſeu morbus puerorum HIPPOCRATIS, ſeu morbus comitialis ſeu morbus caducus dicitur, veniens interdum ſentitur aura quadam frigidiore, aut alia moleſtia inexplicabili, ad caput tendente, ac tum ſuadet Noſter, ipſum membrum, vbi hoc primum animaduertitur, faſcia conſtringere ſeu igne, alioue medicamento cauſtico vrere, quo, exulceratione excitata, materia, ad caput tendens, intercipiatur, vel effluat. Caeterum cinnabarin, ſales alcalinos, radices valerianae et poeoniae, laſer, caſtoreum, moſchum, vt praecipua medicamenta antiepileptica et neruina commendat. p. 224.

Quid in animale conſeruando neruorum vis in vaſis intendendis et remittendis, quid in humoribus conficiendis, diſtribuendis et tandem ſecernendis valeat, ex decima elucet praelectione. Duplicem omnino ſenſum in animalibus arbitratur neceſſarium Cl. Auctor, quorum vnus rerum, extrinſecus oblatarum, qualitatibus vel harum euentis, dolori et voluptati percipiendis aptus eſt, alter rebus, in animante intus oblatis, inuigilans, excubias agit, vt pro his, hoc vel illo modo ſeſe daturis, motus vitales apte inſtituantur. p. 255.

Pergit Cl. Auctor in praelectione vndecima vim neruorum in morbis arcendis et propellendis explicare et diſquirere catarrhum eiusque praeſentis ac inſtantis ſigna, differentiam a peripneumonia, phthiſi, naturae conſilium arceſſendi catarrhum, p. 277.

rhum, medendi rationem, porro catarrhum ſuffocantem, homines, huic morbo obnoxios, eiusque praeſentis ſigna, a ſimilibus diſcrimen, cauſſam proximam et medelam, nec minus anhelationem ſeu aſthma, eiusque diuiſionem, aſthmatis catarrho ſimilis, ſigna, cauſſas remotiores, hominum ad hunc morbum procliuitatem, prognoſin et curationem. Nonnullis, medicinam methodicam ſpectantibus, tractatis, ad tria omnino reſpexit Noſter in arceſſendis et propellendis per neruorum vim morbis: nimirum primo ad ſtrictum; ſecundo ad fluens et tertio ad mixtum. Qua ratione quemque, qui in quocunque morbo, ei, quod ex his eſt, contrarium op-
p. 281. ponit, recte mederi poſſe Auctor Cl. arbitratur. Catarrhi ſeu deſtillationis tres ſunt veterum ſpecies, duae caput, tertia pectus occupat; conueniunt autem omnes tres inter ſe, ſiquidem in omnibus humores vel in caput, vel in fauces, vel in pulmonem compellendo, natura, quod peregrinum eſt, excretione ſolito copioſiore excitata, eliminare molitur. Omnis igitur catarrhorum curatio in eo verſatur, vt humores, a cute in pulmonem pulſi, ad eandem denuo reuocentur, ſin id minus eueniat, tota cura in toni moderamine poſita eſt, vt, nimio humorum impetu, ad pulmones vrgente, impedito, id, quod ſanitati aduerſatur, tuſſis ope ex-
p. 288. pellatur. Ad catarrhos quoque referunt catarrhum ſuffocantem, infantibus iisque inprimis, quibus puſtulae, illi aetati ſolennes, quacunque de cauſſa receſſere, et ſenibus pituitoſis, laxis, obeſisque valde communem, cuius praecipua Noſtro videntur medicamenta, praemiſſa venaeſectione, ſi opus fuerit, enemate, veſicatoriis, et vomitu excitato, nonnulla ſuccini praeparata, ſal ammoniacum volatile, arum maculatum, valeriana, laſer, gummi galbanum et ammoniacum, millepedes; morbi dein vi pro-

profligata, roborantia et alexipharmaca. Tum ad alium morbum, a tono vaſorum inaequali ortum, Noſter progreditur, quem aſthma ſiue anhelationem appellant. Cuius quidem cum plura ſint genera, in quibus recenſendis magna auctorum eſt diuerſitas, aptiſſima Noſtro videtur illa diuiſio; qua primum in anhelationem continuam et in illas, quae quieta aliqua tempora intermiſſionesque aegris praeſtant, diſpeſcitur. Ex iis autem, alia certo ordine et periodo reuertitur, alia nullo certo temporum interuallo aegrum inuadit. Alia porro intermittentis anhelationis eſt diuiſio, ſiquidem alia catarrhi naturam habet, alia ad conuulſiones rectius refertur. p. 294.

Finem huic libro imponit duodecima praelectio, comprehendens abdominis haemorrhagias, ventriculi nempe, huiusque imminentis et praeſentis ſigna, cauſſas, diagnoſin, prognoſin, curationem; inteſtinorum porro, eiusque ſigna, a dyſenteria et ab hepate ſuppurato differentiam, curam, fluxum hepaticum, haemorrhoides, ſigna earum internarum imminentium et apertarum, differentiam a reliquis inteſtinorum haemorrhagiis, homines ad hunc morbum pronos, naturae conſilium, cauſſam proximam, cauſſas remotiores, haemorrhoides coecas, externas, medendi rationem. Antequam vero ad inteſtinorum fluxum ſanguiferum Cl. Auctor deuenit, veterum medicorum de toto haemorrhagiarum genere ſententiam praemittere ei placuit. Quatuor potiſſimum illi earum effecerunt ſpecies, quae, vel a vaſis diſruptis, vi aliqua praecedente, vel ab eroſis atque exeſis, vt in carcinomate exulcerato et dyſenteria cruenta, vel a vaſorum finibus dilatatis et diſtentis, vt in fluxu menſtruo, vel ab apertis vaſis ſanguiferis, vbi ſanguis tenuior, per venarum tunicas quaſi percolatus, deſtillat, vti fit in reſolutione humorum et ſcorbuto, proficiſcuntur. p. 310.

tur. Quibus quidem explicatis et illuſtratis, Noſter ad eas haemorrhagias accedit, quae a diſtentis vel diſruptis vaſis a ſanguine, abundantius in has impulſo, oboriuntur, quo et in his morbis neruorum moderamen vaſa intendendi et relaxandi pateat. Liceat hic, praetermiſſis reliquis ventriculi et inteſtinorum haemorrhagiis, fluxus hepatici veterum et haemorrhoidum iniicere mentionem. Fluxus hepaticus, quem temere veteres hepatis imbecillitati adſcripſerunt, ille eſt apud veteres, vbi ex inteſtinis ſerum cruentum potius, quam cruor effluere ſolet. Quo aquoſior nunc fluxus appareret, eo minor etiam obſtructionis et inflammationis ſubeſſe metus, et eo tutius roborantia atque adſtringentia adhiberi poſſe Noſtro videtur. Haemorrhoides denique quod ſpectat, duplicem habet Noſter earum diuiſionem; vnam in externas et internas, alteram in coecas et apertas. Internae in vltimis venae meſentericae minoris finibus, ſanguinem ab inteſtino recto vehentis, latent, externae, venas extremas iliacas, circa anum diſperſas, occupant, et ex inteſtino recto eminent. Coecae ſunt varicoſae, apertae ſunt fluentes.

XXVI.

Dierum criticorum, vt imparium et numero ſignatorum in morbis methodi et obſeruationis, nec non vernalium conſuetarum purgationum cum ſanguinis miſſionibus confutationes philoſophico-medicae BERNARDI FRANC. COST. RHAETI, Peſclauienſ. Patrit. Phil. ac Med. D. Brixiae. typis Io. Bapt. Boſſini, 1757. 4. pl. 9½.

Quamquam HIPPOCRATES et multi poſt eum dierum criticorum rationem habuerunt, eosque accurate attenderunt, tamen cum multa indignatione Cl. Auctor in eos, qui huic ſententiae fauent, inuehit, eosque argumentis, ex medica arte et aegrorum diuerſitate depromptis, refutat, miraturque magnopere, ipſum HIPPOCRATEM, qui tamen ait: ars longa, vita breuis, tempus praeceps, experimentum periculoſum, iudicium difficile, eadem ſtatuere potuiſſe. Quod ſi enim, computatis diebus numero imparibus, morbi, eorumque natura poſſet erui, non admodum difficile eſſet morbi iudicium, et ita permultis rebus medicae artis addiſcendis plane ſuperſedere poſſemus. Cum enim omnes omnino homines non vnum idemque p. 12. habeant temperamentum, non omnium eadem fabrica, ſolidarum partium robur, et fluidarum ſit conſiſtentia, cum deinde maxima ſit aetatum et ſexus diuerſitas, et vitae genus varium, atque inter nobiles et plebeios multum interſit; cum temporis viciſſitudo, cauſſarum, morbos efficientium, diuerſa ſit multitudo, nec minus anni tempeſtates, aeris calor et frigus, humiditas et raritas ſeu denſitas, maior minorue grauitas et elaſticitas, cuius vim aeque

in

in homine, ac in barometro et thermometro, obſeruamus, multum conferant ad morborum decurſum dirigendum eorumque criſin mutandam, diuerſaeque regiones ſoli, aquarum, maioris minorisue a ſolari ſphaera diſtantiae ſint animaduertendae, eiusdemque magis vel minus recti influxus varia efficiant edulia ac potabilia, quae quotidie ſenſim in maſſam chyloſam, poſtea ſanguineam deferuntur, ibique eiusmodi indolis, naturae, et proprietatis conſtituunt humores, vti apparet ex endemiis et epidemicis morbis diuerſarum regionum; cum tandem magna aegrorum conſpiciatur differentia in eo, quod ille vix primum morbi impetum ſentiat, hic mox conqueratur, et inde quoque dierum criticorum ratio facile perturbari poteſt; maxime ridicula ac medicae arti plane ignominioſa Noſtro videtur dierum criticorum, vti ſolent, tam ſedula et fida attentio, atque audacter aſſerit, ſaepe ſe vidiſſe, huic eadem impari, quod illi pari die, accidiſſe. Quapropter Noſter potius laudat accuratam et ſedulam ſignorum obſeruationem, ex arteriae pulſatione, vrina plus minusue colorata, turbida aut cum ſedimento, parca aut copioſa, aliisque naturae operationibus, qualitate ſecretionum et excretionum, nec non ſolidorum diſpoſitione, mollitie, raritate, elaſticitate, pororum amplitudine, externarum partium et viſcerum, quantum fieri poteſt, ſtructura, deſumtorum, et ſic cum VALCARENGI et SUARDO, qui pari modo ſuas direxerunt curationes, plane nulla dierum criticorum habita ratione, venaeſectiones ſuaſit et alias pro varietate morborum, ſymptomatum, cauſſarum et ſignorum elegit medendi methodos.

p. 48. Haec erat dierum criticorum confutatio, altera directa eſt contra purgationes et venaeſectiones vernales,

vernales, quippe quae ſaepe temere, cum corporis detrimento et lucri cauſſa, a medicis adhibentur. Nemini enim alii purgationes et venaeſectiones vernales concedit Cl. Auctor, quam iis, qui victus abundantia, motus intermiſſione et omnium fere rerum non naturalium abuſu peccant, ne inflammationes et obſtructiones oboriantur. Qui vero vernali tempore ſanguinis efferueſcentiis praeter modum laborant, et doloribus capitis, cutaneis puſtulis, grauedine, vigiliis aut ſopore cum inertia corporis et actionum tarditate male afficiuntur, iis pauca alimenta, niſi nimiis laboribus ſint occupati, et diluentia ex herbis recentibus cichorei, violarum, maluae, agrimoniae et ſimilium, ſeu ex ſero lactis commendat, quo, humoribus dilutis, et circulo humorum viuidiore facto, omnia, quae officiunt ſanitati, poſſint ita eliminari, ne corpus, humoribus bonis ſimul expulſis, debilitetur atque lentae febres exoriantur, quod plerumque fieri ſolet, purgationibus et venaeſectionibus vernalibus imprudenter inſtitutis.

XXVII.

The natural Hiſtory of Cornwall. The air, climate, waters, rivers; lakes, ſea and tides; of the ſtones, ſemimetals, metals, tin and the manner of mining; the conſtitution of the ſtannaries; iron, copper, ſilver, lead, and gold found in Cornwall. Vegetables, rare birds, fiſhes, ſhells, reptiles and quadrupeds: of the inhabitants, their manners, cuſtoms plays or interludes, exerciſes and feſtivals; the cornish language, trade, tenures and arts. By WILLIAM BORLASE, Al. M. F. R. S. Rector of Ludguan. Oxford printed for the Author by W. Jackſon. 1758. fol. 3 Alph. 18. pl. 1 mapp. geogr. et tab. aen. 28.

i. e.

Hiſtoria naturalis Cornubiae. Aër, clima, aquae, flumina, lacus, mare eiusque aeſtus; de lapidibus, ſemimetallis, metallis, ſtanno et modo fodinas colendi; conſtitutio fodinarum ſtanni; ferrum, cuprum, argentum, plumbum et aurum in Cornubia repertum. Vegetabilia, aues rariores, piſces, teſtacea, reptilia et quadrupeda; de incolis, eorum moribus, conſuetudinibus, ludis ſcenicis ſiue epiſodiis, exercitiis et feſtis; lingua Cornubienſis, mercatura, feuda et artes. Auctore GUILIELMO BORLASE.

Laudabilem haud dubie operam prae caeteris impendunt ii, qui in vnius patrii ſoli productionibus, penitus cognoſcendis, malunt verſari induduſtriam

duſtriam ſuam, quam in externarum regionum miraculis ſuae curioſitatis aliquod alimentum quaerere. Ita enim faciliorem naturalis hiſtoriae diſciplina haberet ſpem, fore, vt ad iuſtum perfectionis gradum adſcendiſſe tandem poſſit gloriari, eiusque fructus ad communem citius vſum cuiusque terrae transferatur. Praeſtiterunt id, de variis ſuae terrae partibus, Angli; ita, vt in pluribus Britanniae prouinciis fuerint, qui earum maxime naturae bona ſedulo perquirerent; quo factum eſt, vt multa ſenſim nobis innoteſcerent, quae alias prorſus incognita manſiſſent. Vident hic Lectores Cornubiae hiſtoriam naturalem, prouinciae profecto Angliae, quae haud facile alteri multitudine et praeſtantia corporum naturalium cedit, immo multas ſuperat. Quapropter mirandum ſane cuiquam videri poſſet, cur neglecta quaſi ea tamdiu latuerit; niſi iſtius terrae, ab vrbe principe diſtantia et paucitas eorum ciuium, qui ſatis ad eiusmodi aliquod laboris genus, tum intelligentiae, tum animi haberent, iſtam admirationem quodammodo leuare poſſent. Tanto igitur plus gratiarum debetur Cl. huius libri Auctori, qui antiquitatibus Cornubienſibus, antea felici ſtudio expoſitis, nunc etiam ſua diligentia defectum hiſtoriae naturalis explere voluit. Etſi enim non ex omni parte perfectiſſimum hoc opus appellare poſſimus; tamen non diffitendum eſt, multa illud bona continere, nosque multo longius in iſtius terrae notitia ducere, atque antehac eramus progreſſi. Impulit vero Cl. Auctorem ad hoc ſtudium, ſuſcipiendamque explorandarum patrii ſoli diuitiarum, operam, deſiderium BOERHAAVII, GRONOVII, LINNAEI aliorumque, qui mineralium Cornubienſium collectionem ante plures annos vehementer optauerant, a quo tempore iſti rei maiori ſtudio incubuit, nuncque in edendo hoc

opere, in auxilium vocauit, quae ante illum, RAIUS, LUIDIUS et WOODWARDUS ſparſim in ſcriptis ſuis, de Cornubiae productionibus naturalibus, monuerunt.

p. 1. Capite vero primo Cl. Auctor primum geographicam Cornubiae deſcriptionem dedit. Haec inter omnes Angliae prouincias, maxime verſus occidentem ſita, promontorii quaſi ad inſtar, in oceanum protenditur, atque a Deuoniae comitatu, fluuio Thamar ſeparatur. Conſtat in media parte, continuo collium ſiccioris ſoli iugo, ad vltimam vſque promontorii partem pertingente, lateribus in vtraque parte, verſus mare ſenſim deſidentibus. Steriles hi colles ſunt ſaxis et erica tecti, illorum tamen altitudo vix 1200 pedibus ſuperficiei maris altitudinem ſuperat. Decliuia contra loca et quae in planitiem porriguntur, inprimisque fluminum ripae cultae fertilesque ſunt. In eo littore, quod ſeptentrionem ſpectat, ſatis parui tantum portus ſinusque reperiuntur, longe autem maiores habet auſtrale littus, quod ſeptentrionali quoque longe humilius eſt. Stanni fodinae non in anteriore parte, quae Deuoniae adiacet, et fertilior eſt altera, reperiuntur, ſed in ſteriliore parte Cornubiae, vbi illa iam in promontorium quaſi anguſtatur. Haec tamen numero incolarum, quos ſtanni fodinae alunt, illam, quam agricolae incolunt, longe ſuperat.

p. 5. Secundo capite Noſter de aere et tempeſtatum viciſſitudinibus exponit. Cum Cornubia inſulae ſimillima ſit, easdem quoque, quas aliae inſulae, tempeſtatum viciſſitudines ſolet experiri. Aer ſcilicet humidior eſt, terraque quotidianis fere imbribus humatur. Raro aer plane ſiccus eſt, iſta tamen quotidiana pluuia non facile ita perpetua eſt, vt per totum diem duret, ſed coelo etiam, vel denſiſſimis nubibus tecto, tamen ſolis radii tandem per nubes

pro-

prorumpunt. Frequentiſſimi inter ventos Eurus et Fauonius, quibus humores aquoſi ex Oceano aduehuntur, qui frequentiorum imbrium cauſſa ſunt. Hinc quoque procellae crebriores ſatisque vehementes in Cornubia experiuntur. In vniuerſum autem huius terrae aer, multas ſalinas particulas ob maris viciniam continet, vnde ferrum fere vbique facillime rubigine afficitur, nec arbores in aliquam altitudinem excreſcunt, ſed humiliores manent. Qui venti, ſalinas e mari partes adferentes, quantum detrimenti plantis adferant, inprimis animaduertitur poſt procellas. Eo enim tempore plantae, quas talis ventus tangit, marceſcunt et in foliis earum, guſtu ſapor ſalinus obſeruatur. Id tamen commodi quoque Cornubienſis aer habet, quod incolae leniore quoque hyeme fruantur, ita vt myrti, aliaeque calidiorum climatum plantae, in libero aere, parietibus nullis incluſae, per totam hyemem durent. Terra niue vix vltra tres vel quatuor dies tegitur, et ver citius quoque, quam in aliis Angliae prouinciis, redit, neque calor aeſtiuus nimis grauis eſt, ſed venti maritimi flatu temperatur, ita, vt in vniuerſum optima ſit climatis temperies et maxime incolarum ſanitati conducens. Silentio praeterimus, quae Cl. BORLASE de variis fulguris effectibus, meteoris et ſimilibus rebus habet, et tantum notamus, illum obſeruationibus probare, gradus caloris et frigoris in Cornubia rarius, nec tam cito, quam Londini mutari.

Tertio capite de aquis Cornubiae exponit. Licet haec terra in vniuerſum aquarum copia abundet, riuuli tamen, quibus machinae, ad fodinas neceſſariae, mouentur, rariores ſunt, quam fert commodum eorum, qui has fodinas colunt. Licet vapores minerales (*Schwaden*) ſtanni foſſoribus moleſti ſint, vix tamen exemplum exſtat, lethales illos effectus produxiſſe. Aeris enim circulatio in fodinis, p. 21.

canalibus ſic dictis aereis, quae aerem ad fundum fodinae deferunt, obtinetur, et aquae quoque ſubterraneae, quibus hae fodinae abundant, motu ſuo aerem fodinarum mouent, et purgant. Inter puriſſimos fontes, qui ob lenitatem puritatemque aquae, ſoteriis adnumerantur, fons *Madernwell* et *Eunywell* inprimis notari merentur. Chalybeati frequentius occurrunt, inter quos ii, qui in dioeceſi *Ludguan* ſunt, reliquos virtute ſuperant. Fons quoque *Keyrn - key* prope *Redruth* reperitur, cuius aquas ſtannum continere, perhibent.

p. 36. Quarto capite de fluminibus et ſinubus minoribus, (*Creeks*) ferendis nauibus aptis, Noſter diſſerit, variaque conſilia de modo, nauigationem in iis ma-

p. 49. gis promouendi, proponit. Quinto de lacubus, quorum pauci tantum in Cornubia reperiuntur, et mari, quod Cornubienſia littora alluit, exponit, ſimulque de aeſtu maris, declinatione acus magneticae, quae in Cornubia ab initio huius ſeculi aucta eſt, et terrae motu in hac regione, inprimis an. 1755. et 1757. obſeruato, varia monet.

p. 59. Sexto capite ſolum huius prouinciae terrasque, quae in Cornubia reperiuntur, Auctor deſcribit. In vniuerſum loci elatiores et collium dorſa frigida et ſterilia ſunt, muſco vliceque tecta, ſub quibus terra aliqua nigra, minime fertilis, reperitur. Vbi aquae pluuiales ſtagnant, turfaceum ſolum eſt, quod iunco tegitur. Sed vbi decliuiores fieri incipiunt, ſolanum tuberoſum, deinde auena nuda, hordeumque tandem et ſecale colitur, tritici autem cultura non ſuccedit. In vniuerſum vero camporum maxima pars, pluribus ſilicibus repletur, ipſeque humus, ſilicibus interiectus, adeo leuis eſt, vt facile ſicceſcat aut a pluuiali aqua abripiatur. Aliis in locis humus ex lapidibus, qui aeris tempeſtatumque vi dilapſi ſunt et fatiſcunt, conſtat, planiores vero campi

campi lutoſi, rubrum colorem obtinent. In fodinis ſaepe terrae ochraceae cupri, ferrique reperiuntur. Plumbi ochra flaueſcens eſt, obſcuriorem vero flauedinem, quae magis ad brunum colorem vergit, ſtanni ochra obtinet. Bismuthi ochram rubram eſſe, dicit Cl. BORLASE, monetque metallorum foſſores Cornubienſes ex terrarum harum praeſentia concludere, venam metallo illo, cuius ochra reperitur, diuitem, haud longe abeſſe. Nec Cornubia terris, quae pigmenti loco adhiberi poſſunt, variisque argillae ſpeciebus caret. Inprimis tamen inter Cornubiae productiones naturales *ſteatites* notari meretur. * Haec in cauernis inprimis, non longe a mari remotis, ad *Lizherd* inuenitur, qui locus eius natalis, hic ab Auctore noſtro, cum WOODWARDUS et HILLIUS hac in re errores quosdam commiſerint, ſedulo deſcribitur. Inſigni colorum varietate ludit. Alba enim, pallide flaua, viridis, rubra et violacea reperitur. Alba nunc ad porcellanam parandam adhibetur, cui tenacitatem quandam largiri dicitur. Steatites, quae ſuperficiei terrae proxima reperitur, longe mollior eſt ea, quae profundius ſita eſt, et lapidibus adnumerari debet. p. 66.

Septimum caput de arenis Cornubienſibus agit. In littore Cornubiae ſeptentrionali, arena mobilis (*flugſand*) quae ventorum vi mota, totos campos tegit, maxima damna producit, cum in meridionali contra littore, nulla eiusmodi arena reperiatur. Non omnis arenae originem e mari eſſe, ſed aliquam iam ab initio adfuiſſe materiemque, ex qua ſaxa coaluerunt, praebuiſſe, pluribus hic demonſtratur. In dioeceſi *St. Iuſt* collis reperitur, in quo ſilices rotundi p. 71.

* Eſt *ſteatites vera* D'ACOSTA *Nat. Hiſt. of Foſſils* p. 36. ſ. *cimolia purpuraſcens antiquorum* HILLII.

plurimi, per ſtrata ita ordinati ſunt, vt ſingulare ſpectaculum intuentibus exhibeant, quorum quidem ſilicum ſitus, hunc collem olim mare obtegiſſe, probat. Arena, in littore maris collecta, in omni Cornubiaob partes calcareas concharum coralliorumque admiſtas, ad agros pinguefaciendos optimo cum ſucceſſu adhibetur.

p. 84. Octauo capite de agricultura Cornubienſium Auctor Cl. exponit. Praeter arenam, ex littore maris allatam etiam agris pinguefaciendis, fuci et algae variae ſpecies, et piſces putrefacti, nec non ſal, quod virtutem ſuam amiſit, neque ad piſces condiendos amplius adhiberi poteſt, inſeruiunt.

p. 90. 104. 117. Tribus ſequentibus capitibus de lapidibus diſſeritur, variaeque illorum ſpecies, in quibus metalla reperiri ſolent, ſedulo deſcribuntur. Ad pagum *Denyball* dictum, ſchiſtus reperitur, qui lenitate et duratione per plures annos in aere libero, omnes reliquas ſpecies, quae in Anglia reperiuntur, ſuperat. Celebris quoque Granita (*Moorſtone*) Cornubienſis * eſt, ex qua plurimi colles compoſiti ſunt, cuiusque fruſta, per omnem fere regionem diſperſa, reperiuntur. In fodina aliqua prope *Redruth* lapis reperitur celluloſus quaſi, qui aquae innatat ideoque *Swimming ſtone* dicitur. Inter lapides pretioſiores Malachites et Cryſtalli, quae vulgo *Cornish diamonds* vocantur et Briſtolienſes antecellunt, inprimis notari merentur.

p. 128. Duodecimo capite ſemimetallorum, in Cornubia reperiundorum, hiſtoriam exponit Cl. Auctor. Licet nullus fere terrarum locus, ex Noſtri mente, multitudine varietateque minerarum Cornubiam antecellat, vehementer tamen conqueritur, maximam

* *Granita albiſſima micis magnis, nigris, argenteisque variegata.* D'ACOSTA. l. c. p. 273.

mam huius theſauri partem, ab incolis, ſi ſtanni et cupri mineras exceperis, vel ex ignorantia vel incuria negligi. Oſtendit tamen biſmuthi magnam copiam, zincum porro, antimonium, magneſiam, molybdaenam et ipſum quoque cobaltum reperiri, cuius fodina in terris Ill. BEAUCHAMP ad *Guenap*, a Cl. SCHLOSSERO, Amſtelodamenſium medico, detecta fuit. Celebris illa apud mineralogiae ſcriptores Cornubienſium minera, *Mundic* dicta, nil aliud, quam marcaſites ſiue pyrites figuratus eſt, qui inprimis cum ſtanni cuprique mineris miſtus, harum vſtulationem neceſſariam reddit. In fine huius capitis variae formae, in quas pyrites excreſcit, deſcribuntur.

De fiſſuris porro metallicis, ſiue rimis et cauitatibus montium, (*fiſſures*) quibus venae metallicae (*lodes*) continentur, diſſerit. p. 142. Earum directio variat, vt plurimum tamen ab occidente verſus orientem in Cornubia excurrunt, neque vllam ad mare vicinum rationem habent, ita, vt diuerſa earum directio minime aquarum marinarum ſubſidentiae adſcribi poſſit. Pluribus deinde Cl. Auctor oſtendit, eas iam a mundi creatione adfuiſſe, neque ab exſiccatione globi terreſtris, tanquam rimas, terrae ſicceſcentis ſciſſione productas, originem duxiſſe. De venis autem metallicis ipſis (*lodes*) ſequenti capite p. 147. agit. Haec, vbi ſe in diem oſtendit, fragmentorum (*ſhodes*) coaceruatorum copia tegitur, quam Cornubienſes metallifoſſores *the broil* vocant. Fragmenta illa eundem colorem habent eiusdemque naturae ſunt, qualis vena, atque aquarum vi per vicina loca diſperſa, venam metallicam haud longe abeſſe indicant. Quapropter etiam in Cornubia fodinae, vt plurimum hac methodo inueſtigantur, de qua re plura egregia hic Cl. BORLASE monet, variasque regulas, quas experientia ſtannifoſſores docuit, communicat. Quo anguſtior vena metallica

eſt, eo maior metalli copia ex mineris, quae illam componunt, elici poteſt, vt plurimum vero craſſitiem vnius tantum pedis, aut minorem adhuc habent. Praetermittimus obſeruationes de venarum metallicarum directione et inclinatione et venis metallicis turbatis et ruptis, cauſſisque, quibus hae ve-
p. 159. nae abſciſſae aut fractae fuerunt, atque ad caput decimum quintum progredimur, in quo de ſtanno Noſter agit, cuius metalli fodinae hanc terram et adiacentes Silurum inſulas, in quibus nunc nullae amplius reperiuntur, iam dudum apud veteres Romanos, nobiles reddiderunt. In omni enim terrarum orbe ſolae hae erant notae, vſque dum medio ſeculi decimi tertii ab Anglico ſtannifoſſore, qui patriam, offenſione ſuorum permotus, relinquebat, Germanicae etiam ſtanni fodinae detegerentur. Stanni autem minerae vel collectae et fixae reperiuntur, vel e ſede ſua motae et diſperſae. Nam primum, vel venas metallicas (*lodes*) conſtituunt, vel ſtrata horizontalia (*floors*) formant, (quod tamen rarius fit) vel in glandulis et maculis inueniuntur (*bunches and ſpots*), quae nonnunquam tanta in copia adſunt, tantumque metalli continent, vt laborem foſſorum abunde compenſent. Diſperſarum vero minerarum (*ſhodes*) cumulus, in aliquo loco collectus, *ſtream* et ſi multum ſtanni iis ineſt, Cornubienſi lingua *Beuheyl* ſeu *a living ſtream* vocatur. Nonnunquam arena quoque ſtanno ditiſſima in vnum ſtratum collecta, reperitur. In vniuerſum autem metallum, quod ex glebarum fragmentis accumulatis (*Streamwork*) elicitur, longe purius eſt et copioſius glebis quoque inhaeret, ita vt v. c. 20 librae glebae contuſae et lotae, 13 libras ſtanni lar-
p. 163. giantur. Nonnunquam in eiusmodi locis ſtannum purum variae formae reperitur, quod a Iudaeis, qui initio

initio ſeculi decimi tertii fodinas Cornubienſes coluerunt, paratum fuit et *Iewish-tin* ab incolis dicitur. Eiusmodi metalli fruſta, aquarum metallicarum vi, in ſuperficie ſua quodammodo exeſa et cruſta rubiginoſa tecta ſunt, quorſum, vt nos putamus, referenda eſt origo ſtanni puri, aliquoties recentioribus etiam temporibus in Cornubia reperti, et tanquam natiuum propoſiti. Iam Cl. Auctor ad modum, fodinas inueſtigandi, progreditur, quod vt plurimum, vt ſuperius iam adnotauimus, fragmentorum diſperſorum (*ſhodes*) ope fit, et pluribus adhuc a Cl. Auctore explicatur; tandemque rationem, qua minerae per puteos (*ſhafts*) et cuniculos (*adits*) eruuntur ſollicite deſcribit figurisque explicat, et de variis quoque machinis exponit, quarum ope aquae e fodinis educuntur. Inter has ob aquarum, quibus machinae circumagi poſſent, defectum, praecipue nunc in vſu ſunt machinae igne agitatae (*Fire-engine*) p. 172. quarum vberior deſcriptio hic communicatur. Eductae glebae, in cumulos diſpoſitae, ſorte inter fodinae dominos diſtribuuntur, tandemque contuſae et lotae (vbi *black-tin* vocantur) ad furnos eliquatorios conferuntur, quorum directores cum iis, qui mineras has adferunt, ſic paciſcuntur, vt pro diuerſo valore minerae, 8 ad 13 vſque partes ſtanni puri, ex 20 partibus minerae pendant. In furnis eliquatoriis vel lithantracibus (*pit-coals*) ignis alitur, iique furni proprie *melting-houſe* dicuntur, vel carbonum ope, qui *blowing-houſe* vocantur. Atque in his puriſſimum et molliſſimum obtinetur ſtannum, licet ob ſyluarum in Cornubia inopiam, pauciſſimi tantum eiusmodi reperiantur. Lithantraces vero omnes ex ducatu Walliae, nauibus adferuntur. Purum ſtannum ſingulis trimeſtribus in vrbes quinque defertur, quae a longiſſimo inde tempore ad hanc rem deſtinatae ſunt, et *coinage-towns* dicuntur, quia in

iis

iis ſtanni puritas examinatur, ſtannique maſſae (*Tinblocks*) ſigno aliquo notantur. Minerarum vero, quae in fodinis his reperiuntur, magna eſt varietas. Ditiſſimae glebae ſunt cryſtalli ſtanni, inter quas albae, cinereae et rufeſcentes nigreſcentibus longe rariores ſunt. Eae autem ſunt fodinarum Cornubienſium diuitiae, vt inter illas variae exſtiterint, ex quibus aliquando annuo ſpatio, domini illarum 20000. libras Anglicanum, quod vltra 120000 thaleros noſtrae monetae eſt, lucrati ſint. Quae de iuribus fodinarum hic Noſter habet, lectu forte iis, qui his delectantur, non iniucunda, ea, cum ad nos propius non ſpectent, praetermittimus.

p. 194. Capite decimo ſexto de ferro agit, cuius quidem minerae pluribus locis reperiuntur, quod tamen ob ligni inopiam, nullibi in hac terra ex iis ex-

p. 196. coquitur. Longe maiorem autem fructum adferunt cupri fodinae Cornubienſibus, de quo metallo capite decimo quinto Cl. BORLASE exponit, cum inprimis recentioribus temporibus, immenſa minerarum metalli huius copia, ex iis extracta fuerit. Inter mineras illas maxime vulgaris flaua eſt, reperitur tamen etiam ſaepius aerugo natiua et ochra cupri coerulea, nec non minera cupri griſea. Rarius eſt cuprum ſic dictum vitreum, (*red-ore* ſ. *fire-ore*) quod aliquando cryſtallos, cryſtallis minerae argenti rubri, ſatis ex Noſtri mente ſimiles, format. Nec ipſum cuprum natiuum plane deſideratur, quid quod nonnunquam ſatis copioſe variaque ſub forma occurrat, cum ſit v. c. dendroides, foliaceum, capillare, etc. Ex omnibus vero cupri mineris, quae adeo copioſe in Cornubia reperiuntur, nullum (ſaltem iis, quo haec Auctor Cl. ſcribebat temporibus,) cuprum in hac prouincia eliquatur, ſed glebae contuſae et lotae ad furnos eliquatorios, quae in *Waleſia* et ad vrbem *Briſtol* ſiti ſunt, nauibus deferuntur.

runtur. Quae quidem agendi ratio, quamuis parum proficua videatur, iis, in quorum poſſeſſione fodinae ſunt, tamen non ita noxia eſt, vt omne commodum auferat, cum potius ingens adhuc lucrum inde proficiſcatur.

Argenti contra minerae rariſſimae ſunt. Licet enim aliquando argentum natiuum in quadam huius regionis fodina repertum fuerit, tamen neque ex cupri, neque ex plumbi mineris aliquid argenti, ob glebarum ignobilitatem vel eorum, qui huius rei curam habent ignorantiam, educitur. Neque plumbi fodinae, cuius metalli veſtigia per omnem hanc regionem copioſe reperiuntur, multum coluntur, ita, vt omnino fatendum ſit, metallurgiam in Anglia nondum ad eum perfectionis gradum acceſſiſſe, ad quem in noſtris regionibus peruenisse illam, gloriari poſſumus. p. 209. Aurum in aceruis glebarum accumulatarum (*ſtreamwork*), inprimis circa *Grampond* reperitur, et nonnunquam ab ignaris ad furnos eliquatorios vna cum ſtanni glebis contuſis, delatum fuit. p. 213.

His ex minerali regno propoſitis, ad vegetabile Cl. Auctor tranſit, et de plantis terreſtribus et marinis diſſerit. Pauciſſimas ſyluas in Cornubia reperiri, ſupra iam monuimus, recentioribus tamen temporibus plures nouae plantationes inſtitutae fuerunt, et inprimis platanus copioſe ſatus fuit. Subterraneae quoque ſyluae, ex foſſilibus arboribus compoſitae, haud raro occurrunt, ita quandoque comparatae, vt arbores erectae ſtent, quod ſolum aliquando vna cum arboribus ſubſediſſe probat. Ea eſt coeli Cornubienſis clementia, vt myrti, gerania et iaſminum, ſub dio per omnem hyemem durent, et anno huius ſeculi quinquageſimo ſeptimo, aloë americana, in horto plantata, neque vllo tegmine munita, p. 217.

munita, flores produxerit, poſteaquam per triginta tres hyemes in aere libero ſubſtitiſſet. Additur plantarum rariorum, per Cornubiam reperiundorum, catalogus, inter quas *Sibthorpia* (europaea) *foliis reniformibus ſubpeltatis crenatis*, eſt. Damna, quae rorella, ab ouibus comeſta, producit, non plantae noxia aliqua qualitate, ſed vermibus ex *faſciolae* genere, quae radicibus huius plantae copioſe adhaerent, adſcribi debent. In rupibus nonnullis, in medio mari ſitis, *Malua arborea maritima* et *Beta ſilueſtris maritima, radice perenni*, ita viciſſim per annos creſcunt, vt, ſi malua inueniatur, beta non adſit, et contra. *Iuncus acutus capitulis ſorghi* RAII eam vtilitatem habet, vt radicibus ſuis arenam mobilem contineat, et ideo nonnullis in locis ad damna, quae ab hac arena, ſaepe totos campos tegente, oriuntur, auertenda, optimo cum ſucceſſu plantatur. Inprimis autem plantarum ſubmarinarum, vt fucorum, algarum etc. inſignis copia in littore Cornubienſi reperitur, atque ab incolis ad varium vſum oeconomicum adhibetur. Non ſolum enim oues iis, ſi alia alimentorum genera deficiunt, veſcuntur, ſed et eorum combuſtione ſodae aliqua ſpecies, *Kelp* dicta, in Silurum inſulis paratur. Maximus tamen vſus harum plantarum ad agrorum pinguefactionem eſt. *Fucus membranaceus purpureus* ſingularem illam qualitatem habet, vt, manu calente, impoſitus, alterne quaſi moueatur. Si quis calefactum eum tangit, mimoſae ad inſtar contrahitur, ita vt *ſenſitiuus* omnino dici mereatur. Succum *lichenis marini*, interne et externe adhibitum, egregiam in cancro opem tuliſſe, Noſter aſſerit, Praetermittimus, quae de ſpongiis, eſcharis et corallinis, in littore Cornubienſi reperiundis, habet, cum earum maxima pars ELLISII laboribus magis innotuerit. Eſt inter haec corpora praecipue notabilis *porus ceruinus*

IMPE-

IMPERATI, quem alias in mediterraneo tantum mari reperiri, Auctores putauerunt.

Capite viceſimo primo et ſequentibus de animalibus Cl. Auctor exponit. Inter aues praecipue *Coruus* (graculus) *roſtro pedibusque luteis* notari meretur, qui in rupibus inprimis circa promontorium *Landsend* copioſe reperitur, atque in Anglia proprie *the Cornish Chongh* appellatur. Flaui ſunt pedes et roſtrum in iunioribus, magisque in foeminis, quam in maribus et facile manſuefieri ſolet elegans haec corui ſpecies. *Caprimulgus* etiam, ſed rarius in Cornubia reperitur. Inprimis vero orae maritimae maximam auium marinarum multitudinem alunt. In capite viceſimo ſecundo, quod de inſectis terreſtribus et aquaticis inſcribitur, etiam de cauſſa luminis, quod mare nocturno tempore ſpargit, diſſerit, et docet, ſimile fere lumen in Cornubia nonnunquam in aquis et paludibus, a mari remotis, obſeruatum fuiſſe, omninoque cum iis conſentit, qui vermes quosdam, phaenomeni huius cauſſam eſſe, putant. Fuſius deinde de variis zoophytis diſſerit, quorum elegantes quasdam ſpecies Cornubia alit, inter quas *Alcyonium* illud eſt, quod LINNAEUS, *Schloſſeri* ab inuentore dixit, cuius vberior deſcriptio et delineatio hic a Noſtro communicatur, vna cum deſcriptione nonnullarum aliarum ſpecierum, quas ipſe Cl. BORLASE in littore Cornubienſi collegit. Meduſarum quoque in littore Cornubienſi ſatis magna reperitur copia, cum ſex diuerſas ſpecies ſiue varietates hic a Noſtro enumerentur. Ex molluſcis etiam *Loligo* nonnunquam ibidem occurrit.

p. 242.

p. 248.

Capite viceſimo tertio piſces praecipuos, in hac regione reperiundos, Cl. Auctor enarrat, variorumque rariorum deſcriptiones et figuras communicat, ſecundum delineationes olim a Cl. IAGO factas, qui com-

p. 261.

completam piſcium Cornubienſium hiſtoriam meditatus eſt. Variae ſpecies truttarum ibidem occurrunt, inter quas rarior aliqua eſt, quam varietatem maiorem *ſalmuli* BALTNERI Noſter putat. *Delphinus phocoena* et *delphinus delphis* nonnunquam in Cornubia capiuntur, et hic delineantur. Adeſt quoque figura ſpeciei cuiusdam *ſquali*, quae, ſi figurae fidendum eſt, nondum deſcripta eſſe videtur; porro *lophii ore cirroſo* et alius *lophii* a priore diuerſi; *pleuronectis* deinde *ſoleae; molae* SALVIANI; *dracunculi* RONDELETII etc. Licet vero in vniuerſum Cornubienſe littus piſcibus abundet, tamen inprimis ex piſcatura *Clupeae aloſae* (Pilchards) maximum commodum incolae capiunt, quae magnam pecuniae vim ſin-
p. 275. gulis annis in Angliam infert. De aſtaco Cl. Auctor narrat, ſibi a fide digno quodam amico relatum eſſe, aſtacum quendam, poſteaquam ſaepius tentauerat, deuorare mytulum quendam, quia ille, quoties aſtacum appropinquantem ſentiret, teſtam claudebat, tandem, interiecto lapillo, inter vtramque teſtam effeciſſe, vt mytulus teſtam non amplius claudere ipſique effugere poſſet. In fine huius capitis catalogum teſtaceorum maris Cornubienſis adnectit, monetque, teſtacea foſſilia rariſſime in hac regione reperiri, cornu tamen cerui petrificatum in lapi-
p. 282. dicina quadam repertum fuiſſe. De reptilibus ſequenti capite exponit, vbi notatu dignum eſt, in Si-
p. 286. lurum inſulis ſerpentes plane non reperiri. De quadrupedibus deinde capite viceſimo quinto et de incolis viceſimo ſexto diſſerit Noſter, variaque exempla longaeuorum adfert, tandemque ſupplementum ad opus de antiquitatibus Cornubienſibus, olim ab ipſo editum, addit, in quo varia monumenta antiquitatis per Cornubiam inde ab anno 1753 reperta, deſcribuntur.

Contenta

Contenta in hac parte:

I. PLANQUE bibliotheque choiſie de médecine tirée des ouvrages periodiques, tant françois qu' étrangers. Tom. I - V. Pag. 579
II. PIQUER las Obras de HIPPOCRATES 582
III. KALM en Reſa til Norra America 585
IV. MACKENZIE'S the Hiſtory of health and the art of preſerving it 611
V. CRANTZ *Einleitung in eine wahre und gegründete Hebammenkunſt* 616
VI. BOESSEL *Grundlegung zur Hebammenkunſt vor die Wehmütter und vor Frauen, die Wehmütter werden und ſich unterweiſen laſſen wollen* cet. 619
VII. ROCCA diſſ. de febribus, ab chyli cruditate productis, 622
VIII. EHRET plantae et papiliones rariores 628
IX. HEISTERI deſcriptio noui generis plantae rariſſimae et ſpecioſiſſimae Africanae ex bulboſarum claſſe, Brunſwigiae, 631
X. LEVRET obſervations ſur les cauſes et les accidens des pluſieurs accouchemens laborieux cet. 633
XI. EIUSDEM *Wahrnehmungen von den Urſachen und Zufällen vieler ſchweren Geburten cet. überſetzt von* D WALBAUM 645
XII. IANCKE proluſio de capſis tendinum articularibus. 649

XIII. EIUSDEM prolusio prior de cauernis quibusdam, quae ossibus capitis humani continentur Pag. 651

XIV. HEINS pharmacia rationalis, *oder vernünftiger Gebrauch auserlesener Genesmittel* 653

XV. ACREL Chirurgiske Händelser anmärkte uti Kongl. Lazarettet 656

XVI. LEANDRI A SANCTA CECILIA Palestina, Potia et Mesopotamia 1. 2. 3. viaggio 664

XVII. MILLER'S Figures of the most beautiful, useful and uncommon plants described in the gardeners dictionary Vol. I. II. 667

XVIII. OTTENS diss. de Ἀνασώμωσι 675

XIX. DE BROKE diss. de vesicae vrinariae appendicibus 678

XX. AEPINI tentamen theoriae electricitatis et magnetismi 681

XXI. SCHMIEDEL diss. de sede variolarum non in sola cute 694

XXII. PALLAS diss. de infestis viuentibus intra viventia 695

XXIII. BATTIE de principiis animalibus 699

XXIV. EIUSDEM aphorismi de cognoscendis et curandis morbis nonnullis ad principia animalia accommodati 707

XXV. LAWRENCE praelectiones medicae duodecim 710

XXVI. RHAETI dierum criticorum, nec non vernalium purgationum consuetarum cum sanguinis missionibus confutationes 719

XXVII. BORLASE the Natural History of Cornwall 722

INDEX.

Prior numerus ſupplementum, alter paginam indicat.

A.

Abdominis morbi II. 309 ſeqq. morbi 'chirurgici, de his obſeruationes IV. 661. partium ſitus praeternaturalis morborum cauſſa II. 334. 337 ſeqq. abdominalium viſcerum in foetu ſitus inuerſus I. 166
Abietum tranſplantatio IV. 588
Abortus cauſſae II. 202 ſeq.
Acer, eius foliorum vſus I. 63. rubrum, eius vſus IV. 599
Acetaria I. 107
Acida mineralia, eorum ortus et diſtinctio I. 49. acidi ſalis proprietates I. 49. acidum vitriolicum fixum et volatile I. 9
Acidulae Spadanae I. 21 ſeqq. earum vſus I. 23
Acrel, Olof. Chirurgiske Händelſer IV. 656
Acroſtichi ſpecies I. 94
Adianthi pedati vſus IV. 608
Aegylopis ab anchylope diſtinctio III. 511 ſeq.
Aegypti memorabilia II. 343. quadrupedia II. 344. aues II. 345 ſeq. amphibia II. 348. piſces II. 350. inſecta II. 351. plantae II. 352 ſeq. morbi ibi frequentes II. 356
Aepini, F. V. T. tentamen theoriae electricitatis et magnetiſmi IV. 681
Aer habitabilis I. 112. eius elaſtica proprietas I. 47. aer Cornubienſis I. 724.
Aether, quid? II. 226. 229 ſeq. idem electricitatis cauſſa II. 224 ſeqq.
Aethiops vegetabilis II. 250. antimonialis, eius vſus in morbis I. 41 ſeq.
Aethiopum color II. 281
Agarici vſus in haemorrhagiis IV. 663
Agaues americanae vſus III. 469 ſeq.
Agnus ſcythicus, planta II. 288
Agri Cornubienſes IV. 728. eorum pinguefaciendorum modus ibid.
Agripparum partus, de hoc monita et obſeruationes III. 437. IV. 634 ſeq.
Alaterni baccae IV. 669
Alcalinorum character et diſtinctio III. 518
Alimentorum farinaceorum claſſes III. 483
Alkekengi baccarum ſapor varius I. 65
Aloe officinarum, quanam ex planta paretur IV. 669. perfoliata, eius vſus apud Aegyptios II. 353
Alpina flora I. 106
Aluminis virtus ſtiptica I. 44
Alui fluxus varii, eorumque curatio II. 310
Amaryllidis ſpecies IV. 632
Amboinenſe herbarium I. 103
Americae memorabilia IV. 603 ſeqq. americanae plantae II. 310
Amnii liquoris fontes et incrementum III. 493
Amphibia, de his icones II. 256 ſeq. Aegypti et Palaeſtinae II. 348.

II. 348. Gyllenborgiana I. 92. Surinamenſia I. 95
Amputatio membrorum, de hac monita III. 542 ſeq. quousque differenda ſit III. 543. cruris, de ea obſeruationes I. 154. humeri in articulo quomodo inſtituenda III. 573 ſeq.
Anandria, planta I. 93 ſeq.
Anaſarcae ſigna et curatio I. 159 ſeq.
Anaſtomoſis pathologica quid? IV. 675. naturalis ibid. praeternaturalis IV. 676. huius cauſſae ibid. ſeq. effectus IV. 677. effectus ſalutares ibid. ſeq. therapia IV. 678
Anchylops qnomodo ab aegylope differat III. 511 ſeq.
Anevryſma, de hoc monita IV. 662
Anginae notio eique medendi methodus IV. 708 ſeq.
Angliae memorabilia IV. 590 ſeqq. plantae I. 103
Anguium ſpecies II. 255. anguis niger Catesby IV. 606
Ani fiſtulam deligandi apparatus, de hoc obſeruationes I. 147
Animae in corpus humanum influxus I. 159. ſedes in corpore calloſo negatur III. 405 ſeq. vbinam ſit? III. 406
Animale principium quid? IV. 699 ſeq.
Animalis ſtatus ſani et morboſi principia IV. 699 ſeqq.
Animalium diſpoſitio methodica I. 129 ſeqq. claſſes I. 131. animalia compoſita I. 111. animalium ſubſtantiarum elementa III. 519. analyſis III. 520 ſeqq. partium fluidarum analyſis III. 522
Anſeribus viuis plumae in Anglia euelluntur IV. 594
Anthelminthia, planta I. 110
Antimonii regulum parandi modus I. 50 ſeq. reguli medicinalis praeparatio I. 84. tincturae ſulphureo - alcalicae praeparatio I. 84. antimonialium morſulorum praeparatio I. 43
Apocyni androſaemifolii vis venenata IV. 607 ſeq.
Apoplexiae ſpecies et cauſſae IV. 712 ſeq.
Apum cultura in Penſyluania IV. 601
Aquae ſimplicis natura et proprietates I. 10 ſeq. vis ſalia ſoluens vnde? I. 11. chemica diſquiſitio I. 11 ſeq. ſales I. 13 ſeq. frigidae vſus in haemorrhagiis et haemoptyſi III. 566 ſeqq. marinae examen I. 18. proprietates ſeu characteres II. 245 ſeq. vſus I. 19. vſus in morbis glandularum II. 245. 247 ſeq. eadem ſanatorum morborum caſus II. 249 ſeq. virtus vnde II. 250. doſis II. 151. ſplendor ab inſectis I. 100. Cornubienſes IV. 725. minerales Epſomenſes I. 19 ſeq. Cheltenhamenſes I. 20. Spadanae I. 21 ſeqq. aquarum decrementi in Noruegia indicia IV. 588. medicatarum claſſes I. 17. mineralium natura et vſus III. 389 ſeqq. definitio et diſtributio III. 390. ſpiritus ſpecies I. 16. ſalinarum elementa,

ta, eorum differentia et vſus III. 390 ſeqq. martialium differentia, ſpecies et vſus III. 395 ſq. ſulphurearum diſtinctio et vſus III. 396 ſeq.
Aquifolii vſus ad ſepes conſtruendos IV. 590
Aquisgranenſium thermarum examen I. 25 ſeqq. partes conſtitutiuae I. 28. vſus I. 29 ſeq.
Aranearum claſſes II. 278. hiſtoria naturalis II. 278 ſeq. veneno non ſcatent II. 279.
Arbores Philadelphiae indigenae IV. 596. arboretum Suecicum I. 110
Arborum gemmae I. 97. praeſciſſio, huius ortus I. 61. vernatio, quid? I. 102
Ardea ibis II. 346
Arenae Cornubienſes IV. 727
Argemones vſus IV. 670
Argenti affinitas cum acido ſalis et vitriolico I. 50
Argillae ſpecies I. 68 ſeq.
Ari radices colligendi tempus IV. 670
Aromaticorum remediorum differentia et natura II. 298 ſeq. principia conſtitutiua II. 299 ſeq. effectus ſiue actio II. 300 ſeqq. vſus II. 302
Arſenici coniunctio cum baſi ſalis et nitri I. 51
Arteriarum trombus, de eo obſeruationes I. 152 ſeq.
Arthritidis curatio II. 306. 377 ſeq.
Aſcenſionis inſula, de hac memorabilia III. 476 ſeq.
Aſch, Georg. Thom. diſſ. de primo pare neruorum medullae ſpinalis II. 236
Aſcites, eius cauſſae et curatio I. 160. II. 313
Aſclepias ſyriaca, eius vſus IV. 608
Aſthmatis diuiſio IV. 717
Auditus per dentes III. 399. 401. 403 ſeq. amiſſi et reſtituti caſus III. 398 ſeqq. vitia III. 399 ſeq.
Aues, harum character I. 131. migrationes I. 107. Aegypti et Paleſtinae II. 345 ſeq.
Aurantiorum florum aquae vſus I. 39
Auri ductilitas I. 50

B.

Bäckea, planta, eius vſus III. 476
Balneorum differentia I. 14 ſeq.
Balſami liquidi naturales II. 300. balſamum de mecha II. 355
Balſamicorum remediorum differentia et natura II. 298. 300. effectus ſeu actio II. 301 ſeq. vſus II. 302
Barbados inſulae hiſtoria naturalis II. 280 ſeqq. ſolum II. 281. foſſilia II. 283 ſeq. animalia II. 285 ſeq. vegetabilia II. 286 ſeqq. ſubmarina II. 290. morbi ibi occurrentes II. 281 ſeq.
le Bas, Io. diſſ. vtrum cataractae tutior extractio forficum ope? III. 570
Baſaltes, lapis I. 76
Baſteriae plantae icon IV. 670
Bathonienſium thermarum antiquitas I. 31. aquarum examen I. 32 ſeqq. virtus medica I. 34 ſeq.
Battie, Gulielm. de principiis animalibus exercitationes

XXVI. IV. 699. aphoriſmi de cognoſcendis et curandis morbis nonnullis IV. 707
Behen arbor II. 354.
Benzoes florum ſal I. 84
Betula nana I. 91
Beureria planta IV. 630
Bilioſarum concretionum cauſſae III. 425 ſeqq. ſigna III. 427 ſeqq. effectus III. 429. curatio III. 429 ſeqq.
Bismuthi coniunctio cum ſulphure I. 51
Bitumen viride II. 284. eius virtus medica ibid.
Boeſſel, Georg. Dan. *Grundlegung zur Hebammenkunſt* IV. 619
Boli ſpecies I. 68
Bombycis hiſtoria naturalis I. 107
Borlaſe's William the Natural Hiſtory of Cornwall IV. 722
Botanices incrementa I. 102. botanici auctores I. 111. botanicarum excurſionum ſalubritas I. 61
Bougies vid. *Cerei.*
Briſſon, regnum animale in claſſes IX. diſtributum I. 129
Briſtolienſium thermarum examen et vsus I. 35
de Broke, Io. Frid. diſſ. de veſicae vrinariae appendicibus IV. 678
Brunſvigia, nouum plantae genus IV. 631 ſeq.
Bryoniae radix IV. 670
Bubonum curatio I. 119
Büchner, Andr. El. diſſ. ſiſtens nouam methodum ſurdos reddendi audientes III. 398
Bufonites lapis II. 320
Burton's, John, Eſſay towards a complete new Syſtem of Midwifry III. 456. Letter to Will. Smellie containing critical and practical Remarks upon his Treatiſe of Midwifry III. 461
Buxbaumia muſcus I. 108

C.

Cachexiae curatio II. 306
Caecitatis Chinenſium cauſſa III. 475
Caeſarea operatio II. 212. eius indicatio et neceſſitas IV. 643. eam inſtituendi tempus et modus ibid. eadem remedium rupturae vteri optimum prophylacticum II. 375 ſeq.
Calculorum geneſis I. 96 ſeq. adhaeſio ad veſicam negatur III. 560 ſeq. biliariorum cauſſae III. 424. formatio et natura III. 425 ſeqq. ſigna III. 427. effectus III. 429. curatio ibid. ſeqq. inteſtinalium formatio, natura et ſigna III. 427. calculi vrinarii nucleus, phaſeolus I. 152. calculus ductus Warthoniani IV. 659. veſicae cyſtide incluſus, de hoc monita III. 540. 561
Calendarium florae I. 106
Calli oſſium facta ſolutio IV. 663
Caluariae vſus et formatio IV. 710
Camphorae vſus internus in morbis acutis puerperarum I. 149. vis refrigerans ibid.

Camtſcha-

Camtſchatcenſes plantae I. 98
Canadae memorabilia IV. 607 ſeqq. canadenſia ſpecifica I. 107
Cancer gammarus et pagarus. de eorum vita obſeruationes IV. 589
Cancer, morbus, eius cauſſa et curatio II. 370 ſeq.
Canis hiſtoria naturalis I. 103. canis vulpes II. 344. aureus ibid.
Cantharidum vſus noxius I. 176
Capenſis flora I. 112
Capitis morbi II. 308. laeſiones ſingulares et ſymptomata IV. 657 ſeq. laeſionum noxa I. 152. vulnera ſequi ſolent abſceſſus ad hepar I. 147. horum cauſſa I. 148. infantilis tumor inſignis II. 262. foetus in vtero retenti ſeu abrupti ex vtero extractio IV. 634 ſeqq. in partu a reliquo corpore ſeparati cauſſae IV. 637. auulſionem praecauendi modus IV. 638
Capra gazella II. 345
Capricornus montium glacialium Heluetiae III. 442
Carbunculus, frumentorum morbus II. 315. de eo obſeruationes II. 318. eius cauſſae II. 322. curatio II. 323
Carcinomatis cauſſa et indoles II. 362
Cardamines ſpecies I. 64
Carduus helenioides ſeu melancholicus IV. 671
Cari, morbi, cauſſae et curatio IV. 713
Carioſi vlceris exhalationes conuulſionum cauſſa IV. 663
Carolinarum thermarum virtus conſtringens I. 15
Cartheuſer, Io. Frid. elementa chymiae dogmatico experimentalis I. 81 ſeq. fundamenta materiae medicae P. I. II. II. 291
Cartilaginis xiphoideae peruerſus ſitus morborum abdominalium cauſſa II. 338
Caſſythae filiformis vſus III. 476
Caſtratio teſticuli vid. *Teſticulus*.
le Cat, Claud. Nic. Pieces concernant l'operation de la taille I. II. III. Recueil III. 550. Lettre a Mr. Dumont ſur l'opinion de l' adherence des pierres à la veſſie III. 550
Cataractae ſingulares in Heluetia III. 441 ſeq. 443. in Canada IV. 607. 610
Cataracta oculi, de ea obſeruationes III. 570 ſeq. IV. 658 ſeq. eam extrahendi modus et ratio III. 541 ſeq. eius ope forficum extractio III. 571 ſeq.
Catarrhus, eius ſpecies et curatio IV. 716. ſuffocatiuus, huius cauſſa et curatio ibid. veſicae II. 312 ſeq.
Cauterium actuale quasnam ſenſationes et effectus excitet? I. 144 ſeq. eius applicatio et praeparatio I. 141 ſeq. vſus in rheumatiſmo I. 141 ſeqq. in malo iſchiadico I. 142
Cerebellum, de eo experimenta III. 406 ſeq.

Cerebri ventriculorum proceſſus I. 165
Cerei (Bougies), hos componendi et applicandi modus III. 538 ſeq. parandi modus Cl. Daran II. 364. eorum vtilitas in vrethrae morbis I. 120 ſeq. in vlceribus vrethrae III. 537 ſeq.
Cervus camelo pardalis II. 345. tarandus I. 104
Cetaceorum character I. 131. ordines I. 139 ſeq.
Chamaeleon II. 348 ſeq. eius color varius vnde? ibid.
Charadrii, auis ſpecies II. 346 ſeq.
Chemia dogmatico experimentalis I. 82. medica I. 36 ſeq. metallurgica I. 122. huius ſubiecta I. 123. chemiae elementa I. 45 ſeq. experimentalis inſtitutiones III. 514. obiectum, finis et auxilia III, 515. inſtrumenta III, 516. operationes ibid. ſeq. chemica corporum elementa ſeu principia I. 47 ſeq. II. 294. chemica inſtrumenta I. 124 ſeq. chemicae operationes I. 125
Chenopodium anthelminticum IV. 599
Chettenhamenſes aquae minerales I, 20
Chinenſes, de iis memorabilia III. 472 ſqq. quibus morbis obnoxii III. 475
Chinenſia Lagerſtroemiana I. 104
Chirurgicae obſeruationes III. 506. 508 ſeq. IV. 656 ſeqq.
Chyli cruditas, eius cauſſa IV. 623. eadem febrium cauſſa ibid. ſeq.
Chymia, vid. *Chemia.*
Cimices, ad eos tollendos remedium I. 64
Cinnabaris in corpore humano ſolutio III. 480. vſus cum alimentis coniungendus I. 42
Cirſoceles curatio III 535
Ciſti ſpecies II. 326 ſeq.
Clam, conchae vſus IV. 601
Clyſmatum vſus in grauidis III. 492
Cobaltum, ſemimetallum I. 124
Cocci nuciferae vſus III. 471
Coccygis os partum difficilem haud efficit III. 457. 463
Coe's, Thom. Treatiſe on biliary concretions or Stons III. 423
Coemeteria Muhamedanorum II. 342
Colicae diſtinctio II. 311. pictorum ſignum pathognomonicum et curatio II. 311
Collinſoniae canadenſis vſus IV. 600
Coluber, eius ſpecies II. 255. icones II. 256 ſeq. vipera II. 349. cornutus II. 350. haye ibid.
Colubrinum lignum, vid. *Lignum.*
Cometarum vſus I. 89
Conceptio, eius ſigna II. 203 ſq. tubaria I. 154
Contagioſorum morborum origo a vermibus I. 108 ſeq.
Conuulſionum ſpecies IV 714
Corallia, eorum ſalis vſus I. 39. baltica I. 92

Cordis

Cordis neruorum ligatura animalibus lethalis I. 164
Cornu cerui ſpiritus, vid. *Spiritus.*
Cornubiae deſcriptio IV. 724. ſeqq.
Corporum elementa ſeu principia conſtitutiua II. 294. naturalium collectio et contemplatio II. 252 ſeqq.
Corpus calloſum, de hoc experimenta III. 405. eius vſus III. 406
da Coſta, Eman. Mendes, natural Hiſtory of Foſſils I. 66
Coſtarum peruerſus ſitus morborum abdominalium cauſſa II. 337
Cranii fractura eiusque curatio II. 258 ſeq. oſſium reſtaurationis modus II. 259
Crantz, Henr. Io. Nepom. commentarius de rupto in partus doloribus a foetu, vtero II. 372. *Einleitung in eine wahre und gegründete Hebammenkunſt* IV. 616
Cretae ſpecies I. 69. in ſilicem et calcem transmutatio IV. 592
Criticorum dierum vt imparium confutatio IV. 719 ſeq.
Crocodilus eiusque vſus II. 348
Crotalophorus ſerpens eiusque antidotum I. 96
Cruſtaceorum character I. 132
Cryſtalli, eorum generatio I. 95
Cryſtallifodinae Helueticae III. 440
Cucubali baccae noxiae IV. 671
Culina mutata I. 110
Cupreſſi thyoidis vſus IV. 605 ſeq.
Cuprifodinae Cornubienſes IV. 732
Cutis morbi II. 369
Cyſtitome, vid. *Lithotomia.*

D.

Danica flora I. 108
Delirii cauſſae II. 331. diſtinctio ibid. ſeq.
Dentes, eorum origo et formatio I. 186 ſeq. in maxilla pueri ſeptennis reperiundi I. 188. horum ſitus ibid. priorum decidentiae cauſſa I. 189. vſus ad auditum III. 399. 401. 403 ſeq. dolor, contra eum remedium I. 63
Deriuatio materiae morboſae ad certa loca effectus cauſticorum I. 145 ſeq.
Deſtillationi inſeruientium vaſorum ſelectus I. 37
Diaetetices hiſtoria IV. 612 ſqq.
Dioſcoreae alatae vſus IV. 606
Dioſpyros virginianae vſus IV. 598
Docimaſticae operationes I. 126 ſeq.
Doloris diſtinctio et theoria II. 378. cauſſae II. 378 ſeq. curatio II. 379
Dolorum ad partum ratio IV. 638. ſpuriorum a veris diſtinctio II. 204. poſt partum ratio et vſus III. 496. poſt partum difficilem curatio III. 460
Domb, fructus Aegyptiorum II. 356
Draco, arbor II. 326

Dyſenteriae curatio II. 310. eadem a vermibus I. 109

E.

Ehret, Georg. Dionyſ. plantae et papiliones rariores IV. 628
Electricitas, eius theoria IV. 681 ſeqq. cum magnetiſmo analogia IV. 683 ſeqq. cauſſa phyſica II. 224 ſeqq. de ea regulae IV. 685 ſeq. experimenta eorumque explicatio I. 87. IV. 686 ſeqq. eius phaenomenorum explicatio II. 225 ſeqq. repulſio et attractio explicata IV. 690 de eius communicatione leges ibid. eius vſus in morbis II. 379. electrici fluidi diſtributio IV. 683. ſeq. natura et proprietates IV. 682 ſeqq. electricus vortex quid? IV. 691
Elephantiaſis, morbus II. 282 ſeq.
Embryo quid? II. 200
Emphyſematis ortus II. 370
Emplaſtrum nigrum Abb. Doyen. II. 364
Empyematis operatio, de hac monita III. 540 ſeq.
Engel, Io. Mich. *Sendſchreiben von einem* Caſu *eines vermittelſt einer Suppen in die Luftröhre verſchluckten, durch die* Tracheotomie *aber herausgenommenen Beins* II. 242
Enteroceles repoſitio, de hac monita III. 569
Epidendron amabile, planta III. 476
Epididymidis ductus II. 233 ſeqq.
Epilepſiae notio et curatio IV. 715
Epſomenſis fons eiusque ſal I. 19 ſeq.
Erhart, Balth. *Oekonomiſche Pflanzenhiſtorie* 1 — 12*ter Band* I. 54
Euler, Io. Alb. Diſqu. de cauſſa phyſica electricitatis II. 224
Euphorbiae deſcriptio et ſpecies I. 100
Exanthematum cauſſa verminoſa I. 108 ſeq. exanthema lacteum, vid. *Purpura puerperarum.*
Exomphali curatio III. 533
Exton's, Brudenell, new and general Syſtem of Midwifery III. 436

F.

Fabri, Giacinto Bartolomeo, ſulla inſenſitiuita. ed irritabilita Halleriana opuſcoli di vari Autori raccolti P. I. II. III. 409
Farinaceorum vegetabilium claſſes III. 483
Farmer's, I. Select caſes in Surgery III. 506
Febres a chyli cruditate productae IV. 622 ſeqq. earum ſedes IV. 623. ſigna IV. 624 ſq. differentia et ſymptomata IV. 625. prognoſis. IV. 625. ſeq. curatio IV. 626 ſeqq. febrium intermittentium differentia et curatio II. 305. IV. 602 ſeq. febris flaua ſeu bilioſa (Yellow

low fever) II. 282. continuae eſſentialis genera II. 304. malignae ſedes et curatio II. 305. febris Vpſalienſis I. 107 ſeq.
Felleae veſiculae tumor III. 540. inciſio et punctura ibid.
Femoris luxatio ſurſum et extrorſum, eiusque repoſitio I. 151. eadem deorſum et introrſum ibid. huius repoſitio ibid.
Fibrarum cohaeſio principium animale IV. 700. eius effectus. IV. 703 ſeq.
Ficus ſpecies et fructificatio I. 91
Fiſtulae lacrymalis ſedes, ortus et cauſſae III. 310 ſeq. curatio III. 512 ſeqq.
Flora Alpina I. 106. Anglica I. 103. Capenſis I. 112. Danica I. 108. Iamaicenſis I. 112. Monſpelienſis I. 106. oeconomica I. 95. orientalis II. 243. Palaeſtina I. 106. Suecica inſectorum hoſpita I. 101. 111. florae calendarium I. 106
Flurant, Splanchnologie raiſonnée Tome I. II. II. 239
Foetus incrementum et pondus II. 200. in vtero nutritio ope funiculi vmbilicalis III. 457. in vtero ſitus II. 203. 325. III. 458. 463. ſitus diuerſus iconibus explicatus II. 221 ſeqq. in vtero ſitus obliqui cauſſae IV. 636. 638. vitam in vtero explorandi methodus III. 489. in abdomine inventus I. 157. vtero rupto in abdomine contentus II. 375 ſeqq. caput abruptum vid. *Caput foetus.*
Foliorum plantarum claſſes I. 178 ſeqq. differentia ex iisdemque methodus I. 177 ſeqq.
Fons ſebaceus in Heluetia III. 442
Forceps Levreti tribrachialis IV. 634. curua IV. 636. huius vſus IV. 642. anglicana, eius in arte obſtetricia praeſtantia et vtilitas II. 208. eadem a Smellie emendata et correcta II. 208 ſeq. eam applicandi ratio et enchireſes II. 218. forcipum vſus in partu difficili dubius redditus III. 464 ſeq. forceps ad confringendos calculos maiores intra veſicam III. 545 ſeq.
Forfices nouae arti obſtetriciae inſeruientes IV. 648. forficum vſus in extrahenda cataracta III. 571 ſeq.
Foſſilium hiſtoria naturalis I. 66 ſeq. diſpoſitio methodica I. 68
Fraxini arboris vtilitas I. 62 ſeq.
Frigidae vſus vid. *Aqua.*
Frumentorum morbi II. 314 ſeq. de his tentamina et obſeruationes II. 315 ſeqq. eorum cauſſae II. 321 ſeq. curatio II. 323. transmutatio negatur I. 110
Frutetum Suecicum I. 110
Fuliginis vſus IV. 591
Fuligo, frumentorum morbus II. 315. de ea obſeruationes II. 317 ſeq. eius cauſſa II. 321 ſeq. curatio II. 323

Fungus melitenſis I. 105. membranaceus ſeu gelatinoſus thermarum I. 25
Funiculi vmbilicalis varius nexus in placentam pro vario huius ſitu IV. 641. circa foetum circumuolutionis caſus II. 216 ſeq.

G.

Gallo, Io. Mich. Opuſcula medico practica I. 174
Gangraena, eius in ſiccam et humidam diſtinctio II. 307. epidemica III. 415
Gardeniae plantae icon IV. 631
Gaul, auis marina IV. 590
Gei riualis vſus in febre intermittente IV. 603
Gelatinarum vſus medicus II. 297
Gellert, C. E. *Anfangsgründe zur metallurgiſchen Chimie* I. 121. *Anfangsgründe zur Probierkunſt* I. 121 ſeq.
Gemellorum partus, de hoc monita II. 211 ſeq.
Gemmae arborum I. 97. gemmarum plantae ſpecies I. 62
Gentiana lutea IV. 671 ſeq.
Geruaſii, Ignat. de vſu frigidae in haemoptyſim et quodcunque ſanguinis profluuium Diſſ. III. 566
Gibberoſarum feminarum pelvis III. 487
Ginanni, Franc. della malattie del Grano in Erba II. 313
Ginanni, Giuſeppe, Opere poſtume. Tomo II. III. 387
Gingiuarum exulceratio, contra eam remedia II. 363 ſeq.
Ginſeng, radix IV. 608. eius pretium III. 472
Glaciales montes Heluetiae III. 438 ſeqq. eorum nexus, ſitus et altitudo III. 448. ortus et formatio III. 449 ſeq. aetas III. 450. vſus III. 452. pericula III. 454 ſeq. glacialium vallium diſtinctio et ortus III. 449 ſeq.
Glaciei triplex ſpecies III. 451 ſeq.
Glandularum tabes II. 246. eius cauſſae ibid. morbidarum diverſus ſtatus et curatio II. 246 ſeq. morbi, in iis remedia II. 249
Gnaphalii margaritacei vſus IV. 598
Gonorrhoeae cauſſa III. 537. curatio I. 118
Goſſypii vſus ad cauterium actuale I. 140. 144
Goulard, Traité ſur les effets de preparations de Plomb et principalement de l'Extrait de Saturne I. 113. Remarques et Obſervations pratiques ſur les maladies veneriennes I. 117
Granites lapidum genus, eius ſpecies I. 76 ſeq.
Grano Ghiottone, frumentorum morbus II. 315. de hoc obſeruationes II. 318 ſeq.
Grauidarum morbi II. 201 ſeq. 325. III. 490 ſeq. vtrum iisdem octauo menſe exercitatio corporis prohibenda III. 437

Grauiditas, eius diſtinctio et incommoda III. 489. ſigna III. 489. IV. 616 ſeq. per ſeptem annos et dimidium protracta I. 154
Gronouius, Io. Frid. flora orientalis Leonh. Rauwolffi II. 243
Gruner, Gottl. Sigm. *Die Eisgebürge des Schweitzerlandes* I. II. III. *Theil.* III. 438
Gryllus arabicus eſculentus II. 351. mantis inſectum II. 277
Guilbert de Preval, Cl. Thom. Guil. Diſſ. an ſcalpello vagina recondito cyſtitome lateralis perfectior? III. 545. 549
Gummi arabici vſus in alui fluxu II. 310

H.

Haemoptyſis ope aquae frigidae curata III. 568
Haemorrhagiae, earum ſpecies IV. 717. cauſſae III. 566. curatio ope aquae frigidae III. 567. quomodo natura eas ſiſtat I. 152 ſeq. grauidarum III. 489. 496 ſeq. 499 ſeq. vteri ex mola ſeu placenta foetus abortiui relicta IV. 644. a ſitu placentae ſuper orificium vteri pendentis ſigna IV. 639. haemorrhagiam poſt amputationem cruris oriundam ſiſtendi modus I. 154
Haemorrhoidum diuiſio IV. 718
de Haller, Alb. Diſputationum ad morborum hiſtoriam et curationem facientium Tomi VII. Pars I. et II. I. 78. Diſſ. ſiſtens experimenta quaedam circa corpus callo-ſum, cerebellum, duram menyngem, in viuis animalibus inſtituta III. 405
Hammites, lapis I. 71
Haſſelquiſt, Frid. iter Palaeſtinum II. 341
Heath's, Robert, natural and hiſtorical Account of the Islands of Scilly III. 526
Hederae arboreae folia ouium pabulum IV. 592. terreſtris vſus I. 62
Heins, Anton. Pharmacia rationalis IV. 653
Heiſter, Laur. *mediciniſche. chirurgiſche und anatomiſche Wahrnehmungen* III. 507. Deſcriptio noui generis plantae rariſſimae Brunſvigiae IV. 631
Heluetiae montes glaciales III. 438 ſeqq. eorum nexus, ſitus et altitudo III. 448. diſtinctio III. 449 ſeq. aetas III. 450. ſpecies III. 451 ſeq. vſus III. 452 ſeqq. pericula III. 454 ſeq.
Hemitritaea Vpſalienſis I. 107 ſeq.
Hepaticus fluxus veterum IV. 718
Hepatis vitia II. 340. abſceſſus, qui capitis vulnera ſequuntur I. 147. horum cauſſa I. 148

Herba-

Herbarium Rauwolffianum II. 244
Herniae, de iis obſeruationes II. 260 ſeq. earum ortus II. 338. ſpecies et curatio II. 339. verae, de harum curatione obſeruationes III. 530 ſeqq. incarceratae, de his monita III. 569. hernia dorſalis II. 380 ſeqq. femoralis cur feminis frequentior? III. 533. foraminis oualis III. 533. veſicae vrinariae III. 534. vmbilicalis, huius curatio III. 533. cyſtica, eius differentiae et cauſſae III. 534
Herniotomia, de ea monita III. 532 ſeq. 569 ſeq.
Herpetis ſedes et cauſſa II. 360. contra eum vnguentum II. 371
Heuermann, Georg. *Phyſiologie 1—4ter Theil* I. 161
Hillary, Will. the nature, properties and Laws of motion of Fire I. 85
Hippocratis opera ſelecta, hiſpanica lingua edita ab Andr. Piquero IV. 582
Hippopotamus II. 345
Hirundinum hibernacula III. 470
Hiſpanicae plantae rariores II. 327 ſeq.
Hominis hiſtoria naturalis I. 130 ſeq. excrementorum ſal III. 523
Horticultura academica I. 104
Hortus Vpſalienſis I. 93
Hughes, Griffith, natural Hiſtory of Barbados II. 280
Humerum in articulo amputandi modus III. 573 ſeq.
Hybridae plantae I. 99
Hydatides pericardii I. 164
Hydra, inſecti ſpecies II. 273. hydatula Linn. deſcripta IV. 697
Hydrocele, de ea monita III. 534
Hydrocephalus internus II. 368
Hydrophobiae curatio II. 334. III. 529
Hydrops, Diſp. medica I. 158. eius ſpecies I. 159. curatio II. 306 ſeq. renalis I. 167. vteri grauidi III. 491 ſeq.
Hyemis morbi I. 100
Hygiene dogmatico practica I. 168
Hyoſcyami radicum noxa IV. 672
Hypochondriaſis, eius curatio II. 306
Hyſterici mali mechanica explicatio III. 528. cum occulta lue venerea coniuncti caſus I. 175 ſeq.

I.

Iamaicenſes plantae I. 112
Iancke, Io. Godfr. de oſſibus mandibularum puerorum ſeptennium Diſſ. I. et II. I. 184. Progr. de capſis tendinum articularibus IV. 649. Progr. de cauernis quibusdam, quae oſſibus capitis humani continentur IV. 651
Ibis, auis II. 346
Ichnevmon, vid. *Viverra.*

Ignis proprietates I. 47. circa eius naturam et actiones propositiones I. 86. idem est grauitatis expers I. 87. circa huius motus leges I. 88. elementarius, vtrum fluidum subtilius lumine sit, an contra I. 89. sacer, morbus II. 361
Iliacae passionis curatio II. 310
Imaginationis maternae vis in foetum affirmata II. 262 seq.
Imhofia, nouum plantae genus IV. 632
Incubi caussa I. 165 seq.
Indorum morbi IV. 608
Infantum morbi II. 367 seq. neonatorum cura II. 213
Inflammationis genesis et caussae II. 359. caussa proxima II. 369. caussa et curatio IV. 707 seq.
Inoculationis variolarum ratio et modus III. 478. de ea obseruationes III. 479 seqq. ei subiicienda subiecta III. 479 seq. ad eam praeparatio III. 480 seq. varia operationem spectantia III. 481. decursus, de eo obseruata III. 481 seq.
Insecta, de iis memorabilia I. 98. II. 268 seqq. 275 seqq. eorum character I. 132. Aegypti et Palaestinae II. 351. aquatica II. 269. 273. flora hospita I. 101. 111. miracula I. 101. noxa I. 102
Insensibilitas, de hac opusculorum collectio III. 409. seqq.
Institutes of experimental Chemistry Vol. I. II. III. 514
Iorissen, Io. Diss. sistens nouam methodum surdos reddendi audientes III. 398
Irritabilitas, de hac opusculorum collectio III. 409 seqq. eius distinctio III. 420. caussae III. 408
Ischiadicum malum cauterio actuali curatum I. 142

K.

Kalm, Pehr. Resa til Norra America T. I. II. III. IV. 585
Kalmiae latifoliae vsus et noxa IV. 602
Kermes mineralis praeparatio et virtus I. 43 seq.

L.

Labii leporini curatio IV. 658
Lacerta aegyptia II. 349. crocodilus II. 348. huius vsus ibid. chamaeleon II. 348. gecko II. 349. stellio II. 349. stincus ibid.
Lacrymalis sacci hernia seu hydrops III. 511. fistula, vid. *Fistula*. lacrymalium viarum morbis medendi noua ratio I. 146 seq.
Lactationis vsus in matres III. 498
Lactea metastasis quid? III. 501. eius effectus, species et signa III. 501 seqq.
Lactis differentia, vsus et bonitas ex colore pilorum animalis I. 38. in grauidis praesentia probatur III. 498. seri differentia I. 38

Lapidum

Lapidum genera I. 123. ordines et genera I. 71 ſeqq. lapis bufonites II. 320. Freeſtone dictus IV. 592. Cornubiae IV. 728
Laqueorum in arte obſtetricia vſus II. 209
Lauendulae aquae deſtillatae vſus I. 39
le Laumier, Steph. Petr. Diſſ. de methodis amputandi brachium in articulo III. 573
Lawrence, Thom. praelectiones medicae duodecim IV. 710
Leandro di Santa Cecilia, Paleſtina ovvèro primo viaggio in oriente. Perſia ovvèro ſecondo viaggio. Meſopotamia ovvèro terzo viaggio IV. 664
Lenticulae paluſtris vegetatio I. 64
Leonis nomina ſynonima I. 137 ſeq. deſcriptio I. 138 ſeq.
Leprae curatio II. 306. 371. haereditaria II. 282. huius ſymptomata ibid.
Lethargi natura IV. 713 ſeq.
Levret, Obſervations ſur les cauſes et les accidens des pluſieurs accouchemens laborieux IV. 633. Suite des Obſervations etc. ibid. *Wahrnehmungen von den Urſachen und Zufällen vieler ſchweren Geburten. Ueberſetzt und vermehrt von* D. *Ioh. Iul. Walbaum.* 1. *und* 2*ter Band* IV. 625
Lieutaud, Precis de la Medene pratique II. 303
Ligaturae vſus et abuſus in ſiſtenda haemorrhagia I. 152 ſeq.
Lignum colubrinum I. 96
Linimentum antiſcorbuticum II. 364
Linnaei, Car. amoenitatum academicarum Vol. I — V. I. 90. muſeum Adolphi Friderici, Regis Suecorum II. 252
Liriodendri tulipiferae vſus IV. 600
Lithotomi duplicis deſcriptio et vſus I. 157. occulti deſcriptio III. 545 ſeq. hiſtoria et vſus controuerſus III. 546 ſeqq. 556 ſeqq.
Lithotomia, de ea monita et obſeruationes III. 539. IV. 661. circa eandem controverſia III. 553 ſeqq. eius methodus I. 150. ope lithotomi occulti peracta III. 546 ſeqq. huius praeſtantia III. 549 ſeq. circa ſitum aegri ſub ea controuerſia III. 547. 558 ſeq. in foeminis, de hac controverſia III. 551 ſeqq. ad eam inſtrumenta inuenta III. 552. 555
Lobeliae vſus in lue venerea I. 107
Lochia quid contineant III. 496
Loefling, Petr. iter Hiſpanicum II. 324
Louis, memoire ſur une queſtion chirurgicale relative a la Iurisprudence III. 435
Lucas, C. Eſſay on Waters I. 7

Lumbrici

Lumbrici inteſtinalis ortus IV. 697 ſeq. a terreſtri diſtinctio IV. 696
Luminis natura et ab igne diverſitas I. 89
Lupi in Penſyluania variolosis inſidiantur IV. 601
Lupinus hippopotamo lethalis II. 345
Luxatio muſculorum quid? I. 155
Lygium, nouum plantarum genus II. 327. 330

M.

Mackenzie's, Iames. Hiſtory of Health and the art of preſerving it. IV. 611
Macquer, Elemens de chymie theorique I. 45. Elemens de Chymie pratique Tome I. II. I. 45 ſeq.
Magnetiſmi theoria IV. 681 ſeqq. cum electricitate analogia IV. 683 ſeqq. magnetici fluidi natura et proprietates IV. 682 ſeqq. de magnetiſmo regulae IV. 685 ſeq. magnetum tria genera IV. 684. 688. de his phaenomena eorumque explicatio ibid. ſeq. repulſio et attractio IV. 690 ſeq. de magnetiſmi communicatione leges IV. 690. magneticus vortex quid? IV. 691. acus magneticae declinatio in Cornubia aucta IV. 726
Magnoliae virginianae vſus IV. 600
Malouin, Chimie medicinale Tome I. II. I. 35
Maluacearum plantarum diſtinctio I. 65
Malum mortuum morbus II. 361
Mammarum ſcirrhus IV. 660
Mandibularum oſſa in pueris ſeptennibus I. 184. 187 ſeq.
Maniae cauſſae II. 332 ſeq. curatio II. 308. 332 ſeq.
Margae ſpecies I. 69
Marmoroproſeron, lapis, eius ſpecies I. 75 ſeq.
Marmorum diſtinctio et ſpecies I. 73 ſeq. marmoroidearum glebarum ſpecies I. 74 ſeq.
Maſtichis vſus II. 355.
Materiae medicae inſtitutiones II. 291. diſtinctio II. 292. diſtributio et ordo IV. 655. regni animalis I. 97. ſeq. regni mineralis I. 100
Medicamenta, eorum principia actiua II. 294. ſapor I. 98. odores I. 100. effectus quid? II. 293. gradus diuerſi vnde pendeant ibid. diviſio et actio II. 293. graveolentia I. 110
Medicina, eius obſtacula I. 100. rationalis eiusque obiectum IV. 706. caſtrenſis I. 190. forenſis, ad hanc ſpectans quaeſtio chirurgica III. 435. ſeq. practica, huius compendium II. 303. medicinae bibliotheca ſelecta IV. 579 ſeqq.
Medico chirurgicae obſeruationes III. 508 ſeq.
Melancholiae cauſſa et curatio II. 332

Membranas vteri diſrumpendi tempus II. 205
Menſtruorum cauſſa III. 488
Menynx dura ſenſu deſtituitur I. 164. III. 407
Mercurialis herbae vſus defenſus I. 176
Mercurius viuus, de eo obſervatio I. 42. eius ex cinnabaris reuificatio ibid. dulcis emendatio I. 84. vſus externus I. 43. ſublimati praeparatio, de hac obſeruatio I. 42 ſeq. vſus in lue venerea dubius II. 365. contra huius effectus remedia I. 43. mercuriale vnguentum I. 42. mercurialium frictionum vſus in lue venerea I. 118
Metallorum principia et ortus I. 50. virtus medica affirmatur I. 41. metallica corpora, de his experimenta III. 524 ſeq. metallicae fiſſurae Cornubiae IV. 729
Metaſtaſis lactea quid? III. 501. eius effectus, ſpecies et ſigna III. 501 ſeqq.
Methodus plantarum ex foliis I. 177 ſeqq.
de Meyſerey, la Medecine d'Armée Tom. I. II. III. I. 190
Miller, Phil. Figures of the moſt beautiful, uſeful and uncommon plants deſcribed in the Gardeners Dictionary Vol. I. II. IV. 667
Mineralia corpora, de his experimenta III. 524 ſeq.
Minerarum diſtinctio I. 124
Minuartia, nouum plantarum genus II. 325. 327
Mirobalani offic. II. 355 ſeq.
Molae diſtinctio III. 497. ortus II. 200 ſeq. III. 497
Monro, Alexand. Diſſ. de teſtibus et de ſemine in variis animalibus II. 231
Monſpelienſis flora I. 106
Monſtrorum partus II. 212. monſtri humani Bononienſis deſcriptio II. 262 ſeq. monſtroſi partium ſitus diſtinctio II. 336
Montes, eorum aetas III. 450. glaciales Heluetiae III. 438 ſeqq. eorum nexus, ſitus et altitudo III. 448. diſtinctio III. 449 ſeq. ſpecies III. 451 ſeq. vſus III. 452. ſeqq. noxa et pericula III. 454. Cornubienſium cauitates et rimae IV. 729
Morbus quid II. 335. eius diſtinctio ibid. morbi ex hyeme I. 100. morborum cauſſae eorumque diſtinctio IV. 655. ex alieno partium ſitu ortorum diſtinctio, cauſſa et curatio II. 335 ſeq.
Morea, nouum plantae genus IV. 673
Morſuli antimoniales, vid. *Antimoniales.*
Moxae effectus I. 144
Mumia mineralis II. 356
Mungo, muſtela I. 96
Mus iaculus II. 345. porcellus, huius hiſtoria naturalis I. 104
Muſcorum ſemina I. 97
Muſcu-

Muſculorum actionis ratio IV. 700 ſeqq. vis motrix, animale principium IV. 700. eius effectus IV. 704. eadem non pendet a neruis IV. 701 ſeq. motus, circa huius explicationem hypotheſis II. 240. luxatio et reductio I. 155. muſculi paralyſis a ligato neruo, eius cauſſa explicata IV. 701 ſeq.
Muſei rerum naturalium inſtructio I. 102. inſtitutum et vtilitas II. 252 ſeqq. muſeum Adolpho - Fridericianum I. 94. regium Suecicum II. 252 ſeqq.
Myricae ceriferae vſus IV. 599
Myrtilli folia theae Sinenſium ſubſtituenda I. 62

N.

Naeuorum maternorum ortus II. 361
Naia, ſerpens I. 96
Naturae oeconomia quid? I. 96
Naturalis hiſtoriae praeſtantia I. 95. vtilitas I. 101
Nauigantium morbi I. 107
Nephrotomia, de hac obſeruatio I. 156
Nereis lacuſtris linearis, inſectum II. 273. phoſphorans I. 101
Neruorum ſympathia IV. 711. vis in morbis arcendis IV. 716. medullae ſpinalis primi paris hiſtoria II. 236 ſeq. deſcriptio II. 238 ſeq. ſpinalium a cerebralibus differentia II. 238. morbi, eorum cauſſae III. 529. reſolutio aqua marina curata II. 250. nerui motus muſcularis inſtrumenta non ſunt IV. 701. neruеum fluidum negatur IV. 706
Nicolai, Ern. Ant. *Gedanken von der Verwirrung des Verſtandes, dem Raſen und Phantaſiren* II. 331
Ninſi radix vid. *Ginſeng.*
Nitrum, eius vſus et abuſus in gonorrhoea I. 44. reſidui ſeu matris vſus I. 45. ſpiritus fumantis deſtillatio I. 83. cubicum, quid? II. 264. 268. circa huius praeparationem experimenta ibid. ſeqq. huius affectiones II. 266 ſeq. proprietates II. 267 ſeq.
Noctiluca marina I. 100 ſeq.
Nutricum abuſus damnatur I. 101
Nymphomaniae cauſſae II. 333

O.

Obſtetriciae artis ſyſtema III. 436. 456. 485 ſeqq. elementa IV. 616. 619. de ea animaduerſiones III. 462 ſeqq. obſeruationes II. 213 ſeqq. IV. 633 ſeqq. icones II. 219 ſeqq. ad eam ſpectantia inſtrumenta noua III. 459 ſeq. 465. IV. 647 ſeq.
Ochrae ſpecies I. 70
Occipitis contuſio lethalis I. 156

Oculorum morbi chirurgici IV. 658 ſeq.
Odontalgia, contra eam remedium IV. 603
Oeconomia naturae quid? I. 96. oeconomicae plantae I. 95
Oedematis ortus et diſtinctio II. 361. cauſſa, ortus et curatio II. 369 ſeq.
Oeder, Georg. Chriſt. Diſp. de irritabilitate III. 407
Olea deſtillata terebinthina mangoniſata detegendi modus I. 64. olei oliuarum vſus in morſu viperae I. 148. tartari per deliquium vſus in febribus malignis IV. 627
Olibanum offic. II. 355
Omenti ligatura et praeſciſſio. III. 532. ligatura inutilis I. 150
Opobalſamum II. 355
Opii vſus in calculis felleis III. 431
Origani cretici vſus III. 469
Ortega, nouum plantarum genus II. 325
Osbeck, Pehr. Dagbok öfver en Oſtindisk Reſa III. 467
Osbeckia, chinenſis planta III. 475. eius vſus ibid. ſeq.
Offeum fruſtum deglutitum et in aſperam arteriam delatum, tracheotomia extractum II. 242 ſeq.
Offificatio praeternaturalis I. 149
Offium geneſis vid. *Oſteogenia*: capitis humani cauernae, quando et quomodo fiant IV. 651. fractorum reſtauratio a perioſteo II. 259 ſeq. peluis diductio negatur II. 197. eadem in partu difficili aſſeritur II. 213 ſeq.
Oſteocolla, medicamentum iners II. 260
Oſteogenia I. 184 ſeq.
Otalgia a vermibus IV. 659
Ottens, Iac. Henr. diſſ. de anaſtomoſi IV. 675
Oua contra putredinem per itinera maritima tuendi modus IV. 587
Ouis hiſtoria naturalis I. 104

P.

Palaeſtina IV. 664. eius quadrupeda II. 344. aues II. 345 ſeqq. amphibia II. 348. piſces II. 350. inſecta II. 351. plantae I. 106. II. 354 ſeq.
Pallas, Petr. Simon. diſſ. de infeſtis viuentibus intra viuentia IV. 695
Panax quinquefolium vid. *Ginſeng*.
Panis diaeteticus I. 108. ex ſecali verno et auena coctus IV. 588
Papen, Chph. Henr. epiſt. de ſtupenda et nunquam deſcripta hernia dorſali II. 380
Papiliones rariores depicti IV. 630
Papyrus Chinenſium III. 473
Paracenteſis vſus in aſcite IV. 661
Paragomphoſis capitis foetus, de ea obſeruationes IV. 635 ſeq.

Paralyſis, de ea ſingularis obſeruatio III. 508 ſeq. eius cauſſae IV. 714. curatio II. 308. muſculi a vaſis ligatis IV. 701 ſeq.
Paronychiae ſedes, ortus et curatio II. 359 ſeq. de ea obſeruationes IV. 663
Parotidis ſcirrhoſae exſtirpatio IV. 659
Parturientium commodus ſitus II. 204. iis ſuccurrendi modus II. 205
Partus diuiſio II. 204. naturalis, de hoc monita III. 493 ſeq. phaenomena, II. 215 diuerſae ſpecies IV. 617. cauſſae, quae naturalem difficilem reddere poſſunt III. 493 ſeq. contra naturalis, ſpecies II. 210 ſeq. difficilis, exempla II. 216 ſeq. IV. 634 ſeqq. ſpecierum cauſſae II. 206 ſeq. iis medendi modus II. 207. ex anguſtia aperturae peluis III. 458. quatenus inſtrumentis iuuandus III. 459. praeternaturalis IV. 618. 621. eius diſtinctio III. 496 ſeq. ſerotini caſus II. 214. dolores vid. *Dolores*.
Paſſiflora, planta I. 93
Paſtillos Keyſeri conficiendi modus II. 366
Pecorum morbus malignus II. 285
Pectoris morbi II. 309. chirurgici IV. 660
Pedicularis morbus II. 367
Pelagi natura I. 108
Peloria planta I. 91 ſeq.
Peluis oſſeae ſtructura et aperturae II. 197 ſeq. menſurae et vitia II. 198. 338. IV. 636 ſeq. ratio in rachiticis et gibberoſis III. 487
Peregrinationum per Sueciam vtilitas I. 98
Peregrinatoris inſtructio I. 111.
Perforatorii noua ſpecies III. 459
Pericardii hydatides I. 164
Perinaei indurationes et fiſtulae III. 539. IV. 661. punctura quomodo ſuſcipienda III. 536. ruptura in partu naturali III. 494
Peritonaei vitia, cauſſa herniarum II. 338
Pernionum cauſſa et geneſis II. 360
Perry's, Charles, mechanical Account and explication of the hyſteric paſſion III. 528
Peruuiani corticis vſus in gangraena IV. 663. idem dubius II. 359. III. 543
Petromyzonis ſpecies IV. 589
Pharmacia rationalis IV. 653
Pharmacopoliorum ſtatus apud Chinenſes III. 472
Phaſeolus vt nucleus calculi vrinarii repertus I. 152
Philadelphiae memorabilia IV. 595 ſeqq. arbores ibi indigenae IV. 596
Phlogiſton, eius proprietates I. 47 ſeq. ſaporis partium humani corporis cauſſa I. 163. primigenium quid et vnde? II. 295. eius natura ibid.

Physiologia I. 161. animalis, huius principia IV. 699 seqq.
Phytolaccae vsus IV. 600
Pini cortex, hominum alimentum IV. 589 seq. Canadensis resinae vsus IV. 669
Piquerus, Andr. opera Hippocratis selecta hispanica lingua edidit IV. 582
Pisces, eorum character et distinctio I. 131 seq. ordines II. 256. icones II. 257. Aegypti et Palaestinae II 350. Cornubienses IV. 735
Placentae extractio, de hac monita IV. 617. solutio ab vtero IV. 621. quando et quomodo perficienda II. 206. III. 495 seq. extra fundum vteri adhaesio IV. 638 seqq. eadem caussa obliquitatis vteri IV. 621. 636. 638 seq. placenta incarcerata seu sacco inclusa IV. 641
Planque, Bibliotheque choisie de medecine, Tom. I. II. III. IV. V. IV. 579
Plantarum centuriae I. 105. genera noua I. 94. 99. historia oeconomica I. 54 seqq. rariorum icones IV. 629 seq. 667 seqq. methodus ex foliis I. 177 seqq. metamorphosis I. 106. nomenclatura I. 112. sponsalia seu sexus stabilitus I. 94. somnus I. 105. stationes I. 103. succi, de his experimenta III. 524. eorum differentia ibid. vigiliae I. 105. vires I. 94 seq. vernalium crescendi modus et virtus I. 61. plantae Aegypti et Palaestinae II. 352 seqq. Amboinenses I. 103. Americanae II. 329. Angliae I. 102. Barbadenses II. 286 seqq. Camtschatcenses I. 98. culinares Chinenses III. 474. Cornubienses IV. 733. esculentae Suecicae I. 100. Hispanicae rariores II. 327 seq. hybridae I. 99. Martino Burserianae I. 92 seq. oeconomicae Sueciae I. 97. officinales I. 102 seq. tinctoriae I. 111. Vpsalienses I. 102
Platinae di Pinto grauitas specifica II. 330
Pleuritis venaesectione curanda III. 433 seq.
Plumbi virtus medica I. 113 seqq. minerae, de his experimenta docimastica I. 128 seq. plumbea vasa ad destillationem nociua I. 37
Polypi, insecta, eorum historia et distinctio II. 269. sensus II. 272. plumosi descriptio II. 270. pallide lutei. ibid. aurantiorum colore ibid. seq. circa horum dissectionem monita II. 271 seq. eorum morbi et mors II. 272. obscure fusci descriptio II. 272. viridis ibid. polypi spurii II. 273
Polypi narium diuersa genera IV. 659
Poma sodomitica II. 354
Populaginis florum virtus et vsus I. 62
Porcetanarum thermarum examen et vsus I. 30 seq.

Porphyrites, lapis, eius ſpecies I. 77
Pott's, Percival, Obſervations on that Diſorder of the corner of the Eye, commonly called Fiſtula lachrymalis III. 510
Pouhon, fontis medicati Spadani aquarum natura I. 21 ſeq. partes conſtituentes I. 22
Pouteau, Claud. melanges de Chirurgie I. 140
Proteus, inſectum II. 274
Puerperarum cura II. 212. ſubitaneae poſt partum mortis cauſſae IV. 643. his medendi ratio IV. 644
Pulmonum alternus motus irritabilitatis effectus III. 407
Purgantium vſus in grauidis III. 492. in febribus a chyli cruditate productis IV. 627
Purgationum vernalium confutatio IV. 720 ſeq.
Purpura, ſuccus animalis tingens II. 289
Purpurae puerperarum cauſſa et curatio III. 504
Purulentiae genera II. 307
Puzos, Traité des Accouchemens III. 485
Pyritarum ſpecies I. 20

Q.

Quadrupeda, eorum character I. 131. diſpoſitio methodica, ordines et genera I. 132 ſeqq. Aegypti et Palaeſtinae II. 344
Quercus albae corticis vſus IV. 600. marinae ſpecies II. 249. ſucci vtilitas in tumoribus glandularum II. 249. quercuum cortex, boum alimentum IV. 588
Queria, nouum plantarum genus II. 325

R.

Rabidae vaccae curatio II. 281
Rachitidis effectus et cauſſae II. 368. rachiticarum feminarum peluis III. 487
Rangiferi hiſtoria naturalis I. 104
Rauwolff, Leonh. Flora orientalis II. 243
Recueil de pluſieurs pieces concernant le Traité des Tumeurs et des Vlceres II. 365
Recueil de pieces importantes ſur l'operation de la taille faite par lithotome caché III. 544. Suite et Addition du même Recueil cet. ibid.
Renum praeternaturalis ſtatus IV. 679
Reptilium character I. 131
Rhabarbari hiſtoria I. 101
Rhaeti, Bern. Franc. Coſt. dierum criticorum vt imparium cet. confutationes IV. 719
Rheum ribes Linn. eius vſus IV. 666
Rheumatiſmi diagnoſis et curatio I. 143 ſeq. ope cauterii actualis curatio I. 141
Rhodani fluuii ortus III. 443
Rhus vernix, arbor venenata IV. 596 ſeq. glabrum, eius

vſus IV. 596. radicans, planta venenata IV. 599
Rocca, Ioſeph. Maria, de febribus ab chyli cruditate productis IV. 622
Roeſel von Roſenhof, Aug. Io. *Inſecten - Beluſtigung, 3ter Theil* II. 268. *4ter Theil* II. 274
le Roi, Car. de aquarum mineralium natura et vſu III. 389
Rubigo, frumentorum morbus, eiusque natura II. 314. ſpecies ibid. de ea obſeruationes II. 317. eius cauſſa II. 321. curatio II. 323. rubigo arundinis ſaccharifera II. 289
Ruſſel, Richard. Diſſ. de tabe glandulari ſeu de vſu aquae marinae in morbis glandularum II. 245

S.

Sabatier, Raphael. Beneuent. diſſ. de hernia incarcerata III. 569
Sal, apum nutrimentum IV. 592. primordiale quid et vnde? II. 295. eius natura ibid. amarus Epſomenſis I. 19 ſeq. amarus aquarum mineralium, eius ortus I. 124. corporis humani, eius indoles I. 163 ſeq. corallio-rum, eius vſus I. 39. mirabile Glauberi, huius vſus et virtus I. 45. panchreſtus, eius praeparatio I. 45. Seignette, huius noua praeparatio I. 39. vſus I. 41. terrae foliatae tartari ſimilis I. 41. ſales in aquis reperiundi I. 13 ſeq. ſalium idea generalis I. 8. definitio III. 518. ortus et diſtinctio I. 8 ſeq. 48. III. 518. elementa III. 518. mediorum character et diſtinctio III. 519. in aquis mineralibus inueniendorum natura, et differentia III. 391 ſeqq.
Salicorniae vſus ad acetaria IV. 594
Salinae Anglicae I. 17. Helueticae III. 442 ſeq.
Saliuae diſquiſitio chemica I. 166
Saliuatio in grauidis periculoſa II. 215
Saluiae ſucci expreſſi vſus IV. 600
Sanguinis circulationis cauſſa IV. 712. variarum venarum chemica diſquiſitio I. 166
Sanitatis fundamenta I. 107. hiſtoria eamque conſeruandi ars IV. 611 ſeqq.
Saponis vſus in calculis felleis III. 431
Sarcoceles diſtinctio III. 535
Sarcouaricocele curata I. 118
Saturni extracti praeparatio I. 121. virtus medica I. 113 ſeqq. vſus in morbis venereis I. 118 ſeq. ſacchari vſus in mania II. 308
de Sauvages, Fr. Boiſſ. methodus foliorum I. 177. diſſ. de theoria doloris II. 378
Scabiei cauſſa II. 371. ſedes et cauſſa II. 360. contra eam remedium I. 45

Scarabaeus

Scarabaeus fallo II. 278. ſilpha veſpilio dictus II. 276 ſeq. ab iis cadauera ſepeliuntur II. 276 ſeq.
Scheuchzer, Io. diſſ. de alimentis farinaceis III. 483
Schiſti ſpecies I. 72
Schmiedel, Caſim. Chriſt. diſſ. de ſede variolarum non in ſola cute IV. 694
Schultz, Dav. Berättelſe om Koppors Ympande III. 478
Scirrhi curatio II. 247 ſeq. in cancrum mutatio, qua ex cauſſa fiat II. 362
Sciuri ſpecies, de his obſeruata IV. 602
Scorbuti cauſſa et indicatio curatoria IV. 704. contra eum remedia II. 363 ſeq.
Scorzonerae parthicae vſus IV. 666
Scrophulae, contra eas remedium II. 251
Secundinae, de his obſeruationes III. 492 ſeq.
Semimetalla I. 124. Cornubiae IV. 728
Semina muſcorum I. 97. ſeminis motus in animalibus vnde? II. 234. huius regreſſus ad ſanguinem ibid. ſeq. dotes et phaenomena II. 235
Senega radix I. 96
Senium Salomoneum I. 111
Senſatio, animale principium IV. 703. eius effectus IV. 705
Seri lactis differentia I. 38
Serpentum ſpecies II. 255
Setaceum in morbis viarum lacrimalium applicandi methodus I. 146
Sharp's, Sam. critical enquiry into the preſent State of Surgery III. 530
Silurum inſularum deſcriptio phyſica et hiſtorica III. 526
Simiarum claſſes I. 135. ſpecies II. 255. 344
Smelliana forceps II. 208 ſeq.
Smellie, Will. Treatiſe on the theorie and practice of Midwifery II. 195. a collection of caſes and obſervations in Midwifery II. 196. a Set of anatomical Tables cet. II. 196
Sodae differentiae et ſpecies I. 39
Solum Cornubiae, vid. *Terrarum genera.*
Somnus plantarum quid I. 105
Sorbet, potus genus Aegyptiorum II. 353
Spadanarum aquarum mineralium natura I. 21 ſeqq.
Spartii monoſpermi vſus III. 469
Spaſmus quid? eiusque ſpecies IV. 704 ſeq.
Specificorum remediorum diuiſio II. 294
Sphincteres duo veri IV. 676
Spigelia anthelmia I. 110
Spina ventoſa, de ea obſeruationes IV. 662
Spiritus aquarum mineralium, eius ſpecies I. 16. cornu cerui, eum deſtillandi noua methodus I. 83. ſulphuris, vid. *Sulphur.* vini, eum abſque igne rectificandi modus I, 41.

I. 41. vitrioli dulcis, huius proprietates I. 51
Splachnum, muſcus I. 97
Squali piſcis vſus III. 470
Spreckelia, nouum plantae genus IV. 632
Stanneorum vaſorum in chemia noxa I. 137
Stannum, quod in Cornubia reperitur IV. 730
Stincus, lacerta II. 349
Stipticorum remediorum agendi modus I. 153 ſeq.
Strumae, earum cauſſa I. 23 ſeq.
Sudoris anglici curatio II. 305
Sueciae plantae oeconomicae I. 97
Sulphur, quid? I. 123. idem in aquis mineralibus detegendi ratio III. 396 ſeq. eius in thermis ortus I. 12. 27. ſulphuris ſpiritus Stahliana methodo parati vſus I. 83
Superfoetationis exempla II. 214
Surditas, eius indoles, gradus et cauſſae III. 399 ſeqq. ea vt ſignum in acutis IV. 625. contra eam remedium III. 400 ſeq.
Surinaménſia Grilliana I. 95
Sus ſcrofa I. 113

T.

Tabes glandularis II. 246. eius cauſſae ibid.
Tacconi, Caietan. de nonnullis cranii oſſiumque fracturis cet. II. 258
Taenia, vermis I. 96. II. 311 ſeq. eius origo IV. 698. variae ſpecies IV. 697. hydatoideae deſcriptio IV. 697
Tartarus vitriolatus ammoniacalis I. 39
Telluris habitabilis incrementum I. 98 ſeq. magnetiſmus explicatus IV. 692
Tendinum inſenſibilitas I. 165. affirmata III. 412 ſeq. 419. negata III. 414 ſeqq. 420. ſeqq. capſae articulares IV. 649 ſeq. earum vſus IV. 650. tendinis Achillis ruptura et exfoliatio IV. 663
Terebinthinae vſus et diſtinctio I. 64
Terrarum genera I. 68 ſeqq. 123. definitio I. 70. diſtinctio et analyſis chemica III. 517 ſeq. terrae diſtinctio et proprietas I. 47. calor inter tropicos vnde? I. 90. quae in Cornubia reperiuntur IV. 726 ſeq.
Teſtaceorum maris Adriatici et territorii Ravennatenſis deſcriptio III. 388
Teſticulorum in homine et animalibus ſitus II. 232. tunicae ibid. arteriae et venae ſpermaticae ibid. ſeq. fabrica interna II. 233. vaſa efferentia II. 234. ductus flexuoſi ibid. vaſa lymphatica II. 235. caſtratio quando neceſſaria III. 535 ſeq. eam inſtituendi ratio III. 536. exciſionis vſus in lepra II. 306. in mania II. 308

Teſtudinum magnitudo inſignis III. 477
Theae boheae et viridis diſcrimen III. 473
Thermarum diſtinctio I. 14 ſeq. caloris cauſſa I. 28. Aquisgranenſium examen I. 25 ſeqq. partes conſtitutiuae I. 28. vſus ſeu virtus medica I. 29 ſeq. Bathonienſium antiquitas I. 31. aquarum examen I. 32 ſeqq. virtus medica I. 34 ſeq. prope Briſtolium ſcaturientium examen et vſus I. 35. Porcetanarum examen et vſus I. 30 ſeq. Weiſſenburgenſium examen III. 442
Thlaſpeos plantae vſus I. 64
Thuyae occidentalis vſus IV. 609
Thymi glandulae vſus II. 241
Tinea, morbus eiusque cauſſa II. 361
Tonnelet aquae examen I. 23
Tonſillarum ſcirrhoſarum curatio III. 541
Torenia, planta III. 477
Tracheae vulnera IV. 660
Tracheotomiae caſus II. 242 ſeq.
Tractatus duo pathologici: 1. de morbis puerorum. 2. de morbis cutaneis. II. 367
Tragopogonis radicis vſus I. 62
Traité des Tumeurs et des Vlceres. Tome I. II. II. 357
Tremoris diſtinctio et curatio II. 308
Trifolii multiplicatio ab animalibus efficitur I. 63
Tritici granorum morbi II. 313
Trochili auis natura IV. 600
Trombus arteriarum, de eo obſeruationes I. 152 ſeq.
Troſchel, Gottlob Henr. Diſſ. de morbis ex alieno ſitu partium abdominis II. 334
Tumores, eorum genera II. 358. differentiae II. 307. adipoſi, de his obſeruationes IV. 663 ſeq. tunicati, eorum ſigna eſſentialia II. 371
Turpethi mineralis edulcoratio et vſus I. 42
Tuſſilaginis quaedam ſpecies I. 93 ſeq.
Tympanites I. 160 ſeq.

V.

Valerianae virtus antepileptica I. 64 ſeq.
Valuulae in venis ſpermaticis virorum II. 233
Vanucci, Gian-Antonio Raccolta de principali maravigliosi effetti della Cavata di Sangue III. 562
Varicoceles curatio III. 535
Variolarum ſuppurationis ratio IV. 694. ſedes non in ſola cute ibid. ſeq. ſed et in corde IV. 695. inoculatio, vid. *Inoculatio*. varioloſi miaſmatis ortus II. 368
Vas deferens in homine et animalibus, eius fabrica et vſus II. 234. ſtructura in equo II. 241
Vaſa chemica deſtillationi inſeruientia, eorum ſelectus I. 37

Vegetabilium vſus I. 56. farinaceorum claſſes III. 483. ſubſtantiarum elementa III. 519. analyſis III. 520. 523 ſeq.
Velezia, nouum plantarum genus II. 325
Venaeſectionis diſtinctio III. 433. effectus, vſus et noxa III. 562 ſeqq. vſus et abuſus II. 305. vſus in calculis felleis III. 430. in febribus a chyli cruditate productis IV. 626 ſeq. in grauidis III. 492. in inflammatione IV. 708. in metaſtaſi lactea III. 502. 504. in pleuritide III. 433 ſeq. deriuatoriae notio III. 433. vernalis confutatio IV. 720 ſeq.
Venenorum natura ignota II. 307
Venerei morbi, de his obſervationes I. 117 ſeq. venereae luis curatio II. 306. luis hyſtericam affectionem mentientis caſus et curatio I. 175 ſeq.
Veratri albi vſus IV. 604
Vermes, animalium claſſis I. 132. eorum genera II. 311. dyſenteriae cauſſa I. 109. in homine reperiundi, horum genera IV. 696. origo IV. 698. in animalibus reperti IV. 696. ſeq. a cane excreti III. 389. inteſtinales, contra hos remedium I. 110. vermiculi in frumentorum granis III. 317 ſeqq. vermis vrina eiectus I. 167. Guineenſis morbus II. 283. contra eum remedia ibid.
Vernatio arborum quid? I. 102
Verſio foetus in vtero, de ea regulae IV. 617 ſeq. 620 ſqq. huius ad foetum extrahendum methodus III. 497. eius vſus ibid. vſus et ratio in partu difficili III. 458. 464. in obliquo placentae ſitu IV. 642
Veſicae vrinariae appendices IV. 678 ſeq. earum origo IV. 679 ſeq. ſpecies earumque ortus IV. 680 ſeq. catarrhus II. 312 ſeq. punctura ſalutaris III. 509. puncturam inſtituendi methodus I. 157. III. 536
Vigiliae plantarum I. 105
Vini principia conſtitutiua I. 170. differentia et effectus I. 40. 170 ſeq. bonitatis notae I. 171. vſus generalis et noxa I. 174. gallici vſus I. 172. germanici differentia et vſus I. 172 ſeq. hiſpanici differentia et vſus I. 171. hungarici vſus I. 172. italici vſus I. 171 ſeq. vinum antiſcorbuticum II. 363. conditum (*Clairet*) I. 40. plumbo mangoniſatum detegendi modus ibid.
Vipera Aegypti II. 349. viperarum morſus, contra hunc remedium I. 148
Viſcerum corporis humani conſideratio II. 239 ſeqq.
Viſcum ex ilice aquifolio IV. 670

Vitriolicum acidum fixum et volatile I. 9. vitrioli ſpiritus dulcis proprietates I. 51

Viuerra ichnevmon II. 345. putorius, animal IV. 601

Vlcera quid? II. 362. eorum genera II. 358

Vlicis europaei vſus in Anglia IV. 591

Vlmi americanae corticis vſus ad cymbas IV. 607

Vmbilici vitia II. 337

Vncorum vſus in arte obſtetricia noxius III. 459. vncus curuus ad truncum foetus extrahendum IV. 638. 642. elaſticus ad extractionem foetus IV. 646

Vnguium ortus a perioſteo negatur I. 167

Vogel, Rud. Auguſtin. Diſſ. de nitro cubico II. 264

Voluox globator, inſectum II. 273. chaos ibid. ſeq.

Vomicae nucis vſus IV. 591

Vomitoriorum vſus in calculis felleis III. 430

Vomitus grauidarum III. 490. cruenti curatio II. 309 ſeq.

Vortex magneticus et electricus quid? IV. 691

Vpſalienſis hortus I. 93. vpſalienſes plantae I. 102

Vreteris ruptura lethalis I. 167

Vrethrae morbi eorumque curatio I. 120. III. 537

Vrethrocyſtitomus, inſtrumentum lithotomicum III. 552

Vrinae incontinentia ex partu difficili III. 494 ſeq. retentionis cauſſae ſingulares IV. 662

Vſtilago, frumentorum morbus II. 315

Vteri ſubſtantia glanduloſa II. 199. expanſionis cauſſa et effectus III. 488. actionis et contractionis ratio III. 488. explorationis modus III. 489. morbi III. 498 ſeq. haemorrhagiae, de his obſeruationes III. 499 ſeq. ruptura I. 157. vaginae excreſcentiae fungoſae III. 495. tumoris cancroſi exſtirpatio IV. 661. grauidi craſſities II. 214. dilatatorium nouum IV. 647. fibrarum inertia mortis ſubitae cauſſa IV. 643. ei medendi ratio IV. 644. incrementum vnde? II. 199. exploratio II. 203. hydrops III. 491 ſeq. mutationes iconibus expreſſae II. 219. ſeq. ruptura II. 372 ſeq. huius cauſſae II. 373. ſigna II. 374. ſymptomata II. 374 ſeq. prophylaxis II. 375. curatio ibid. ſeqq. ſitus obliquus cauſſa partus praeternaturalis IV. 618. obliquitatis cauſſae IV. 621. 636. 640 ſeq. vterus, de eo obſeruata III. 487 ſeq. duplex I. 167

Vultur percnopterus II. 345

Vuulae relaxatae praeciſio IV. 659

W. War-

W.

Warneria, nouum plantae genus IV. 674
Watſonia, nouum plantae genus IV. 674
Weiſſenburgenſes thermae III. 442
Winckler, Io. Henr. Progr. de ratione audiendi per dentes III. 403
Wipacher, Dau. genuina ratio, cur pleuritide vera ſaeuiente venaeſectio adfecti lateris praeoptanda ſit? III. 433

Z.

Zeam mays ab auibus tuendi modus IV. 604

Emendanda.

Pag. 27. lin. 22. hunc lege huic. p. 33. lin. 3. purredine l. putredine. p. 34. lin. 27. notius l. potius. p. 210. lin. 8. icon l. iconem. p. 266. lin. 11. ſal l. ſalem. p. 274. lin 7. proles ſubrotundae. p. 293. lin. 19. remeatium l. remeantium. p. 294. lin. 34. principata l. principiata. p. 392. lin. 33. not. ſales l. ſalis. p. 396. lin. penult. Cauterets l. Cauteres. p. 398. lin. 13. ANDREAE l. ANDREA. p. 431. lin. 27. ſaporem l. ſaponem. p. 444. lin. 25. quae l. quas. p. 447. lin. 7. igniuomis lege igniuomus. p. 451. lin. 13. tegiſſe l. texiſſe. p. 455. lin. 26. ſubterraneae l. ſubterranei. p. 463. lin. 8. oppreſiſſe l. oppreſſiſſe. p. 465. lin. 23. Smelliano l. Smellianae. p. 470. lin. 1. affatis l. affis. p. 474. lin. 3. quidem l. quidam. p. 475. lin. 28. vina l. viua. p. 486. lin. 3. celeberrimo l. celeberrimi. p. 487. lin. 11. Gibberoſos l. Gibberoſas. p. 494. lin. 9. rectos l. rectas. lin. 10. illum l. illam. p. 498. lin. 9. proteſt l. poteſt. p. 499. lin. 19. ſecauit l. ſecuit. p. 503. lin. 15. promoueat l. promouent. p. 516. lin. 17. ſpectat l. ſpectant. p. 541. lin. 13. intecorſtalibus l. intercoſtalibus. p. 562. lin. 26. proponit l. proponat. ead. lin. fert l. ferat. p. 564. lin. 20. progreſſimum l. progreſſiuum. p. 566. lin. 30. antiquati l. antiquitati. p. 574. lin. 6. vulgarem lege vulgare. p. 585. lin. 12. *Tomus primus* in leg. *Tomus primus*. In. lin. 19. Sueciae l. Suecia. p. 589. lin. 4. quia l. quin. p. 595. lin. 14. appropinguaret l. appropinquaret. p. 597. lin. 6. videntur l. videatur. p. 607. lin. 11. americani l. americanae. p. 612. lin. 17. conſeruandi l. conſeruandae. p. 617. lin. 10. ferri l. ferre. p. 627. lin. 1. ſebribus l. febribus. lin. 3. qui l. quae. p. 632. lin. 10. antberae l. antherae. p. 638. lin. 4. oriſicii l. orificii. p. 639. lin. 9. DEVENTERVN l. DEVENTERVM. p. 641. lin. 7. parte l. parti. p. 652. lin. 12. hic l. his. lin. 17. conulſiones l. conuulſiones. lin. 24. enchereiſis l. encheireſes. p. 665. lin. 29. diſcunt l. diſcant. lin. 31. iuuantur l. iuuentur. p. 666. lin. 19. aliquo l. alicui. lin. vlt. ſciret l. ſcirent. p. 679. lin. 20. vmblilicum l. vmbilicum. p. 690. lin. 7. heterogenee l. heterogenea. p. 694. lin. 10. ventriculam l. ventriculum. p. 697. lin. 6. Duos l. Duas. lin. 27. tranuerſim l. transuerſim. p. 699. lin. 5. Societ. l. Socio. p. 716. lin. 20. copiſiore l. copioſiore. p. 718. lin. 3. has l. haec. p. 731. lin. 32. lithantraces l. lithanthraces.

BRITISH
MUSEUM